This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 193 773

Digitized by Google

L. Moste

Digitized by Google

Digitized by Google

BERKELEY
LIBRARY
UNIVERSITY OF
CALIFORNIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P. 6

THEOLOGIÆ MORALIS,

CONCINNATÆ

A FRANCISCO PATRICIO KENRICK,

EPISCOPO PHILADELPHIENSI.



VOLUMEN II.

Τις ἡ ἀπόδειξις; ἢ δειξον, ἢ μὴ κατάκρινε. εἰ δὲ ἀμφίβολον, νικάτω τὸ φιλάνθρωπον. S. Gregor. Naz. Orat. xxxix.

PHILADELPHIÆ.
APUD EUGENIUM CUMMISKEY.
MDCCCXLII.

Digitized by Google

Entered according to the act of Congress, in the year 1841, by

FRANCIS PATRICK KENRICK,

in the Clerk's Office of the District Court in the Eastern District of Pennsylvania.

LOAN STACK

TYPIS KING ET BAIRD.

Digitized by Google

BX1758
K4
v. 2

INDEX.

TRACTATUS IX.—DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

C. I. De Virtute - - - - - - 1
C. II. De Prudentia - - - - - - 5
C. III. De Fortitudine - - - - - - 8
C. IV. De Temperantia.
§. I. De virtute hac universe - - - - 12
§. II. De Sobrietate - - - - - 13
§. III. De castitate - - - - - 15
§. IV. De modestia - - - - - 16
§. V. De Ludo - - - - - - 18
§. VI. De curiositate - - - - - 21
§. VII. De clementia et humilitate - - - 22

TRACTATUS X.—DE JUSTITIA.

Præviæ notiones - - - - - - 25
Pars I. De Jure.
C. I. De Dominio - - - - - - 27
C. II. De iis quæ dominio subjacent - - - - 30
C. III. De Dominis.
§. I. De Dominis civilibus - - - - 35

Digitized by Google

§. II. De clericorum collegiis - - - - 36
§. III. De bonis ecclesiasticis - - - - 38
§. IV. De Filiisfamilias - - - - - 45
§. V. De uxoribus - - - - - 46
§. VI. De servis - - - - - - 50
C. IV. De dominio acquirendo - - - - - 52
C. V. De modo acquirendi dominium.
§. I. De occupatione - - - - - 56
§. II. De rebus inventis - - - - - 58
§. III. De bonis vacantibus - - - - 60
§. IV. De alluvione, specificatione, etc. - - - 62
§. V. De præscriptione - - - - - 66
§. VI. De successione - - - - - 71
§. VII. De dominii amissione - - - - 77
C. VI. De dominio semipleno.
§. I. De usu - - - - - - 78
§. II. De servitute - - - - - 79
Pars II. De Juris alieni violatione.
C. I. De injuria.
§. I. De injuriæ natura - - - - - 86
§. II. De impediente a consequendo bono - - 88
§. III. De violatione secreti - - - - 90
C. II. De famæ et honoris læsione - - - - 95
C. III. De restitutione.
§. I. De re accepta - - - - - 106
§. II. De damno illato - - - - - 108
§. III. De damno alieno - - - - - 112
§. IV. De cooperantibus - - - - - 113
C. IV. De ære alieno - - - - - - 121
C. V. De specialium injuriarum reparatione - - - 126

TRACTATUS XI.—DE CONTRACTIBUS.

C. I. De contractus natura.
§. I. Contractuum species - - - - 133
§. II. Qui contrahere possunt - - - - 135
§. III. Qui valeat consensus - - - - 138
§. IV. Quæ contractibus insit vis - - - - 141
§. V. Conditiones appositæ - - - - 143

Digitized by Google

C. II. De contractibus gratiosis - - - - - 146
C. III. De testamento - - - - - - 150
C. IV. De deposito, mandato - - - - - 155
C. V. De emptione et venditione - - - - 160
C. VI. De usura.
§. I. Quæ sit usuræ natura - - - - 170
§. II. Qui sint tituli ad auctarium - - - 177
§. III. De auctario nimio - - - - - 181
§. IV. Usuræ restitutio - - - - - 183
§. V. Pœnæ usuræ - - - - - 186
C. VII. De montibus.
§. I. De montibus pietatis - - - - 188
§. II. De montibus profanis - - - - 190
§. III. De actionibus universim - - - - 193
§. IV. De re monetali - - - - - 194
C. VIII. De cambio et censu - - - - - 197
C. IX. De societate - - - - - - 201
C. X. De cautionibus - - - - - - 203
C. XI. De emphyteusi - - - - - - 207
C. XII. De ludo. - - - - - - - 209

TRACTATUS XII.—DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Præviæ notiones - - - - - - 213
C. I. De adoratione - - - - - - 215
C. II. De oratione - - - - - - 218
C. III. De voto - - - - - - - 225
C. IV. De superstitione - - - - - - 232
C. V. De sacrilegio - - - - - - 241
C. VI. De simonia.
§. I. De simoniæ speciebus - - - - 244
§. II. De simonia in sacris muneribus - - - 246
§. III. De simonia in beneficiis - - - - 249
C. VII. De Beneficiis - - - - - - 255

Digitized by Google

TRACTATUS XIII.—DE VIRTUTIBUS THEOLIGICIS.

Pars I. De Fide.

C. I. De fidei natura - - - - - - 263
C. II. De fidei symbolis - - - - - - 268
C. III. De fidei necessitate - - - - - 274
C. IV. De infidelitate - - - - - - 283
C. V. De librorum prohibitione - - - - - 287

Pars II. De Spe.

Caput unicum - - - - - - 292

Pars III. De charitate.

C. I. De præcepto charitatis - - - - - 297
C. II. De charitate erga proximum - - - - 300
C. III. De dilectione inimicorum - - - - - 304
C. IV. De eleemosynæ præcepto - - - - - 308
C. V. De correptione fraterna - - - - - 313
C. VI. De scandalo - - - - - - 318
C. VII. De cooperatione - - - - - - 324
C. VIII. De susurratione et irrisione - - - - 332
C. IX. De judicio temerario - - - - - 334

TRACTATUS XIV.—DE CENSURIS.

C. I. De Ecclesiæ potestate judiciaria.

§. I. De potestate judicandi - - - - 339
§. II. De judiciorum materia - - - - 341

C. II. De judiciorum ordine - - - - - 345

C. III. De Censuris.

§. I. Quid sit censura - - - - - 353
§. II. Quæ sit censuræ materia - - - - 355
§. III. Quid a censuro excuset - - - - 357
§. IV. Qui possint ferre censuras - - - - 358
§. V. Qui possint censuris affici - - - - 359
§. VI. Qui ordo in censuris ferendis servandus sit - - 362

Digitized by Google

§. VII. Quæ valeant censuræ - - - - 363
§. VIII. Qui possint censuras solvere - - - 365
C. IV. De excommunicatione - - - - - 371
C. V. De suspensione - - - - - - 383
C. VI. De interdicto - - - - - - 388
C. VII. De irregularitate - - - - - - 392
Appendix.
Propositiones in Materia Morum a Summis Pontificibus Damnatæ - - - - - - 401

Digitized by Google

ERRATA.

Page	25,	lin.	16,	pro qiun	lege	quin.
"	81,	"	24,	" Equide	"	Equidem.
"	129,	"	12,	" eum	"	eam.
"	151,	"	11,	" requirahtur	"	requirantur.
"	163,	"	26,	" æstimar	"	æstimari.
"	180,	Not.	3,	" 1832	"	1822.
"	239,	lin.	2,	" aliam	"	aleam.
"	253,	"	5,	" quod	"	quoad.
"	"	"	19,	" innabilitas	"	inhabilitas.
"	260,	"	19,	" der	"	per.
"	304,	"	18,	" offieiis	"	officiis.

Digitized by Google

THEOLOGIA MORALIS.

TRACTATUS IX.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

CAPUT I.

DE VIRTUTE.

1. "VIRTUS est bona qualitas mentis qua recte vivitur."[1] Neminem ea male uti addit S. Thomas, ut eam discernat ab animi dotibus quibus quis in malum finem abutatur. Virtus *infusa* dicitur "quam Deus in nobis operatur sine nobis operantibus, non tamen sine nobis consentientibus."[2] Virtus *acquisita* est quæ actibus bonis repetitis acquiritur. Sic justitiæ virtus longa serie actuum justorum comparatur; fidei virtus a Deo infunditur: sed et dono Dei aliquando infunditur statim virtus, quæ alias nonnisi arduo operum bonorum exercitio habetur. Virtus dicitur *theologica*, quæ Deum respicit, et in aliqua ejus perfectione innititur: v. g. fides, spes, charitas, veritate,

(1) S. Thom. 1. 2. qu. lv. art. iv. Paley dicit: "Virtue is the doing good to mankind, in obedience to the will of God, and for the sake of everlasting happiness." *Moral Philosophy*, l. i. ch. vii. Omni ex parte peccat hæc definitio.

(2) Ibidem. *Ad sextum.*

Digitized by Google

potentia, perfectioneque summa Dei innixa. Virtus *moralis* est, quæ mores hominum informat, juxta rationis et divinæ legis dictamina. Virtus *intellectualis* vocatur quæ intellectum perficit in veri cognitione: v. g. sapientia, prudentia.

2. Nobis inest quædam virtutum inchoatio, nam prima morum principia ex lumine rationis unicuique innotescunt, estque amor quidam boni et honesti, quo ad virtutem impellimur. Cæterum pro hominum varietate major minorve est ad virtutes speciales animi dispositio; nam et ex spirituum quos vocant animalium impetu majori, vel minori, et ex fibrarum ac cerebri textura, quodammodo pendet. Consummatio verò virtutum ex animo divinitus adjuto repetenda est, qui et proclivitatem naturæ temperat et regit.

3. Quum homo rationis lumine gaudeat, et libero arbitrio, potest naturæ viribus virtutem moralem adipisci, bonorum actuum exercitio. "Virtus hominis, inquit S. Thomas, "ordinata ad bonum, quod modificatur secundum regulam rationis humanæ, potest ex actibus humanis causari, in quantum hujusmodi actus procedunt a ratione, sub cujus potestate et regula tale bonum consistit."[1] Licet autem contingat eum peccato mortali inquinari, "non tamen impeditur quin possit habitum virtutis acquirere, per quam a malis operibus abstineat, ut in pluribus, et præcipue ab his quæ sunt valde rationi contraria."[2] Cæterum constat virtutes theologicas a Deo infundi, excedunt enim hominis vires, et gratis donantur: virtutes autem morales homini theologicis virtutibus ornato infundi existimat S. Thomas, ut his conveniant; censet enim eas superioris esse speciei: "Differunt specie virtutes morales infusæ, per quas homines bene se habent in ordine ad hoc, quod sint cives sanctorum et domestici Dei; et aliæ virtutes acquisitæ, secundum quas homo se bene habet in ordine ad res humanas."[3]

4. In medio sita est virtus moralis; nam rationi conveniat necesse est, quapropter defectus, vel excessus, culpandus foret. Attamen in quibusdam rerum adjunctis quæ excedere videntur, possunt, omnibus perpensis, æqua et rationi congrua inveniri. Sic virginitas, paupertas, vitæ austeritas, virtutibus meritò accensentur in iis qui eas amplectuntur prudenter et perfectionis studio: "abstinet enim virginitas ab omnibus venereis, et paupertas ab omnibus divitiis,

(1) 1. 2. qu. lxiii. art. ii. *Resp.* (2) Ibidem. *Ad secundum.*
(3) Ibidem, art. iv. *Resp.*

Digitized by Google

propter quod oportet, et secundum quod oportet, id est secundum mandatum Dei, et propter vitam æternam. Si autem hoc fiat secundum quod non oportet, id est, secundum aliquam superstitionem illicitam, vel etiam propter inanem gloriam, erit superfluum."[1] Virtus *theologica*, quum nitatur infinita Dei perfectione, modum nescit: "fides enim nostra regulatur secundum veritatem divinam; charitas autem secundum bonitatem ejus; spes autem secundum magnitudinem omnipotentiæ et pietatis ejus. Et ista est mensura excedens omnem humanam facultatem. Unde numquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet; nec tantum credere, aut sperare in ipsum, quantum debet. Unde multo minus potest ibi esse excessus. Et sic bonum talis virtutis non consistit in medio, sed tanto est melius, quanto magis acceditur ad summum."[2] Attamen ex parte nostra potest esse excessus, "quia etsi non possumus ferri in Deum quantum debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando et amando secundum mensuram nostræ conditionis."[3]

5. Ille est inter virtutes morales nexus, ut quicumque aliquam possidet perfecte, cæteras omnes habeat necesse sit: nam "perfecta virtus moralis est habitus inclinans in bonum opus bene agendum;"[4] hoc verò non fit, si aliqua ex parte deficiat: "non enim firmitas habet laudem virtutis, si sit sine moderatione, vel rectitudine, aut discretione: et eadem ratio est de aliis."[5] Attamen sæpe contingit aliquam virtutem aliquatenus possideri ab eo qui aliis caret: "videmus enim aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua consuetudine, esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis."[6] Possunt virtutes morales, quatenus ad finem naturalem referuntur, haberi sine charitate; non autem quæ a Deo infunduntur, ut anima ad vitam paretur æternam. Qui charitatem habet, eas quoque habeat necesse est; nec enim legem implere valeret nisi earum munitus præsidio: "unde oportet quod cum charitate simul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo perficit singula genera bonorum operum."[7]

6. Virtutes quædam morales aliis præstant, religio enim, quæ circa

(1) S. Thom. 1. 2. qu. lxiv. art. i. *Ad tertium.* (2) Ibidem, art. iv. *Resp.*
(3) Ibidem. (4) Ibidem, qu. lxv. art. i. *Resp.*
(5) Ibidem. (6) Ibidem.
(7) Ibidem, art. iii. *Resp.*

Digitized by Google

cultum Dei versatur, potior est temperantia. Contingit etiam quemque alii virtutis exercitio præcellere, nam liberalior alius est alio. Hic virtutis dispar gradus ex naturæ diversa dispositione, et mentis arbitrio quandoque derivatur; sed quando de supernaturali actu agitur, ad gratiam divinam, cui humana obtemperaverit voluntas, referendus est. "Si verò consideretur virtus ex parte subjecti participantis, sic contingit virtutem esse majorem vel minorem, sive secundum diversa tempora in eodem, sive in diversis hominibus, quia ad attingendum medium virtutis, quod est secundum rationem rectam, unus est melius dispositus quam alius, vel propter majorem assuetudinem, vel propter meliorem dispositionem naturæ, vel propter perspicacius judicium rationis, aut etiam propter majus gratiæ donum: quod unicuique donatur secundum mensuram donationis Christi, ut dicitur ad Ephesios iv."[1] "Potest esse unus homo magis promptus ad actum unius virtutis, quam ad actum alterius; vel ex natura, vel consuetudine, vel etiam ex gratiæ dono."[2]

(1) S. Thom. 1. 2. qu. lxvi. art. i. *Resp.* (2) Ibidem, art. ii. *Resp.*

Digitized by Google

CAPUT II.

DE PRUDENTIA.

7. Quatuor recensentur præcipuæ post religionem virtutes morales, *cardinales* dictæ, eo quod iis veluti cardinibus nitatur tota morum disciplina; prudentia, scilicet, fortitudo, temperantia et justitia. De sapientia divina dicitur: "sobrietatem enim, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus."[1] De justitia specialis erit tractatus: interim de cæteris disseremus.

8. *Prudentia* virtus est, qua actus nostri in finem ultimum recte diriguntur, adeo ut fugiamus quæ nos ab eo abducunt, eaque amplectamur quæ fini congruunt. Est intellectus virtus, qua, rebus bene perpensis, sanum fit judicium de iis quæ sunt facienda. Eam commendat Apostolus: "Estote itaque prudentes."[2] Ab Augustino sic definitur: "prudentia est cognitio rerum appetendarum et fugiendarum."[3] In proprium bonum dirigitur, sed etiam cum omnium utilitate, nam prudens quisque communi bono studet. "Ille qui quærit bonum commune multitudinis, ex consequenti etiam quærit bonum suum, propter duo. Primo quidem, quia bonum proprium non potest esse sine bono communi vel familiæ, vel civitatis, aut regni. Unde et Valerius Maximus dicit de antiquis Romanis, quod 'malebant esse pauperes in divite imperio, quam divites in paupere imperio.' Secundo, quia cum homo sit pars domus, vel civitatis, oportet quod consideret quid sit sibi bonum ex hoc, quod est prudens circa bonum multitudinis. Bona enim dispositio partium accipitur secundum habitudinem ad totum: quia, ut Augustinus dicit in libro Confessionum: 'Turpis est omnis pars suo toti non conveniens, vel non congruens.'"[4] Rectoribus populorum maxime opus est prudentia; sed et singulis hominibus in quotidiano vitæ usu.

(1) Sap. viii. 8. (2) 1 Pet. iv. 7.
(3) Lib. lxxxiii. quæst. qu. lxi.
(4) S. Thom. 2. 2. qu. xlvii. art. x. *Ad secundum*. Cit. Aug. l. iii. Conf. c. viii.

Digitized by Google

9. Solicitudo ad prudentiam spectat, invigilandum enim est, et curandum ut subsidia ad finem assequendum necessaria adhibeantur. Hinc S. Petrus vigilantiam, et orationis studium cum prudentia voluit conjunctum: "Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus."[1]

10. Memoria rerum gestarum inservit prudentiæ, nam ex rerum eventu judicari potest quid oporteat facere: quapropter senes prudentia plerumque præstant. Intellectus etiam sanus sit oportet, ut quis recte æstimet quæ fini assequendo inserviant. Docilem esse seniorum institutis convenit; qui enim sibi nimis fidit, facile aberrat: "Ne innitaris prudentiæ tuæ."[2] "In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere."[3] Solertia in adminiculis excogitandis ad prudentiam pertinet. Ratiocinium sanum et accuratum requiritur. Providentia præsertim in eo elucere debet, quod ea impræsentiarum adhibeantur subsidia, quæ fini inserviant; et difficultates perpendantur, ut superari queant. Sic prudens vir instar est illius qui impensas turris ædificandæ computat, antequam ponat fundamentum, et qui vires copiasque suas æstimat, hoste adhuc procul versante.[4] Circumspectio in rerum adjunctis versatur, ne forte quid, alioquin bonum, haud conveniat: "sicut ostendere signa amoris alicui, secundum se consideratum, videtur esse conveniens ad alliciendum ejus animum ad amorem: sed si contingat in animo illius superbia, vel suspicio adulationis, non erit hoc conveniens ad finem. Et ideo necessaria est circumspectio ad prudentiam, ut scilicet homo id quod ordinatur in finem, comparet etiam cum his quæ circumstant."[5] Cautio etiam requiritur: "ideo necessaria est cautio ad prudentiam, ut sic accipiantur bona, quod vitentur mala."[6]

11. Imprudentia, quatenus eo nomine intelligitur voluntatis vitium, peccatum est: "Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei."[7] Equidem intellectus error excusationem admittit; sed qui consultò negligit studium necessarium ad rite agendum, vel qui a regulis divertit, peccat: "Si hoc contingat per aversionem a regulis divinis, est peccatum mortale: puta cum quis quasi contemnens et repudians divina documenta, præcipitanter agit. Si verò

(1) 1 Pet. iv. 7. (2) Prov. iii. 5. (3) Eccl. vi. 35.
(4) Luc. xiv. 28—32. (5) S. Thom. 2. 2. qu. xlix. art. vii. *Resp.*
(6) Ibidem, art. viii. *Resp.* (7) Eph. v. 17.

Digitized by Google

præter eas agat absque contemptu, et absque detrimento eorum quæ sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale."[1]

12. Peccatum prudentiæ contrarium est præcipitatio, et inconsideratio, quæ admittitur, quoties quis, rebus haud satis perpensis, agit, seque peccandi discrimini objicit. Malitiæ autem species a peccatis quorum periculum imminet, desumitur. Sæpe tamen contingit aliquem a culpa excusari ob indolem animi, deficiente omni voluntatis malitia. Mentis inconstantia etiam prudentiæ adversatur, quum quis facile deserat bonum animi propositum, cum peccandi discrimine. Gravis est culpa quoties quis gravem, quam voto vel alia ratione contraxit, obligationem, violat, vel cautelam omittit, vel pium exercitium, quod, ne in peccatum cadat, sibi necessarium esse novit. Negligentia in adhibendis subsidiis ad salutem assequendam, vel ad peccatum vitandum necessariis, gravis est culpa, prudentiæ plane adversa. Si levioris culpæ periculum sit, omissa quadam cautela, negligentia erit venialis.

13. Prudentia mundana qua homines omnia sua consilia eo dirigunt ut res sibi prospere cedant, neglecta salutis cura, graviter reprobanda est; sed ea præsertim qua iniqua consilia ingeniose excogitantur. Mortem animæ et Dei inimicitiam secum affert hæc cogitandi ratio, et affectus nimius in res terrenas: *τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος*; "prudentia carnis mors est";[2] *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν*: "sapientia carnis inimica est Deo."[3] Ad hanc pertinet astutia, dolus et fraus, quæ gravem plerumque habent malitiam. Nimia solicitudo rerum temporalium a Christo vetita est: "Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, et corpori vestro quid induamini."[4] Gravis est culpa quoties quis de Deo provido dubius sibi unice fidit, vel salutem ob animi angustias negligit.

(1) S. Thom. 2. 2. qu. liii. art. ii. *Resp.*
(2) Rom. viii. 6.
(3) Ibidem, 7.
(4) Matt. vi. 25.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE FORTITUDINE.

14. *Fortitudo* est virtus animi qua quis ad pericula subeunda, et ad aggrediendum ardua firmatur, secundum rationis dictamen, et legem divinam. Dei auxilio præsertim nitatur oportet qui fortis esse constanter velit, et quæ obstent superare. Sic Moyses præcepit Josue: "Confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere; quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris."[1] Apostolus etiam hortatur hoc pacto fideles: "fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli ... ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare."[2] "State in fide, viriliter agite, et confortamini."[3] Est donum Spiritus Sancti.[4] Fortitudo exercetur aggressione et perpessione: "fortitudo principaliter est circa timores difficilium rerum, quæ retrahere possunt voluntatem a sequela rationis. Oportet autem hujusmodi rerum difficilium impulsum non solum firmiter tolerare, cohibendo timorem, sed etiam moderate aggredi: quando scilicet oportet ea exterminare, ad securitatem in posterum habendam: quod videtur pertinere ad rationem audaciæ."[5]

15. In martyribus maxime elucet fortitudo christiana, dira quippe et extrema supplicia animo impavido propter Christum sustinuerunt. Eorum laudes idcirco Cyprianus his vocibus celebrat: "O beati martyres, quibus vos laudibus prædicem? O milites fortissimi, robur corporis vestri quo præconio vocis explicem?"[6] Hæc martyrum fortitudo charitatis perfectæ indicium est certissimum, "quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, et rem magis odiosam eligit pati. Manifestum est autem quod inter omnia alia bona præsentis vitæ maxime amat homo ipsam vitam, et e contrario maxime odit ipsam mortem, et

(1) Josue i. 9. (2) Eph. vi. 10—13. (3) 1 Cor. xvi. 13.
(4) Isaiæ xi. 2. (5) S. Thom. 2. 2. qu. cxxiii. art. iii. *Resp.*
(6) L. ii. ep. vi.

Digitized by Google

præcipue cum doloribus corporalium tormentorum."[1] "Ad perfectam rationem martyrii requiritur, quod aliquis mortem sustineat propter Christum."[2] Cæterum martyris nomen antiquitus consuevit dari iis qui aliquod fidei causa passi erant supplicium, quorum precibus indulgentia dabatur lapsis, uti passim apud Cyprianum videre est. Virtutis cujuslibet supernaturalis causa si quis mortem sustineat, martyr merito habetur; nam "omnium virtutum opera secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat: et secundum hoc possunt esse martyrii causa. Unde et Beati Joannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit."[3] Sic et S. Joannes Nepomucenus martyr habetur, qui, arcanum confessionis prodere nolens, jussu regis Wenceslai trucidatus est.

16. Fortitudini adversatur timiditas, qua aliquis, ne in mala quædam temporalia incurrat, a munere explendo desistit. Hæc peccatum inducit mortale, quoties de re graviter præcepta vel prohibita agitur: peccatum verò veniale, si de re levi agatur.[4] Sunt quidam verò natura ad timorem proclives, qui sensu illo nimio periculi peccare censendi non sunt, quoties voluntas virtuti adhæret. Cæterum fortitudo non exigit ut omnis prorsus timoris sensus exuatur; nam natura ita comparati sumus, ut id fieri nequeat, et ratio suadet mala esse timenda: quapropter ad animi stuporem et vitium superbiæ referendus est eorum contemptus absolutus. Audacia autem est fortitudinis excessus, quo quis temere objicit se periculis. Ignavia est defectus, quo quis a periculis nimis recedit.

17. Magnanimitas fortitudinis propria est, qui enim est fortis, magno animo spernit res caducas, et ardua aggreditur magno honore digna: "eris magnanimus" inquit Seneca, "si pericula nec appetas ut temerarius, nec formides ut timidus."[6] "Pro his quæ vere sunt magna, magnanimus promptissime se periculis exponit."[7] Fiducia ad magnanimitatem pertinet: "quia fiducia importat quoddam robur

(1) S. Thom. 2. 2. qu. cxxiv. art. iii. *Resp.* (2) Ibidem, art. iv. *Resp.*
(3) Ibidem, art. v. *Resp.* (4) Ibidem, qu. cxxv. art. iii. *Resp.*
(5) Ibidem, qu. cxxvi. art. i. *Resp.*
(6) L. de quatuor virtutibus c. de Magnan.
(7) S. Thom. 2. 2. qu. cxxix. art. v. *Ad secundum.*

Digitized by Google

spei, proveniens ex aliqua consideratione, quæ facit vehementem opinionem de bono assequendo."[1] Securitas cum hac conjungitur, quatenus animus a nimio timore liber conquiescit.

18. Præsumptio est magnanimitatis excessus, quo quis majora viribus audet. Inanis gloriæ captandæ desiderio quis aliquando fertur ad ea aggredienda, quæ vel suas excedunt vires, vel sunt magno animo indigna. "Cavenda est," inquit Tullius, "gloriæ cupiditas: eripit enim animi libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio."[2]

19. Pusillanimitas est magnanimitatis defectus, quo quis animo abjecto non audet aggredi quæ suis viribus conveniunt. Est sæpe indolis et naturæ vitium, potius quam voluntatis; sed peccatum foret ex nimia animi abjectione recusare ea aggredi quæ legitimus superior injungit agenda. Cum superbia aliquando conjungitur, suo scilicet judicio fidit pusillanimis, se imparem esse operi, "unde Gregorius, in pastorali,[3] de Moyse dicit, quod superbus fortasse esset, si ducatum plebis suæ sine trepidatione susciperet: et rursum superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaret."[4]

20. Longe a pusillanimitate differt humilitas, qua homo ex vera sui cognitione se contemnit, et quicquid boni habet a Deo derivari agnoscit, gloriam omnem ei tribuens. Ea fit ut dotibus eximiis quibus ornari quemque contigerit, haud glorietur; sed Deo grates rependat, cujus ope confisus magna opera animo impavido aggreditur.

21. Magnificentia fortem decet, magna scilicet facere sumptibus magnis oportet, pro rerum et personæ conditione. Juxta Tullium, "magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi quadam ampla et splendida propositione cogitatio atque administratio."[5] Ejus excessus est profusio, quæ mortalis est culpa, si quis nimiis sumptibus imparem se reddat satisfaciendis creditoribus, vel familiæ sustentandæ. Deficit autem a magnificentia, qui, quum possit, sumptus necessarios ad magna incepta perficienda nolit facere.

22. Patientia forti est necessaria, nec enim nisi tolerando adversa animo tranquillo, et impavido, poterit magna patrare. "Patientia autem," inquit S. Jacobus, "opus perfectum habet; ut sitis per-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. cxxix. art. vi. *Ad primum.* (2) L. i. de offic.
(3) P. i. cap. vii. (4) Apud S. Thom. 2. 2. qu. cxxxiii. art. i. *Ad tertium.*
(5) De Rhetorica l. ii. de invent. cit. a S. Thoma 2. 2. qu. cxxxiv. art. ii. *Ad secundum.*

Digitized by Google

fecti et integri, in nullo deficientes."[1] "Patientia enim vobis necessaria est," inquit S. Paulus, "ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem."[2] Perfecta patientia ex Dei dilectione procedat necesse est, nam "charitas patiens est."[3] Impatientia mortalis noscitur ex effectibus præsertim, quando scilicet quis adeo perturbatur animo ob res adversas, ut Deum incuset, vel proximo inferat gravem contumeliam, vel grave ei exoptet malum.

23. Perseverantia est animi virtus qua proposito bono inhæret, etiam obstantibus plurimis et gravissimis obicibus. Necessaria utique est forti; nec enim nisi ex constantia hac elucet animi eximia fortitudo. Absque gratia Dei speciali nemo in virtutis semita ad finem usque perseverat, quæ idcirco supplicibus precibus et enixissimis petenda est: "Quia, cum liberum arbitrium de se sit vertibile, et hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrii etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate ejus, quod hoc eligat. Plerumque enim cadit in nostra potestate electio, sed non executio."[4] Pertinacia est excessus, qua quis proposito animi nimis inhæret, ratione repugnante. Gravis quandoque est culpa, quando scilicet gravis damni affert periculum. Cæterum animi indoles aliquos excusat, qui judicio errare, potius quam voluntate, censendi sunt. Levitas animi et inconstantia, qua quis facile a proposito recedit, culpanda est, et grave inducit peccatum, si de re præcepta, vel voto, vel de re cum periculo gravi conjuncta agatur.

(1) Jac. i. 4. (2) Heb. x. 36. (3) 1 Cor. xiii. 4.
(4) S. Thom. 2. 2. qu. cxxxvii. art. iv. *Resp.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE TEMPERANTIA.

§. I. DE VIRTUTE HAC UNIVERSE.

24. "Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma et moderata dominatio." Ita Augustinus:[1] sed usus communior ejus significationem restrinxit ad modum adhibendum in iis quæ magis appetitum alliciunt, et sensibus delectationem præbent: imo vulgata vis vocis respicit modum servandum in cibo, potuque. Præclarus ille doctor modum indicat: "habet vir temperans in rebus hujus vitæ, regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet: sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, utentis modestia, non amantis affectu."[2] Cæterum de excessu non nimis scrupulose judicandum, quamdiu indulgentia non nocet valetudini, vel detrimentum non affert sibi, vel alteri, vel grave aliquod incommodum, periculumve peccati. Habenda est ratio virium cujusque, et status, et divitiarum; æquum enim est ut pro adjunctorum varietate modus victus varietur. Quod si quis deficiat, parcius utens rebus ad vitam necessariis, arguendus erit, quoties divitias conservandi studio agitur, vel alia hujusmodi ratione: secus si corpus rebelle studeat domare, vel ob culpas jam admissas plectere; quum virtus præstet viribus, et luenda sint delicta. "Pœnitentes ad recuperandam animæ salutem, abstinentia delectabilium, quasi quadam dieta utuntur: et homines volentes contemplationi et rebus divinis vacare, oportet quod se magis a carnalibus desideriis abstrahant."[3] Nec tamen oportet adeo in se sævire, ut necessaria ad vitam sustentandam subtrahantur, vel delectationem ciborum veluti in se malam fugere, quum a Deo sapienter iis indita sit, ut homines sic ad vitam sustentandam allicerentur. "Si quis, ergo, in tantum delectationem refugeret, quod prætermitteret ea quæ sunt necessaria ad conserva-

(1) L. lxxxiii. qu. xxxi. (2) L. de moribus Eccl. c. xxi.
(3) S. Thom. 2. 2. qu. cxlii. art. 1. *Resp.*

Digitized by Google

tionem naturæ, peccaret quasi ordini naturali repugnans."[1] Quod autem de Daniele puerisque utentibus leguminibus objici potest, solvitur a S. Thoma: "Daniel illa abstinentia a delectabilibus utebatur, non quasi propter se abhorrens delectationes, ut secundum se malas: sed propter aliquem finem laudabilem, ut scilicet idoneum se ad altitudinem contemplationis redderet, abstinendo scilicet a corporalibus delectationibus."[2] Non oportet tamen delectationem finis instar habere, quum potius inserviat fini honesto vitam sustentandi; quapropter culpa veniali non caret, qui eam unice sibi proponit. Damnata est meritò propositio: "Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui."[3]

25. Intemperantiæ vitium cum hominis dedecore et probro conjunctum est: "Est ergo," inquit S. Thomas, "intemperantia maxime exprobrabilis, propter duo. Primo quidem, quia maxime repugnat excellentiæ hominis: est enim circa delectationes communes nobis et brutis; . . . . unde in Psalmo xlviii. dicitur: 'Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus; et similis factus est illis.' Secundo, quia maxime repugnat ejus claritati, vel pulchritudini, in quantum scilicet in delectationibus, circa quas est intemperantia, minus apparet de lumine rationis, ex qua est tota claritas, et pulchritudo virtutis."[4]

§. II. De Sobrietate.

26. Sobrietas est virtus quæ potus usum dirigit: "illam materiam specialiter sibi sobrietas ascribit, in qua maxime laudabile est mensuram servare. Hujusmodi autem est potus inebriare valens: quia ejus usus mensuratus multum confert, et modicus excessus multum lædit, quia impedit usum rationis, magis etiam quam excessus cibi. Unde dicitur Eccl. xxxi. 'Sanitas est animæ et corpori sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit.' Et ideo specialiter sobrietas attenditur circa potum, non quemcumque, sed eum qui sua fumositate natus est caput conturbare, sicut vinum

(1) S. Thom. 2. 2. qu. cxlii. art. i. *Resp.* (2) Ibidem. *Ad primum.*
(3) Prop. viii. damn. ab Innoc. xi.
(4) S. Thom. 2. 2. qu. cxlii. art. iv. *Resp.*

Digitized by Google

et omne quod inebriare potest."[1] "In omnibus potibus inebriare valentibus est una et eadem ratio impediendi rationis usum. Et sic illa potuum diversitas per accidens se habet ad virtutem."[2] Vini præsertim usum moderatum licere probat S. Thomas ex Apostolo Timotheum hortante: "Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates"[3] et ex Ecclesiastico: "Exultatio animæ et cordis vinum moderate potatum."[4] Hæc præ oculis habenda sunt, ne quod nunc rapit populos studium cum errore forte aliqua conjungatur: laudandi quippe sunt, qui, vitii odio, omnem potus qui inebriare valeat usum declinent; sed cavendum ne usus moderatus damnetur. Equidem bibere vinum, quamvis per se liceat, "potest tamen reddi illicitum per accidens. Quandoque quidem ex conditione bibentis, quia de vino facile læditur, vel quia ex speciali voto obligatur ad vinum non bibendum: quandoque autem ex modo bibendi, quia scilicet mensuram in bibendo excedit: quandoque autem ex parte aliorum, qui ex hoc scandalizarentur."[5]

27. Quid autem dicendum sit de promissione emissa palam solemniterque, uti mos est, numquam vinum aliumve potum qui inebriare valeat bibendi, nisi ex medici consilio? Utrum habendum sit instar voti? Minime gentium: nec enim ea est mens ipsi celeberrimo hujus instituti auctori Patri Theobaldo Matthews. Propositum est quadam solemnitate indutum, ut ea ratione ad perseverantiam excitentur et adjuventur qui illud emittunt. Si igitur contigerit eos illud derelinquere, non statim damnandi sunt peccati gravioris, nisi ebrietati indulgeant, vel in proximum ejus periculum se injiciant ob specialem fragilitatem: quod periculum si absit, a bono proposito quidem deficiunt, quin peccati labem ideo contrahant.

28. "Sobrietas maxime requiritur in juvenibus et mulieribus: quia in juvenibus viget concupiscentia delectabilis propter fervorem ætatis: in mulieribus autem non est sufficiens robur mentis, ad hoc quod concupiscentiis resistant. Unde secundum Valerium Maximum, mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum. Alio verò modo sobrietas magis requiritur in aliquibus, utpote magis necessa-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. cxlix. art. ii. *Resp.*
(2) Ibidem. *Ad tertium.*
(3) 1 Tim. v. 23.
(4) Eccl xxxi. 36.
(5) S. Thom. 2. 2. qu. cxlix. art. iii. *Resp.*

Digitized by Google

ria ad propriam operationem ipsorum. Vinum autem immoderate sumptum præcipue impedit usum rationis. Et ideo senibus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem; et episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ ministris, qui mente devota debent spiritualibus officiis insistere, et regibus, qui per sapientiam debent populum subditum gubernare, specialiter sobrietas indicitur."[1]

§. III. De Castitate.

29. *Castitas* est virtus, qua, libidine domita, modus in venereis servatur: *virginalis* dicitur, qua quis ab omni delectatione venerea prorsus se abstinet: *conjugalis* intra legitimum conjugii usum se sistit: *viduorum* est quæ post conjugis mortem servatur. *Pudicitia* moderatur "delectationes circumstantes, puta quæ sunt in osculis, tactibus et amplexibus."[2] Ad hanc nos hortatur Apostolus: "Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus."[3] *Verecundia*, timor scilicet, seu pudor de turpi actu, cum ea conjungitur; qui enim pudicus est et castus, veretur ne turpe aliquid faciat, quem etiam culparum admissarum pudet. *Honestas*, quam Augustinus definit "intelligibilem pulchritudinem,"[4] pudicitiam comitatur, "nam honestum dicitur, secundum quod aliquid habet quamdam excellentiam dignam honore propter spiritualem pulchritudinem."[5]

30. Castitas præcipue in animi proposito sita est, adeo ut amissa censenda non sit, si invito decus virgineum auferatur: "proposito animi permanente," inquit Augustinus, "per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ."[6] Eximia plane est virtus, et prorsus necessaria; quum modus ponendus sit cupiditati voluptatis, ne animus obruatur. Equidem ipse legitimus conjugii usus aliquid detrahit animi robori: "Nihil esse sentio," ipse dicit Augustinus, "quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest."[7]

31. Virginitas aliquando sumitur pro corporis conditione, quod alteri haud commixtum sigillum suæ integritatis servat: sed præci-

(1) 2. 2. qu. cxlix. art. iv. *Resp.* (2) 2. 2. qu. cxliii. art. un. *Resp.*
(3) II. Cor. vii. 1. (4) L. lxxxiii. qu. xxx.
(5) 2. 2. qu. cxlv. art. iii. *Resp.* (6) L. i. de civ. Dei c. xviii.
(7) L. i. Soliloquiorum, c. x.

Digitized by Google

pue est ipsum animi propositum ab omni delectatione venerea se abstinendi. Eam commendat, divinum consilium tradens, Apostolus, utpote quæ animam rerum cœlestium contemplationi facit idoneam: quod et ratio et experientia suadet. "Si quis abstineat a delectationibus corporalibus, ut liberius vacet contemplationi veritatis, pertinet hoc ad rectitudinem rationis. Ad hoc autem pia virginitas ab omni delectatione venerea abstinet, ut liberius divinæ contemplationi vacet. Dicit enim Apostolus i. ad Corinthios vii. 'Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, et quomodo placeat viro.' Unde relinquitur quod virginitas non est aliquid vitiosum, sed potius laudabile."[1] Quod autem de præcepto primis hominibus dato objecit Lutherus, ex S. Thoma mutuatus est; qui tamen illud genus humanum, non singulos homines, respicere optime docet. "Præceptum datum de generatione respicit totam multitudinem hominum, cui necessarium est non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanæ multitudini, si quidam carnali generationi operam dent; quidam verò ab hac abstinentes, contemplationi divinorum vacent, ad totius humani generis pulchritudinem et salutem. Sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant; quæ tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt."[2]

32. *Continentia* vocatur illa animi virtus qua comprimuntur cupiditates, et servatur castitas: perfecta continentia cum virginitate conjungitur: minus perfecta coercet cupiditates intra legis divinæ limites: "Delectationes venereorum sunt vehementiores quam delectationes ciborum. Et ideo circa venerea magis consuevimus continentiam et incontinentiam dicere, quam circa cibos: licet secundum Philosophum circa utrumque possit dici."[3]

§. IV. De Modestia.

33. Modestia virtus dicitur quæ modum servat in gestibus et motibus, et vestibus. Habenda est ratio sexus, ætatis, conditionis,

(1) 2. 2. qu. clii. art. ii. *Resp.* (2) Ibidem. *Ad primum.*
(3) Ibidem, qu. clv. art. ii. *Ad quartum.*

Digitized by Google

consuetudinis, et omnium adjunctorum, ne quid nimis. "Compositio exteriorum motuum pertinet ad decorem honestatis. Dicit enim Ambrosius in primo de Officiis: Sicut molliculum et infractum aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem aut rusticum. Naturam imitemur, effigies ejus formula disciplinæ, forma honestatis est."[1] "Motus exteriores sunt quædam signa interioris dispositionis, secundum illud Ecclesiastici decimo nono, 'Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.' Et Ambrosius dicit in I. de officiis, quod habitus mentis in statu corporis cernitur, et quod vox quædam animi est corporis motus."[2] Contra hanc virtutem peccatur graviter, quoties gestus valde alliciunt alios ad peccatum, vel ratio se induendi incendit libidinem: vel excessus sumptuum aliquem reddit imparem solvendo. Mulieres præsertim hac ratione facile peccant: nec consuetudinis excusatio admittenda est in iis quæ plane excitant libidinem: qualis est enormis pectoris denudatio: sed in aliqua denudatione haud adeo enormi consuetudo minuit effectum; ideoque, quamvis mos valde reprehendendus sit, haud tamen quæ eum vigentem sequuntur sunt statim gravis peccati damnandæ.[3]

34. De vestibus scribit Ambrosius: "Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expetitus, non pretiosis, et albentibus adjutus vestimentis, sed communibus ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori."[4] Consuetudo loci in quo quis versatur respicienda est, sicut et personæ conditio: sed et pudicitiæ leges et caritas erga proximum, ne vestium ornatu laqueus alteri paretur. Finis quem quis se ornando sibi præstituit, gravitatem facile inducit; quando, scilicet, quis alterum ad peccandum provocare studet. Sed et graviter peccatur, si quis consultò ita se ornet, ut alter vehementer ad peccatum moveatur, et inducatur, quamvis id sibi non sit propositum. "Si mulier conjugata ad hoc se ornet, ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres quæ viros non habent, nec volunt habere, et sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum: quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et si quidem hac intentione se ornent, ut

(1) S. Thom. 2. 2. qu. clxviii. art. ii. *Sed contra.*
(2) Ibidem. *Ad primum.* (3) Vide S. Alphonsum, l. ii. n. 55. *Quæritur.*
(4) L. i. de offic. c. xix.

Digitized by Google

alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio, quantum ad hoc, est de viris. Unde Augustinus dicit, in epistola ad Possidium: "Nolo ut de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos qui neque conjugati sunt, neque conjugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo."[1] Merito arguuntur fœminæ studiose se ornantes maritis absentibus, vel ærumnis obrutis, hos enim contemnere videntur; sed præsentibus maritis, et res gerentibus prospere, decet mulieres se ornare, ut eorum conditione jucunda lætentur, Modestum ornatum convenire mulieribus ex Apostolo discimus: "Mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa."[2] "Per quod datur intelligi, quod sobrius et moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, sed superfluus, inverecundus, et impudicus."[3]

35. "Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est,"[4] judice Augustino: "non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum . . . Sciendum tamen quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, et aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi."[5] Hinc adscititiis dentibus licite quis utitur, et capillis adscititiis calvitiem celat.

§. V. De Ludo.

36. Ludus ad virtutem eutrapeliæ refertur, quatenus animi oblectatio cum remissione attentionis inservit, ut quis majori studio rebus agendis, et pietatis muneribus deinceps vacet. "Sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continue laborare, propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur: ita etiam est ex parte animæ, cujus etiam est virtus finita, ad determinatas operationes proportion-

(1) 2. 2. qu. clxix. art. ii. *Resp.* (2) 1 Tim. ii. 9.
(3) S. Thom. 2. 2. qu. clxix. art. ii. *Ad primum.*
(4) Ep. lxxiii. *Ad Possidium.* (5) S. Thom. ubi supra. *Ad secundum.*

Digitized by Google

ata. . . . . Et ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermissa intentione ad insistendum studio rationis. Sicut in collationibus patrum legitur, quod beatus Joannes Evangelista, cum quidam scandalizarentur quod eum cum discipulis suis ludentem invenirent, dicitur mandasse uni eorum qui arcum gerebat, ut sagittam traheret. Quod cum pluries fecisset, quæsivit utrum hoc continue facere posset; qui respondit, quod si hoc continue faceret, arcus frangeretur. Unde Beatus Joannes subintulit, quod similiter animus hominis frangeretur, si numquam a sua intentione relaxaretur."[1] Cavendum tamen ne oblectatio in re turpi quæratur; vel ne animus totus relaxetur; vel quid admittatur quod personæ, loco, temporive non conveniat: vel ne ludi occasione gravia negligantur negotia. Rudis foret et agrestis qui ludum omnem respueret, et damnaret, se asperum aliis præbendo.[2]

37. Grave aliquando admittitur peccatum ludendo: "quod quidem potest esse dupliciter. Uno modo, ex ipsa specie actionum quæ assumuntur in ludum: quod quidem jocandi genus secundum Tullium dicitur esse illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum, quando scilicet utitur aliquis causa ludi turpibus verbis vel factis, vel etiam his quæ vergunt in proximi nocumentum: quæ de se sunt peccata mortalia. Et sic patet quod excessus in ludo est peccatum mortale. Alio autem modo potest esse excessus in ludo secundum defectum debitarum circumstantiarum: puta cum aliqui utuntur ludo vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam præter convenientiam negotii seu personæ. Et hoc quidem quandoque potest esse peccatum mortale, propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ, talibus ludis uti non refugiat. Quandoque autem est peccatum veniale, puta si aliquis non tantum afficitur ad ludum, quod propter hoc velit aliquid contra Deum committere."[3]

38. "Ludus est necessarius ad conversationem humanæ vitæ. Ad omnia autem quæ sunt utilia conversationi humanæ, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo

(1) S. Thom. 2. 2. qu. clxviii. art. ii. *Resp.*

(3) Vide ibidem, art. iv. *Resp.* (3) Ibidem. art. iii. *Resp.*

Digitized by Google

utantur, id est, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. . . . Unde illi qui moderate eis subveniunt, non peccant, sed juste faciunt, mercedem ministerii eorum eis tribuendo. Si qui autem superflue sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes."[1]

39. Comœdias valde obscœnas exhibere peccatum grave est, quum sint spectantibus plurimis proximæ peccati occasiones: eas etiam spectare plerumque grave peccatum censendum est, præsertim adolescentibus, quorum libido inde vehementer solet accendi. Cæterum theologi a gravi culpa excusant eos qui comœdiis haud notabiliter turpibus adsistunt curiositatis et solatii causa, quin delectationi pravæ indulgeant, si sine ipsis comœdia exhiberetur. Tragœdiis, vel comœdiis, quæ nihil turpe redolent, absque culpa quis potest interesse, nisi peculiaris fragilitas obstet, vel scandalum immineat.[2] Quamvis igitur, ob abusus, histrionum officium infame habitum sit, secundum se est licitum; et ideo in his provinciis in quibus nulla contra eos lata est specialis censura, et vix audent manifestam turpitudinem ludendo exhibere, non puto eis denegari posse sacramenta, vel sepulturam ecclesiasticam; vel adeuntibus theatrum spectandi causa veniam sacramentalem. Satagere tamen debent confessarii ut pœnitentes sui, præsertim juniores, theatrum non frequentent, quod plurimis extitit ruinæ occasio. "Rapiebant me," confessus est olim S. Augustinus, "spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, et fomitibus ignis mei."[3]

40. "*Choreæ*," ut docet S. Antoninus, "per se licitæ sunt, modo fiant a personis sæcularibus, cum personis honestis et honesto modo, scilicet non gesticulationibus inhonestis. In choreis autem leviter apprehendere manum feminæ vel non erit culpa, vel ad summum venialis." Ita S. Alphonsus.[4] Choreæ autem clericis sunt ex canonum præscripto fugiendæ.[5]

(1) S. Thom. 2. 2. qu. clxviii. art. iii. *Ad tertium.*

(2) "Concerning the unlawfulness (of stage plays) I could never yet see any convincing argument, with what clamor soever they have been decried." Towerson, *Explic. Decalogue*, p. 462.

(3) L. iii. Conf. c. ii.

(4) L. iii. n. 429.

(5) Trid. Sess. xxi. cap. i. de Ref.

Digitized by Google

§. VI. De curiositate.

41. Studium sciendi virtus est; sed curandum ut quisque iis studeat quæ sibi suæque conditioni conveniunt, et diligentiam adhibeat necessariam. Ad studium sapientiæ nos hortatur Spiritus Sanctus: "Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem."[1] Quum homo scire ex naturæ instinctu cupiat, virtus hæc facit ut rerum cognitioni non nimis intendat: quumque laborem discendi quisque detrectet, eadem fit ut hunc assumat, et sustineat. Grave est peccatum rebus perniciosis studendis vacare; vel Dei arcana velle scrutari, humano veluti modulo. Graviter quoque peccat qui studium necessarium ad munia sua addiscenda et explenda negligit.

42. Curiositas vitium est quo quis ea scire studet quæ eum nosse haud oportet. Gravis est culpa ea scire velle quæ peccandi proximam occasionem præbent, uti junioribus obscœnorum cognitio facile affert: vel ea quæ Deus vetuit communicanda, ex: gr: quæ confitendo dicuntur: vel ea quæ proximi famam et utilitates valde lædunt. Graviter etiam peccatur dum quis res aliquas scrutatur, seposita et abjecta divinorum librorum auctoritate, sicut aliquibus geologiæ cultoribus contingit, qui eam nihili faciunt, existimantes Moysen humano instinctu scripsisse, et rerum fuisse ignarum. Quosdam haud absimili ductos ingenio reprehendit Augustinus: "Sunt qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta sit majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime intensissimeque perquirant."[3] Non autem peccant, qui, libris sacris servata reverentia, et Ecclesiæ judicio ex animo se subjicientes, res naturæ investigant rationis lumine, et observatione, et rerum periculo; id sibi persuasum habentes pleraque a sacris auctoribus de eisdem prolata, ex recepta apud suos sententia, et rerum specie. Curiositas grave inducit peccatum quando quis consulit divinos, aliosque hujusmodi qui arcana revelare profitentur: est enim nefanda superstitio. Habet etiam gravioris lapsus periculum, quoties quis studet iis quæ captum suum superant: "Unde

(1) Prov. xxvii. 11. (2) L. de moribus Eccl. c. xxi.

Digitized by Google

dicitur Ecclesiastici III. 'Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.' Et postea sequitur: 'Multos enim supplantavit suspicio eorum, et in vanitate detinuit sensus eorum.'[1]

§. VII. De clementia, et humilitate.

43. Cum temperantia, latiori sensu sumpta, clementia et mansuetudo conjunguntur. "Clementia," docente Seneca, "est lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis:"[2] "Mansuetudo autem non solum est superioris ad inferiorem, sed cujuslibet ad quemlibet."[3] Clementia igitur in moderandis pœnis versatur; mansuetudo domat iram, et suaves efficit mores. Crudelitas opponitur clementiæ: "unde dicit Seneca in II. de clementia, quod crudeles vocantur qui puniendi causam habent, modum tamen non habent. Qui autem in pœnis hominum propter se delectantur etiam sine causa, possunt dici sævi, vel feri, quasi affectum humanum non habentes, ex quo naturaliter homo diligit hominem."[4] Non tamen clementiæ nomine vocanda est nimia illa lenitas qua impunita dimittuntur scelera cum reipublicæ detrimento, quum hæc vitiis, potius quam virtutibus, accensenda sit. Ideo oportet clementiam juxta rationis dictamina, omnium utilitate præ oculis habita, exercere.

44. Mansuetudo plurimum commendatur in Scripturis: "Fili, in mansuetudine perfice opera tua, et super hominum gloriam diligeris."[5] Christus seipsum præbuit magistrum mansuetum: "discite a me, quia mitis sum et humilis corde."[6] Apostolus Tito injunxit, ut admonerent fideles esse modestos "omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines."[7] Magnas habet utilitates virtus hæc eximia; nam qui mansuetus est idoneus est ad divinas capiendas gratias, et ad cælestem adipiscendam hæreditatem: "beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram."[8]

45. *Humilitas* virtus est qua homo ex vera sui cognitione se contemnit, omniaque bona ad Deum referens, culpas vitiaque sua agnoscit. Inde fit ut homo se Deo subjiciens, propter Deum aliis se

(1) Cit. a S. Thom. 2. 2. qu. clxvii. art. i. *Resp.*
(2) L. ii. de clementia. (3) S. Thomas, 2. 2. qu. clvii. art. i. *Sed contra.*
(4) Ibidem. *Ad tertium.* (5) Eccl. iii. 19. (6) Mat. xi. 29.
(7) Tit. iii. 2. (8) Mat. v. 4.

Digitized by Google

subjiciat, eosque se potiores libenter æstimet: juxta illud: "in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes."[1] Cæterum necesse non est ut quis divina dona sibi tributa ignoret, vel neget; sed sufficit ut ea a Deo accepta agnoscens, gloriam omnem illi deberi fateatur. "Non autem," inquit S. Thomas, "hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est Dei in seipso, subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero. Nam illi qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere: secundum illud I. ad Corinthios II. 'Ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.' Et ideo absque præjudicio humilitatis possunt dona quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei, quæ aliis apparent collata."[2] Facile tamen contingit aliquem falli, dum se majora dona accepisse æstimat, quum alius potioribus gaudeat. Nec exigitur ut quis animo habeat persuasum alium quemque se potiorem esse, et Deo acceptiorem, quoties patent vitia sceleraque aliorum, quibus se immunem quis novit; quamvis tutissimum sit se nemini anteferre, nescit enim quisque quæ patrasset scelera, si subsidiis divinis a peccandi discrimine servatus non esset. Meritò igitur Augustinus divinæ gratiæ adscripsit, quod scelera quæque nefanda non patrasset: "Gratiæ tuæ deputo," inquit, "et quæcumque non feci mala."[3] Optime S. Thomas docet: "Non hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est suum in seipso, subjiciat ei quod est hominis in proximo. Alioquin oporteret ut quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio: cum tamen Apostolus absque præjudicio humilitatis dicat, Gal. ii. 'Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.' Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet; vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est: ex quo se potest ei subjicere per humilitatem."[4] "Aliquis absque falsitate potest se credere et pronuntiare omnibus viliorem secundum defectus occultos, quos in se recognoscit, et dona Dei, quæ in aliis latent."[5]

46. In externis actibus modus adhibendus est, ne dum quis nimis se submittit, nequeat sua munia exercere; uti iis qui præsunt facile contingere posset. Animo quidem fovendus est humilis sui sensus, et fastus omnis evitandus; sed auctoritas exercenda est in puniendis reis, et regendis subditis. "Est qui se nimium submittit a multa humilitate."[6]

(1) Phil. ii. 3. (2) S. Thom. 2. 2. qu. clxi. art. iii. *Resp.*
(3) Confess. l. ii. c. vii. (4) 2. 2. qu. clxi. art. iii. *Resp.*
(5) Ibidem, art. vi. *Ad primum.* (6) Eccl. xix. 23.

Digitized by Google

47. Humilitas est virtus maxime necessaria, quum animum paret ad amplissima Dei dona excipienda. Commendatur nobis Christi Domini præceptis et exemplo. Varii ejus gradus recensentur a sanctis doctoribus, quos quis apud S. Thomam, loco mox citato, videre poterit.

Hæc de virtutibus plerisque moralibus diximus, de justitia specialiter mox tractaturi.

Digitized by Google

TRACTATUS X.

DE JUSTITIA.

PRÆVIÆ NOTIONES.

1. Justitia ab Ulpiano definitur "constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi;"[1] est autem, juxta theologos, virtus moralis constanter inclinans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum ad æqualitatem. *Legalis* justitia ea dicitur quæ legum servat ordinem, juraque pro legum dispositione tuetur. Sic qui res suas, quas alter injuria retinet, ex legis auctoritate repetit, legalis justitiæ tenax est. Vindicativa justitia, quæ pœnas pro delictorum ratione irrogat, huic est affinis. *Distributiva* justitia versatur in muneribus, oneribus, et honoribus distribuendis pro singulorum meritis et viribus. Inter cives munera publica distribuenda sunt æqua ratione; violatur enim justitia si indigni præferantur idoneis, vel aliqui nimis graventur. *Commutativa* dicitur justitia quæ rerum æqualitatem respicit: v: g: ut pretium merci, præmium labori respondeat. Restituendi obligatio ex hac violata oritur: quod si, ea illæsa, legum temere prætereatur ordo, vel munera haud æque tribuantur, peccatur, qiun ad restituendum quis teneatur. Sic qui rem suam clam sibi sumpsit, ordine quem in ea repetenda lex præscribit prætermisso, ad eam restituendam non tenetur. Qui munus publicum, quod ex suo arbitrio pendet, alicui tribuit, digniore neglecto, nil huic debet, nisi forsan ex conditionibus contractus, vel lege, illud digniori conferre stricto jure teneretur. Sic qui examen subeunt

(1) L. x. ff. i. 1, de just. et jure.

Digitized by Google

instar concursus, juxta legem Tridentinam, ut parochiale consequantur beneficium, jus habent pro meritorum ratione ad illud consequendum. Quod si episcopus digniorem prætereat, affectui et gratiæ obsequens, injuriam illi facit quam debet reparare, ei alias, prout poterit, providendo. Justitia latissimo sensu omnium virtutum collectionem complectitur, et perfectionem earum aliquando designat; quæ vocis significatio in Scripturis frequens est: "Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam."[1]

2. Vindictam publicam a civili magistratu exercendam divina lex sancit; "dicitur enim ad Romanos xiii. de principe terreno, quod Dei minister est, vindex in iram ei qui male agit."[2] "Vindicatio in tantum licita est et virtuosa, in quantum tendit ad cohibitionem malorum. Cohibentur autem aliqui a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quod timent amittere aliqua, quæ plus amant quam illa quæ peccando adipiscuntur: alias timor non compesceret peccatum. Et ideo per subtractionem omnium quæ homo maxime diligit, est vindicta de peccatis. Hæc autem sunt quæ homo maxime diligit, vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui; et bona exteriora, puta, divitias, patriam, et gloriam. Et ideo, ut Augustinus refert, xxi. *de civitate Dei*, octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius, scilicet mortem, per quam tollitur vita; verbera, et talionem, ut scilicet oculum pro oculo perdat, per quæ amittit quis corporis incolumitatem: servitutem, et vincula, per quæ perdit libertatem; exilium, per quod perdit patriam: damnum, per quod perdit divitias: ignominiam, per quam perdit gloriam:"[3] Ita Angelicus Doctor. Sed de vindictæ in reos exercitio jam egimus.[4] De justitia stricti nominis, quæ scilicet rerum æqualitatem respicit, agendum jam est: quapropter imprimis investiganda est dominii quod cuique competit origo, et quousque extendatur.

(1) Matt. v. 6. (2) S. Thom. 2. 2. qu. cviii. art. i. *Ad primum.*
(3) Ibidem, art iii. *Resp.* (4) Vol. i. tract. iii. c. ix. §. v. et tract. vi. c. vi.

Digitized by Google

PARS I.

DE JURE.

CAPUT I.

DE DOMINIO.

3. De dominii origine quæstio institui solet, quam tamen nonnisi conjectando solvunt plerique.[1] Equidem primo homini dominium in res omnes ab initio concessum liquet ex Genesis narratione: natis autem ei filiis quamdam tributam proprietatem inde etiam colligitur; nam Abel refertur Deo obtulisse munera ex primogenitis gregis sui.[2] Verosimile est ex patris humani generis voluntate imprimis, et deinceps, hominum numero aucto, ex seniorum præcipue arbitrio, rerum proprietatem singulis distributam, quam gentes universæ suis moribus legibusque confirmarunt. Quæ de communitate bonorum haud ita pridem Eugenius[3] aliique excogitarunt principia, humani generis consuetudini perpetuæ adversantur, et inertiæ, rapinæ, et dissidiorum fomitem præbent: sublata enim proprietate, industriæ stimuli subtrahuntur, et justitiæ notio evanescit. Dilucide exponuntur rationes hæ ab Angelico Doctore: "Est etiam necessarium ad humanam vitam, propter tria. Primo quidem, quia magis solicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium, vel multorum: quia unusquisque laborem fugiens, relinquit alteri id quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum. Alio modo, quia ordinatius res humanæ tractantur, si singulis immineat propria cura

(1) Consuli potest Blackstone Comm. l. ii. ch. i. (2) Gen. iv. 4.
(3) Vulgò Owens.

Digitized by Google

alicujus rei procurandæ. Esset autem confusio, si quilibet indistincte quælibet procuraret. Tertio, quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est."[1] Equidem fervente primorum fidelium charitate, inibatur quoddam rerum consortium, quod imitantur qui vota religiosa emittunt; sed in hominum multitudine infinita, nullis legibus adstricta, jus ad omnia sibi usurpanda lites, cædes, et gravissima quæque malà pareret.

4. *Dominium jurisdictionis* dicitur legitima potestas gubernandi suos subditos liberos; quali gaudent episcopi in iis quæ respiciunt animæ salutem, rectores civiles in rebus ad publicum ordinem pertinentibus. Dominium *proprietatis* est jus disponendi de re tamquam sua, nisi lex vel pactum obstet. Pupillus suorum bonorum dominus est,[2] quamvis lex vetet ne de iis disponat. Dominium *plenum*[3] dicitur jus liberum disponendi de re illiusque fructibus tamquam suis: dominium *non plenum* est jus disponendi vel de re sola, vel de solis fructibus. Si de *re sola* quis habeat jus disponendi, dicitur dominium *directum*, quale est domini agri quem tradidit in emphyteusim; si de *solis fructibus*, dicitur dominium *utile*, quo fruitur emphyteuta.[4] Sic nonnulli agros conducunt per aliquot annos eo pacto ut certum jugerum numerum, arboribus excisis, colant, et sepes extruant, et horreum.

5. Dominium *altum* solet vocari jus quod habet respublica in civium bona, ut de iis disponat ob bonum commune.[5] Vi hujus tributa exiguntur, et in rerum difficultate ipsæ civium res arripiuntur, ut publicæ saluti consulatur. In republica cives hæc omnia decernere et agere ipsi videntur, quum suis suffragiis eligant legumlatores, quorum est, collatis consiliis, omnibus prospicere. Cæterum extra necessitatem communi prospiciendi utilitati nulla est gubernatoribus in bona subditorum potestas,[6] et compensatio danda est, juxta constitu-

(1) 2. 2. qu. lxvi. art. ii. (2) Gal. iv. i.

(3) "*Fee simple* is a pure inheritance clear of any qualification or condition." Kent's Commentaries, vol. iv. 5. (4) *Lessee*, seu *Tenant*.

(5) Rejicit Lyonnet jus altum eo quod proprietatem rerum non includat, quod idcirco ad jus imperii refert; sed lis est de nomine. Vide tract. *de Justitia* Lugduni recens editum.

(6) "The right of eminent domain, or inherent sovereign power, it is admitted by all publicists, gives to the legislature the control of private property for public uses only." *Kent's Comm.* vol. ii. part v. lec. xxxiv. n. 339.

Digitized by Google

tionem Americanam.[1] Achabo regi vineam postulanti, pretio oblato, jure optimo restitit Naboth, hæreditatem patrum suorum retinere cupiens; quam quum nonnisi manifesta injustitia tollere posset, Jezabel eum e vivis auferri curavit, ut veluti derelictam occuparet.[2]

(1) "Nor shall private property be taken for public use without just compensation. *Amendments to the Constitution of United States*, art. v.

(2) III. Reg. xxi.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE IIS QUÆ DOMINIO SUBJACENT.

6. Famæ suæ homo quilibet est dominus; eam tamen nemo debet absque gravi causa prodigere, quum plerumque in aliorum utilitatem integra fama nostra redundet; quapropter sacra Scriptura nos monet: "curam habe de bono nomine:"[1] et Augustinus: "nobis necessaria est vita nostra, proximis fama nostra."[2] Si in aliorum detrimentum et ruinam infamia nostra certe vergat, peccat qui eam temere arcessit. Sic sacerdos qui se falso crimine notat, vel occultum prodit, cum ordinis sacri dedecore, damnandus est peccati. Equidem de S. Ambrosio refertur, eum episcopatus declinandi causa, meretrices in domum induxisse, ut locum præberet suspicandi se impudicum esse; sed nil de se protulit quod crimen indicaret. Eo etiam tempore non erat sacro aliquo ordine insignitus; sed præfecturam gerebat civilem: cæterum exemplum imitari non oportet. Sanctum Franciscum Salesium, et S. Vincentium a Paula, qui calumnias patienti tulerunt animo, Deum innocentiæ vindicem suspicientes, tutò quis imitatur, si simplex criminis negatio cum argumentis probabilibus parvi fiat.

7. Vitæ homo non habet dominium; nam quum Deus eam donaverit, tamquam præcipuum beneficium, ingratus foret et injuriosus qui eam tollere vellet. Hinc id Dei proprium prædicatur: "Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem."[3] Nec membrorum suorum homo est dominus; Dei enim opus integrum servare tenetur, nisi necessitas cogat membrum amittere, ut vita servetur: tunc enim ipse naturæ instinctus, quo ad vitam servandum impellimur, facit, ut partem corporis abscindi patiamur.

8. Quum Dei sit vitæ et mortis dominium, principes supremi, vel reipublicæ rectores illud habere censendi non sunt. Potest quidem civi injungi, ut, ob patriæ salutem, certo mortis discrimini se exponat; salus quippe communis est privatorum vitæ anteferenda: sed do-

(1) Eccl. xli. 15. (2) L. de bono viduitatis, c. xxii.
(3) Sap. xvi. 13.

Digitized by Google

minium nullum in vitam exercetur. Potest etiam mortis pœna plectere respublica facinorosos; sed ea in re princeps seu magistratus Dei minister est, et divinæ interpres voluntatis, quæ ex pœnis in veteri lege decretis, et ex ipsa necessitate sceleratos coercendi colligitur. Hoc supremæ potestatis exercitium pseudo-politici quidam impugnarunt, haud satis advertentes gravissima flagitia vix alias ullo posse limite arctari.[1] Equidem optandum ut rarissime tantam pœnam irrogandi urgeat necessitas. Quæ autem usurpata est sæpe potestas a nonnullis facinorosos puniendi, ordine juris prætermisso, et impetu quodam iræ et vindictæ, est vehementer reprobanda, utpote contra divinum vetitum: NON OCCIDES: quæ et pestem clademque reipublicæ minatur.

9. Inter jurisperitos disceptatum est utrum maria et oceanus dominio alicujus subjacere possint. Satis jam exploratum videtur partes maris continenti adjectas, itemque sinus et freta occupari posse, et dominio gentis alicujus subjici, quum ob piscationem, patriæ defensionem, et commercii securitatem id expediat. Oceanus verò et maria magna nullius subjacent dominio, quum nequeant ab ulla gente occupari, et usus sint inexhausti, quo scilicet universi, absque singulorum detrimento, frui possint.[2]

10. Bona quæ dominio subjacent, corporea et incorporea in jure Romano distinguuntur: illa tangi possunt et apprehendi, veluti fundus, vestis, aurum; hæc tangi nequeunt, sed animo concipiuntur, sicut hæreditas, usufructus, usus. *Immobilia* dicuntur quæ scilicet loco moveri nequeunt, v: g: ager, ædificium: quæ Anglice dicuntur *realia:* mobilia quæ transferri possunt e loco in locum,

(1) Vide Muzzarelli, *Buon Uso della Logica*, et Carriere, *de justitia et jure*, vol. ii. n. 764.

(2) Vide Puffendorf *Le Droit de la Nature et des Gens*, l. iv. c. v. et Binkershoek, diss. *de domin. maris*, quem laudat. Kentius dicit: "Navigable rivers which flow through a territory, and the sea coast adjoining it, and the navigable waters included in bays, and between headlands and arms of the sea, belong to the sovereign of the adjoining territory, as being necessary to the safety of the nation, and to the undisturbed use of the neighbouring shores. The open sea is not capable of being possessed as private property. The free use of the ocean for navigation and fishing, is common to all mankind, and the public jurists generally and explicitly deny that the main ocean can ever be appropriated." *Kent's Comm.* vol. i. p. i. lec. i. n. 26.

Digitized by Google

quæ Anglice dicuntur *personalia*, quasi personam domini comitantia.[1]

11. Omnia bona generali nomine "*hereditaments*" apud Anglos vocantur, quia possunt tamquam hæreditas transmitti.[2] Mobilia "*chattels*" dicuntur, quæ *realia* vocantur, quando agitur de jure aliquo in re immobili quod ad tempus sit definitum: *personalia* sunt quæ rebus immobilibus haud inhærent.[3] Sed longe simplicior est, ac magis probanda, judice Kentio,[4] in jure cæsareo adhibita distinctio, qua omnia vel mobilia vel immobilia vocantur.

12. Hominem in hominem jure gentium habere posse dominium alibi ostendimus: quo autem humanitatis sensu exercendum sit insinuavimus.[5] Quum libertas sit homini naturalis, et maxima inter dona meritò recenseatur, injustitia est et facinus immane eos qui liberi sunt vi abducere, et in servitutem dedere: quod nonnumquam apud nos factum dicitur, liberis hominibus nigri coloris, vi, vel dolo, ex Statibus in qua nati sunt, in alios ubi viget servitus abductis. Qui tantum patrarunt crimen tenentur suis impensis eos in libertatem vindicare: et qui eos sibi pretio compararunt, debent, etiamsi pecuniam nequeant recuperare, eos liberos dimittere, quatenus id

(1) "The objects of dominion or property are *things*, as contradistinguished from *persons*: and things are by the law of England distributed into two kinds; things *real* and things *personal*. Things *real* are such as are permanent, fixed and immoveable, which cannot be carried out of their place, as lands and tenements: things *personal* are goods, money, and all other moveables; which may attend the owner's person wherever he thinks proper to go." Blackstone, l. ii. ch. ii. 16.

(2) "An *hereditament*—includes not only lands and tenements, but whatsoever may be *inherited*, be it corporeal or incorporeal, real, personal, or mixed.—Corporeal consist of such as affect the senses; such as may be seen and handled by the body: incorporeal are not the object of sensation, can neither be seen nor handled, are creatures of the mind, and exist only in contemplation. *Ibidem*, n. 18.

(3) "Chattel is a very comprehensive term in our law, and includes every species of property which is not real estate, or a freehold. The most leading division of personal property is into chattels real and personal. Chattels real concern the reality, as a lease for years of land.... It is only personal estate if it be for a thousand years." *Ibidem*, vol. ii. part. v. lec. xxxv. n. 342.

(4) Ibidem, n. 347.

(5) Vol. i. tract. v. c. vi. et tract. viii. c. iv.

Digitized by Google

absque gravissimo sui discrimine fieri possit: nam eos retinendo injuriam continuarent.

13. Quid dicendum de servis qui fuga se proripiunt? Equidem concilium Gangrense, intentato anathemate, vetuit "ne quis alieno servo suadeat ministerium domini sui deserere."[1] Quod si servus, nullo suadente, fugerit in Statum seu provinciam liberam, ex Constitutionis Americanæ auctoritate retrahi potest.[2] Si autem lateat, et ad sacrum tribunal accedat, peccata deponendi causa, non videtur repelli posse ob voluntatem numquam revertendi ad herum:[3] nam pœnæ metus adeo est gravis, ut nemo teneatur, cum tanto sui discrimine, ad pristinam conditionem reverti: præterquam quod libertatis dispendium nonnisi ex necessitate quisquam censeatur pati, præsertim quum nullo sui actu illud amiserit, sed ex majorum suorum calamitate. Servis ex belli eventu si fugerint ad suos, libertatem tribuit jus civile;[4] sicut et servis christianis quorum domini Judæi, vel pagani, vel hæretici forent, et etiam infidelibus qui fidem Christianam amplecterentur:[5] sed legibus nostris manet servitutis vinculum, quoties servus fuerit ex fuga retractus, vel in aliena provincia detectus.

14. Novissimum auctorem, Carriere, secuti, de dominio hominis in proprii ingenii fœtus pauca duximus dicenda. Manifestum videtur nihil esse magis proprium cujuslibet quam quæ suo ingenio peperit: ideoque, etiam seposita lege civili, ab aliis absque injustitia usurpari nequeunt. Qui igitur rem ab alio inventam, auctore invito, publici juris facit, ut utilitatem inde sibi comparet, tenetur ad satis faciendum auctori, lucro reddendo. Qui codicem manu scriptum in lucem edit, auctore pariter invito, debet lucrum, si quod inde derivetur, ei præstare. Cæterum qui negligit ea facere quæ lege exiguntur ut jus et privilegium sibi sit, vel res a se inventas vendendi, vel suos

(1) Cap. *Si quis servum*. 17, qu. 4.

(2) Constitution of the United States, art. iv. §. ii. *Of fugitive Slaves*. Nuper in Suprema curia Statuum fœderatorum decisum est leges a cœtibus Statuum singulorum de mancipiis fuga elapsis latas, irritas esse, quum ex Constitutione eas ferendi potestas Congressui conveniat. Edward Prigg *v.* Commonwealth of Pennsylvania, Jan. 1842.

(3) Vide Lessium de Justitia et Jure, s. i. c. v. Dub. v.

(4) §. Item ea. Instit. *de rerum divis*.

(5) L. Deo nobis, 56. c. *de episcopis et clericis*.

Digitized by Google

libros edendi, sibi imputare debet, si alii sui ingenii fœtibus gaudeant. Lege Americana, a supremo cœtu lata, cavetur, ut qui rei a se inventæ jus velit sibi proprium vindicare, exemplar in officina publica Washingtonopoli, urbe fœderatum provinciarum principe, sede quippe gubernii, deponat, et litteras inde patentes, uti aiunt, accipiat. Qui verò libros suos edendi velit jus habere, debet exemplar in officina publica in urbe in qua eduntur deponere intra tres menses, et libris typo mandatis id enuntiare.[1] Si quis privilegium hujusmodi violet, actio datur civilis. Quod si lis non fiat, ex conscientiæ dictamine tenetur quis ad reparandum damnum, juxta æquum judicum. Idem videtur dicendum quoties quis levi quadam mutatione machinæ novæ, vel libri, legis et privilegii vim facit irritam. Qui libros alias jam editos in hac regione iterum edit, nullam auctori facit injuriam, quum jam sint publici juris. Quamdiu lex non sancit auctoris proprietatem, nequit queri de aliquo bibliopola, qui, suo utens jure, librum iterum edit. Cæterum cavendum ne detrimentum auctori inde eveniat, vel lucri æqui jactura.

(1) Vide Act of Congress anno 1831.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE DOMINIS.

§. I. De dominis civilibus.

15. Hominem rerum dominum a Deo constitutum esse liquet ex Genesi. Porro unusquisque homo dominii capax est, sive sit verus Dei cultor et famulus, sive peccator et infidelis. Meritò rejecta est Wickleffi sententia, potestatem omnem et auctoritatem gubernandi, sicut et dominium, abjudicantis homini peccati gravis reo: "Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus episcopus, dum est in peccato mortali."[1] Equidem quod competit homini in res, vel personas, dominium, non amitti peccato, nequidem infidelitate, liquet ex documentis apostolicis, quæ dominorum, etiam dyscolorum, jura servanda jubent, famulisque præcipiunt ut eis propter Deum obtemperent.[2]

16. Dominium publicum dicitur reipublicæ auctoritas in res omnes publico et communi civium usui destinatas. Sic in pontes, canales, vias dominium habet Status quilibet; in vias quas dicere consuevimus *nationales*, quæ scilicet supremi cœtus auctoritate per varias provincias factæ sunt ob militum faciliorem commeatum, et alios usus toti nationi communes, potestas convenit gubernio generali. Vix autem dominii voce hoc nuncupandum est, quum quilibet status supremus sit, ægreque ferat veri nominis dominium a cœtu generali exerceri.[3] Cæterum publicum de quo agimus dominium ita exercendum est, ut nullus civis a rebus publicis repellatur, quam-

(1) Prop. xxx. Huss, et xv. Wickleffi. (2) I. Pet. ii. 18.

(3) "It appears that congress claim the power to lay out, construct, and improve post roads, with the assent of the states through which they pass. They also claim the power to open, construct, and improve military roads on the like terms, and the right to cut canals through the several states, with their assent, for promoting and securing internal commerce, and for the more safe and economical transportation of military stores in time of war; and leaving, in all these cases, the jurisdictional right over the soil in the respective states." Kent's Comm. vol. i. part ii. lect. xii. n. 268.

Digitized by Google

vis liceat cœtui supremo cujuslibet Status, et totius nationis, conditiones adsignare ex quibus usus pendeat. Sic ad impensas solvendas, tributum quoddam exigitur ab iis qui per canales navicula, vel qui per vias equo rhedave, vehuntur.

17. Dominium *nationale* vocare placet agros publicos, quos scilicet ab Indis emit Præses, nomine Statuum fœderatorum, pecunia vel mercibus pro iis traditis. Hac ratione factum est ut tribus Indicæ jam longius recesserint; quæ et quotannis, nova facta cessione agrorum, ob minimum pretium, fisco generali præbent facilem rationem agrorum venditione novis colonis publicum thesaurum augendi.[1]

18. Apud gentes Europæas plerasque est et *dominium regium;* sed Præses noster ad quadriennium suffragiis civium electus, præter domus, in qua moratur, usum per illud temporis, et annuam 25,000 nummorum argenteorum pensionem, nihil sui muneris proprium habet. Quæ privatim possidet sunt alterius cujusvis civis bonorum ad instar.

19. In quolibet Statu sunt plurima collegia civium legis auctoritate instituta, "*Corporations*" vulgò dicta, quæ vel res communes curant, vel negotiis, litteris, vel aliis quibuscumque rebus vacant. Singula municipia cives qui suis rebus præsint eligunt, qui universitatis nomine bona possident, et auctoritate moderantur rebus communibus. Quousque autem se extendat eorum potestas ex chartis quas a cœtu Status supremo vel a curia suprema obtinent, dignoscendum est. De jure Congressus collegia instituendi disceptatur, quamvis illud exercuerit sæpius, præsertim Fœderatorum Statuum mensa instituenda nummaria.

§. II. De clericorum collegiis.

20. Fuerunt olim in omnibus regnis republicisque christianis col-

(1) "Congress have the exclusive right of pre-emption to all Indian lands lying within the territories of the United States. The United States own the soil, as well as the jurisdiction of the immense tracts of unpatented lands included within their territories, and of all the productive funds which those lands may hereafter create. This immense property has become national and productive stock." *Kent's Comm.* vol. i. part ii. lec. xii. n. 259. De agris quos intra quosdam Status Indi adhuc possident dicit: "These lands belong to the United States, as part of their public domain, subject to the Indian right and title of occupancy." *Ibidem.*

Digitized by Google

legia ministrorum sacrorum, juribus plurimis privilegiisque aucta, quæ bona plurima, universitatis instar, possidebant, quæ *in manu mortua* possidere dicebantur, quum titulus nihil mutaretur, aliquo ex vivis decedente.[1] Ecclesiastica omnia bona pari fere ratione habebantur, licet plerumque ab uno possiderentur, præsule, scilicet, vel presbytero, qui *personam* sustinebat, et, collegii instar, semper vivere censebatur. Hospitia in peregrinorum gratiam, nosocomia ad ægrotos excipiendos, collegia in juvenum institutionem, et plurima alia pari gaudebant privilegio, episcoporum plerumque regimini et auctoritati concredita. Plurima contra ecclesiæ possessiones protulit Wickleffus, satanæ tribuens quod viri ecclesiastici bona possiderent temporalia:[2] ei præcesserant, sæculo decimo tertio ineunte, Waldenses. Legibus plurimis caverant nonnulli Angliæ reges ne piis fidelium largitionibus ditescerent monasteria et ecclesiæ: quos tamen rapacitate et furore longe prætergressus est Henricus VIII., aperta spoliatione ecclesiarum, et sacrilega usurpatione bonorum infamis.[3] Leges illæ in plerisque Statibus fœderatis non obtinent, sed in Pennsylvania censentur vigere.[4]

(1) "Alienation in *mortmain, in mortua manu*, is an alienation of lands or tenements to any corporation sole or aggregate, ecclesiastical or temporal." Blackstone, l. ii. n. 268.

(2) Prop. x. xxxii. xxxiii. xxxvi. xxxix.

(3) Vide apud Blackstone, l. ii. n. 269. qui tamen injuria in monachos invehitur.

(4) "The statutes of mortmain are in force in the State of Pennsylvania. It has been there held and declared, by the judges of the Supreme Court of that state, that the English statutes of mortmain have been received, and considered the law of that state, so far as they were applicable to their political condition; and that they were so far applicable, 'that all conveyances by deed or will, of lands, tenements, or hereditaments, made to a body corporate, or for the use of a body corporate, were void, unless sanctioned by charter, or act of assembly.' In the other states, it is understood, that the statutes of mortmain have not been reenacted, or practised upon." Kent's Comm. vol. ii. n. 283. Citat 3 *Binney's Rep. App.* 626. "The statutes of mortmain apply in Pennsylvania, only so far as they prohibit dedications of property to superstitious purposes, or grants to corporations without a statutory license." *Methodist Church* v. *Remington*, 1 Watts' Rep. 218. apud Kent. ibidem in Not. Lege anno 1730 lata, fit facultas Protestantibus accipiendi agros aliaque in ecclesiarum erectionem, vel scholarum vel pauperum hospitium. In statu Massachusetts, anno 1835, diaconi et æditui ecclesiarum Protestanticarum pari facultate donati sunt.

Digitized by Google

21. In Statibus fœderatis nullus ordo Religiosus lege agnoscitur, nisi forsan charta concessa Patribus Eremitis S. Augustini, uti factum est a cœtu supremo Pennsylvaniæ, vel monialibus Visitationis a cœtu supremo Washingtonopoli. Cæterum nec hæc instrumenta efficiunt ut ab aliis civibus discernantur singuli qui ad universitatem hujusmodi pertinent; sed jura manent eadem, et idem quod alii valent exercere dominium, nisi quoad ea in quibus, juxta chartæ conditiones, collegium seu universitas habentur. Nihil tamen obstat quin viri fœminæque votum solemne paupertatis nuncupent, serventque, juxta superiorum arbitrium; quamvis si contingat hæreditatem illis obvenire, vel donum, suo nomine agant necesse est. Renuit sancta sedes sanctimonialium Gallicarum vota, quæ in præsenti rerum conditione nuncupata sunt, agnoscere solemnia,[1] quia leges plures objiciunt obices proprietatis abdicationi: sed nihil hujusmodi apud nos occurrit, nec enim ulla est legum latoribus solicitudo de rebus hujusmodi, sed libera manet conscientia voluntasque cujusque civis.

§. III. De bonis ecclesiasticis.

22. Ad eos quod attinet qui bona temporalia Ecclesiæ haud convenire contendunt, eo quod Christus pauper esset, non habens ubi caput reclinaret, et Apostoli circumierint, nullam certam sedem habentes, et nihil possidentes, animadvertendum ipsum Christum habuisse loculos, in quibus, apud eorum latorem, deponebantur piorum eleemosynæ: et Apostolos haud repulisse fideles dona sua ferentes, quibus omnium necessitatibus consuleretur. Equidem hominum societas, qualis est Ecclesia, indiget necessariò subsidiis quibus cultus impensis et ministrorum sustentationi provideatur: quæ proinde præstare decet fideles divitiis abundantes. Constat ecclesias domosque in præsulum habitationem a christianis habitas, etiam ethnicis imperantibus;[2] quas Constantinus, anno 312, christianis servari jussit[3]. Optimo exemplo imperator, anno 321, decedentium voluntatem in Ecclesiæ gratiam ratam habuit, et executioni fideliter mandari jussit: "Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholico venera-

(1) Vide Resp. S. Pœnitentiariæ ad Superiorem seminarii Nannetensis die 28 Novembris, 1818.

(2) Euseb. Hist. Eccl. l. vii. c. xxx.

(3) Ibidem, l. x. c. v.

Digitized by Google

bilique concilio decedens bonorum quod optaverit relinquere ; et non sint cassa judicia (ejus). Nihil enim est quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, et licitum quod iterum non redit arbitrium."[1]

23. Injuria bona ecclesiastica, quæ majorum pietas in usus religionis contulit, invaserunt principes cœtusque civiles, et ad alios transtulerunt usus, a mente donatorum prorsus alienos; nam nulla reipublicæ in ea potestas, nisi necessitate salutis communis urgente. Optime scripsit Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, anno 881, ad Ludovicum III.: "Sunt qui dicunt, ut audivi, quia res ecclesiasticæ episcopiorum in vestra sint potestate, ut cuicumque volueritis, eas donetis. Quod si ita est, ille malignus spiritus, qui... primos parentes nostros perdidit, perditionem vestram in aures vestras susurrat. Sanctus namque Spiritus, per eos qui cum Christo in cœlo regnant, et in terris miraculis coruscant, dixit, et usque ad nos scriptis pervenire fecit, dicens, res et facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium ... si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ et Saphiræ."[2]

24. Quæ semel dicata sunt divino cultui, imperatorum piorum liberalitate, vel privatorum studio, vel ab episcopis ipsis ex suo patrimonio, et fidelium largitionibus, numquam licuit repetere. Idcirco Ambrosius Valentiniano imperatori, ecclesiam in usum Arianorum poscenti, magno animo restitit, nolens præterea aliquatenus favere hæresi. "Respondi, quod erat ordinis, templum Dei a sacerdote tradi non posse ... Convenior a comitibus et tribunis, dicentibus imperatorem jure suo uti, eo quod in potestate ejus essent omnia. Respondi, si a me peteret quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, quidvis hujusmodi meum, me non refragaturum : quamquam omnia quæ mei sunt essent pauperum: verum ea quæ sunt divina, imperatoriæ potestati non esse subjecta. Si patrimonium petitur, invadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego vallabor circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor.—Mandatur denique: trade basilicam. Respondeo: nec mihi fas est tradere: nec tibi accipere, imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temerare: domum

(1) In cod. Theod. l. xvi tit. ii. leg. iv. et in cod. Justin. l. i. tit. ii. l. i.
(2) Epist. xii. n. iv. Oper. t. ii. p. 190.

Digitized by Google

Dei existimas auferendam? Allegatur imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere; sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: 'Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.' Ad imperatorem palatia pertinent; ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum."[1]

25. Gravissimis et justissimis pœnis compescuit Ecclesia eos qui sacrilega rapacitate bona ecclesiastica rapere ausi sunt. Sic in concilio Lugdunensi II. lata est in eos excommunicationis sententia:[2] quam innovavit concilium Tridentinum his verbis: "Si quem clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis, vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia, et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, ecclesiæ, ejusque administratori, sive beneficiato integre restituerit; ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem ecclesiæ patronus fuerit, etiam jure patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipso privatus existat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat, nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur."[3]

26. Ad ædituos aliosve laicos bona temporalia Ecclesiæ administrantes quod spectat, gravissime peccant et excommunicationis sen-

(1) Ep. xx. (2) Can. xii. apud Labbe, t. xi. part. i. col. 982.
(3) Sess. xx. cap. xi. de Reform.

Digitized by Google

tentia se irretiunt, quoties bona illa ad alienos usus convertunt, vel sibi usurpant, in sacrorum ministrorum, vel Ecclesiæ, detrimentum. Qui igitur denegant sacerdotibus rite designatis ab episcopo subsidia consueta ad honestam sustentationem necessaria, contra justitiam peccant. Qui Ecclesiæ thesauro abutuntur ut libellos famosos edant, vel lites instituant injustas, præsertim contra præsules presbyterosve, ad omnia damnanda resarcienda tenentur. Qui bona in scholarum usum, vel ad cultum speciatim donata, vel legata testamento, in alios usus convertunt, pari restituendi oneri subjiciuntur. Tenentur autem singuli in solidum.

27. Sacra ecclesiarum supellex est custodienda et transmittenda in earum utilitatem, nec temere cuiquam tamquam sua usurpanda. Equidem quæ quis sibi pecunia comparavit, vel quæ alter ei donavit vasa sacra, seu vestes, potest retinere: sed quæ a fidelibus in cultum divinum data sunt, plerumque censenda sunt in communem utilitatem destinata, nisi contrarium constet: quapropter sacrilegus est qui ea, contra donatorum mentem, aufert, suaque facit. Sic et bona immobilia habenda sunt ecclesiæ, non autem cujusquam, nisi in fideicommissum. Bene scripsit Lessius: "Nemo in particulari habet dominium bonorum immobilium ecclesiæ vel supellectilis sacræ; sed cœtus ecclesiasticorum cujusque ecclesiæ habet dominium bonorum suæ ecclesiæ."[1]

28. Bona ecclesiastica juxta donatorum intentionem sunt adhibenda: si autem eveniat aliquid quod huic dispositioni obstet, præsulum, vel aliorum, quorum interest, erit summi Pontificis implorare auctoritatem; ipse enim, utpote toti Ecclesiæ præfectus, præcipuus bonorum ecclesiasticorum dispensator est. Poterit igitur piam donatorum voluntatem in illa rerum conditione interpretari, et Ecclesiæ utilitatibus consulere. Hinc pontificia auctoritas sæpe sæpius adhibita est ad condonandas injurias a sæculi principibus, vel populo, illatas in tempestatibus infelicibus. Sic Julius III. anno 1554, indulsit Anglis ut bona ecclesiastica direpta a possessoribus teneri pergerent. Idem Gallis præstitit Pius VII. in Concordato cum gubernio Gallico inito 15 Julii 1801, et 15 Augusti eodem anno a Pontifice confirmato.[2]

(1) De Justitia et Jure, §. i. cap. iv. Dub. vii.

(2) Vide hæc fuse apud Carriere, Tract. de justitia et jure. vol. i. par. i. §. i. c. iv. quæst. 2.

Digitized by Google

29. In fœderatis Statibus quæ fidelium pietas contulit bona sunt ecclesiarum et monasteriorum. In nonnullis lex obstat ne in fidei commissum cuiquam concredantur, quod de Statu Neo-Eboracensi, præsertim post Statutorum emendationem, qua omnes fere usus sublati sunt, dicendum est. In Pennsylvania ex veteri lege lata, anno 1730, sectæ Protestanticæ privilegio fruuntur agros aliaque bona immobilia accipiendi in ecclesiarum scholarumve situm, vel in cœmeteria, vel pauperum hospitia. Cæterum ex doctrina de fideicommissis et usibus, quæ in Pennsylvaniæ tribunalibus obtinet, colligitur ea quæ in fidei-commissum alicui traduntur in ecclesiarum etiam catholicarum utilitatem teneri posse, dummodo nulla oneretur conditione quæ ad superstitionem, ex judicum sententia referatur:[1] quapropter decretum primi concilii provincialis Baltimorensis, de ecclesiis in posterum haud consecrandis quæ non fuerint episcopo in fidei commissum traditæ, in fidelium utilitatem,[2] in hac diœcesi plenum sortitum est effectum, uti ex Synodo Philadelphiensi prima,[3] et reipsa constat. De usibus seu fideicommissis universim statuit lex curiam supremam posse curare ut impleantur, designato etiam fideicommissario, si desit.[4] Obtinentur etiam facile a Suprema Curia chartæ, instrumenta scilicet quibus fit facultas *collegiis* bona possidendi in orphanorum usum, vel ob ecclesiarum utilitatem, vel alios ob usus cum Religionis profectu connexos, dummodo redditus non excedant bis mille nummos quotannis.[5] In Statu Neo-Jerseæ lex facit facultatem cuilibet cœtui religioso, prævia per decem dies notitia, ædituos eligendi, septem numero ad summum, qui res temporales curent, et bona possideant, quæ bis mille nummos argenteos quotannis valore non excedant.[6] In statu Delavarensi similis viget lex, quæ tamen proventus annuos intra ducentas libras quas vocant sterlinas arctat. Cavetur etiam lege ne quis aliquid alicui cœtui religioso causa mortis donet; opus scilicet est ut instrumentum con-

(1) "The mortmain acts apply to corporations exclusively, and trusts made for charitable uses and purposes, *not deemed superstitious*, have not been held to be invalid." Porter's case, 1 co. 24. a. apud Kent Comm. l. ii. n. 282. Note.

(2) Decr. v. (3) Const. iii.

(4) Purdon's Digest, art. *Trusts.*

(5) Ibidem, art. *Corporations.*

(6) Elmer's Digest, art. *Religious Societies.*

Digitized by Google

ficiatur integro saltem anno ante mortem, et suum plenum effectum statim consequatur:[2] quæ lex ab Anglis desumpta videtur.[2]

30. Bona ecclesiastica nullo fere gaudent privilegio. In Pennsylvania tamen ecclesiæ omnes, et loca adjacentia, sicut et collegia, eximuntur lege a tributis.

31. Quæ possidentur ex legis sanctione vi chartæ securius habentur, quamvis quæ in fideicommissum data sunt, valeant in Statibus in quibus lex non obstat. Quæ episcopo alterive in proprietatem sunt tradita, eo tamen consilio ut in fidelium utilitatem serventur, plurimis obnoxia sunt periculis, quum ære alieno gravari possint, vel testamento haud rite confecto in aliorum manus transire. Optandum foret ut in singulis Statibus lex impetraretur, qua episcopus posset ecclesias et presbyteria in usus publicos possidere; quod in Marylandia jam est concessum. Cæterum ubicumque æditui sunt, eos meminisse oportet bona ecclesiastica Dei quodammodo esse, et ita administranda, ut cultui provideatur, et sacrorum ministrorum decenti sustentationi. Profectò fideles decet haud se negotiis ecclesiasticis immiscere, sed suam præstare operam ut Ecclesiæ jura illæsa sint. Quod si ad alienos usus bona ecclesiastica distrahantur, in pœnas a Tridentino concilio latas, quas promulgavit concilium primum Baltimorense, incidunt tanti criminis rei, et ad reparanda damna tenentur.

32. De dominio clericorum in bona quæ eis contingunt inter theologos quæritur. Clericorum bona *patrimonialia* sunt quæ a patre sibi provenerunt hæreditatis nomine, vel alia quæcumque titulo profano. Dominio pleno eorum gaudent, quum sacer gradus jus quod habent non tollat. *Quasi patrimonialia*, seu *industrialia*, habentur quæ acquirunt ex functionibus ecclesiasticis. Hæc etiam pro æquo suo arbitrio impenduntur. *Parcimonialia* dicuntur quæ ex redditibus ecclesiasticis servant parcius vivendo: quæ proinde eidem arbitrio subjacent. De *bonis mere ecclesiasticis*, fructibus scilicet beneficiorum, controvertitur, utrum eorum dominium, vel administratio tantum penes eos sit. Quamvis autem variæ sint theologorum de ea quæstione sententiæ, "certum est, quod beneficiarii tenentur sub mortali redditus superfluos suæ sustentationi in usus pios, aut in

(1) Laws of Delaware, art. *Religious Societies*.
(2) 9 Geo. ii. c. 36. cit. a Blackstone, l. ii. n. 274.

Digitized by Google

pauperes erogare." Ita docet S. Alphonsus.[1] Restituendi tamen onus si temere eos impenderint, plerique theologi non injungunt.[2]

33. Utrum autem beneficiorum instar habenda sint quæ in pluribus Statibus clericis committuntur munera pastoralia cum agrorum fructibus qui presbyteriis adnectuntur, quæri potest. Nobis videntur ea bonorum ecclesiasticorum speciem præseferre, quum sint bona immobilia ex fundatorum mente illi usui destinata, et episcopi vel alterius fidei commissa. Quamvis autem in tribunalibus civilibus ecclesiastica bona non habeantur, in foro tamen Ecclesiæ ita spectanda videntur. Hinc si quis iis fruens munus suum prorsus negligat, ad restituendum obligatus censendus est: quod si proventus superflui ei sint, munera licet exequenti, debet in pios usus, vel in pauperum levamen eos impendere.

34. Quid verò dicendum de annuis stipendiis quæ salarii nomine impenduntur ob ædituis ex sedilium in ecclesiis redditibus, vel alias ex thesauro Ecclesiæ. Equidem S. Pœnitentiaria, de pensionibus quas gubernium Gallicum solvit presbyteris, loco redditiuum quos antea ex beneficiis percipiebant, interrogata, respondit eos censeri redditus ecclesiasticos.[3] Quamvis pensio presbyteris ab ædituis nomine fidelium soluta, locum redditiuum quibus antea gaudebant non teneat, tamen ob officium pastorale quum solvatur, eique adnectatur, ad beneficii rationem quodammodo accedit: idcirco censemus de ea pariter dicendum. Liquet plane injustitiam admitti, si officio neglecto quis pensionem sibi vindicet. Cæterum quum præcipue detur ob munera quæ curam animarum respiciunt, non censemus restitutionem deberi ab eo qui, his impletis, officium recitare negligit. Non facile definiri potest quantum restituendum sit, si quis aliqua neglexerit munera, v: g: confessiones excipere, vel verbum Dei prædicare: sed plerumque socordia discussa, satis erit hortari ut erga pauperes liberalem se præstet. Idem dicendum videtur de pecunia quæ superest ex pensione, quæ plerumque modica est.

35. De ære collatitio, quod, oblationum veterum instar, inter Missarum solemnia solet colligi, decet omnino ut parocho tradatur in sui sustentationem, juxta morem vetustissimum. Quidquid au-

(1) Theol. Mor. l. iii. n. 491. §. iv.

(2) Vide Lessium, *de Justitia et jure*, §. i. c. iv. Dub. vi. n. 44.

(3) 9 Jan. 1823, resp. pro diœcesi Monspeliensi.

Digitized by Google

tem ei hac ratione contingit, vel occasione baptizandi, vel nuptias celebrandi, vel alias, juxta pias et laudabiles consuetudines, inter bona quasi patrimonialia recensetur, quorum liberum dominium ei conceditur : uti ex responsione S. Pœnitentiariæ jam laudata habetur. His autem ita uti oportet, ut sacra auri fame non agatur, sed pauperibus subveniat; charitatis enim lege præcipue ligantur Christi ministri.

36. Quidquid in certum aliquem usum a fidelibus collatum est ; v : g : in orphanorum sustentationem, vel pauperum levamen, sicut consuevit fieri, concionibus quas dicunt charitatis habitis, sancte est impendendum juxta conferentium consilium : nec sine injustitia manifesta, quæ restituendi fert necessitatem, alio distrahitur.

§. IV. De filiisfamilias.

37. Quæ filiifamilias nondum emancipati habent, variis nominibus in jure civili insigniuntur ; *castrensia*, scilicet, *quasi castrensia*, *adventitia*, et *profectitia*. *Castrensia* dicuntur quæ acquiruntur militiæ ratione, stipendia faciendo, vel in principis aula obsequia præstando, vel in arcis custodia. Horum plenum dominium et usus iis permittuntur. *Quasi-castrensia* vocantur, quæ castrensium instar in lege habentur, dominio et usu eorum concessis, licet reapse a castrensibus discrepent. Sic quæ clericus ex beneficio ecclesiastico, vel alias post clericatum, recipit, ejus committuntur arbitrio. Quæ aliquis acquirit ex officio publico haud mechanico, v. g. advocati ; vel ex professione scientiæ et artis liberalis pari privilegio gaudent. *Adventitia* nuncupantur quæ filio-familias adveniunt, neque a patre, neque ejus intuitu : v : g : ex amicorum donatione, vel successione in bona materna, vel labore artificiali. *Profectitia* denique sunt quæ filius acquirit vel ex patris bonis, iis administrandis, vel patris intuitu, puta dono patris ergo ei dato. Horum dominium et jus patri tribuunt leges Romanæ ; quæ et adventitiorum administrationem et usumfructum ei vindicant, eorum dominio relicto filio.[1] Hæ distinctiones non reperiuntur in legibus quibus utimur, nec in Anglicis, vel Gallicis hodiernis :[2] sed quæ ad filium certo quodam titulo pertinent,

(1) L. ii. Inst. in tit. 9.
(2) Cod. civ. ab art. 371. ad art. 489.

Digitized by Google

patris committuntur custodiæ; et quæ labore acquisiverit, poterit pater etiam sibi vindicare, nisi filio e domo dimisso, visus sit liberam ei facere facultatem suam operam locandi. Attamen quæ seorsim a patre acquisiverit arte propria, vel commercio peculiari, licet in domo paterna, filii omnino sunt, juxta codicem Gallicum.[1] Filius qui vigesimum primum annum ætatis expleverit, sui juris est.[2] Poterit idcirco exigere mercedem pro labore, nam "pietatem liberi parentibus, non operas debent."[3] Ante illam ætatem quæstio est apud theologos, utrum filius possit exigere vel subtrahere mercedem ob operam specialem patri haud indigenti præstitam. Lessius, De Lugo, Cabassutius aliique affirmant; contradicentibus Laymann, Antoine, Billuart, aliisque. Negantibus assentimur, quum ita ferat lex civilis, et æquum videatur ut alimenta donaque a patre præstita merces habeantur. Cæterum si constet aliquem e filiis patri suas præstitisse operas, dum cæteri suis studerent utilitatibus, non videretur teneri ad restituendum quæ in sui mercedem bona fide sustulit, ni forsan modum plane excesserit.[4]

§. V. De uxoribus.

38. Bona uxoris jure civili in tria distribuuntur genera, *paraphernalia* scilicet, *dotalia*, et *communia*. *Paraphernalia* dicuntur quæ uxoris usui et dominio prorsus servata sunt[5] in contractu matrimo-

(1) Cod. civ. art. 387.

(2) "A father has no other power over his son's *estate* than as his trustee or guardian; for though he may receive the profits during the child's minority, yet he must account for them when he comes of age. He may indeed have the benefit of his children's labour while they live with him, and are maintained by him." Blackstone Comm. l. i. n. 453. "In *Gale* v. *Parrott*, it was observed, that if the minor was eloigned from the parent, he might, of necessity, be entitled to receive the fruits of his own labour, and that it would require only slight circumstances to enable the court to infer the parent's consent to the son's receipt and enjoyment of his own wages... A father may, by agreement with his minor child, relinquish to the child the right which he would otherwise have to his services, and authorize those who employ him to pay him his own earnings... The son, in such cases, may make a valid special contract with his employer." *Kent's Commentaries*, vol. ii. part iv. lec. xxix. n. 194.

(3) Lege penult. ff. *de obseq. parent. præb.*

(4) Vide Carriere *de just. et jure*, vol. i. p. 378.

(5) Cod. *de pactis conventis.*

Digitized by Google

niali, vel quæ ipsi post matrimonium sunt acquisita, sive donatione, sive legato, ea præsertim quæ maritus ejus commisit arbitrio. Quæ ornatus causa ei concessa sunt hoc nomine apud nos veniunt.[1] *Dotalia* bona ea sunt quæ marito obveniunt uxoris causa ob contractum matrimonialem:[2] v: g: bona immobilia quæ ipsa suo jure possidebat, vel quæ pater ejus concessit. Horum administratio et ususfructus penes maritum sunt: dominium autem manet penes uxorem, quæ, eo defuncto, ea iterum recipit. Pecunia verò quæ dotis nomine plerumque datur mariti prorsus est.[3] *Communia* bona in jure nuncupantur omnia quæ, durante matrimonio, communi labore et industria comparantur. Horum proprietas pro dimidia parte est penes uxorem, quæ censetur æque suam operam contulisse, sed administratio et ususfructus sunt penes maritum.[4]

39. Jure communi, Anglico, et Americano, omnia bona immobilia quæ uxor possidebat tempore contractus matrimonialis cedunt marito, qui iis fruitur durante utriusque vita,[5] et si superstes fuerit,

(1) "In one particular instance the wife may acquire a property in some of her husband's goods: which shall remain to her after his death, and not go to his executors. These are called her *paraphernalia*, which is a term borrowed from the civil law, and is derived from the Greek language, signifying something over and above her dower. Our law uses it to signify the apparel and ornaments of the wife, suitable to her rank and degree; and therefore, even the jewels of a peeress usually worn by her, have been held to be *paraphernalia*. These she becomes entitled to at the death of her husband, over and above her jointure or dower, and preferably to all other representatives. Neither can the husband devise by his will such ornaments and jewels of his wife." *Blackstone's Comm.* l. ii. n. 436.

(2) "The separate property of the wife is divided into dotal, being that which she brings to the husband to assist in the marriage establishment, and extra-dotal or paraphernal property, being that which forms no part of the dowry. The husband is the head and master, and the proceeds of the dowry belong to the husband, during the marriage." *Kent's Comm.* vol. ii. part iv. lec. xxviii. Sic apud Gallos paraphernalia habentur omnia uxoris bona in dotem non constituta. Cod. civ. art. 1574.

(3) L. vii. digesti.

(4) In Louisiana . . . the rights of married women are regulated by the civil law." *Kent's Comm.* vol. iv. part vi. lect. iv. n. 46. Vide et vol. ii. part. iv. lec. xxviii. n. 184.

(5) "If the wife, at the time of marriage, be seized of an estate of inheritance in land, the husband, upon the marriage, becomes seized of the freehold, *jure uxoris*, and he takes the rents and profits during their joint lives.' *Kent's Commentaries*, vol. ii. part. iv. lec. xxviii. n. 130.

Digitized by Google

et proles sit nata, donec ipse maritus vixerit.[1] Nequit tamen ea vendere, vel oneribus gravare.[2] Potest quidem alienare jura illa quæ *realia* dicuntur, adnexa scilicet bonis immobilibus: v: g: quæ ex instrumento scripto ad certum annorum spatium oriuntur.[3] Pleno jure autem utitur pecunia quam uxor secum affert,[4] vel quam ei debitam recuperavit.[5] Si contigerit maritum mori antequam eam receperit, uxor suo jure eam sibi vindicat. Quam pecuniam sibi uxor, durante matrimonio, opera et industria comparat, mariti est, quum ipse onera matrimonii alias sustentet. Cæterum non videtur culpanda uxor quæ in usus proprios necessarios sumit quæ ita comparavit, præsertim si maritus negligat ei subvenire.

40. Communia haberi possunt bona immobilia quæ marito et uxori, durante matrimonio, simul data sunt, vel quæ ab iis una empta sunt. Hæc uterque possidet, adeo ut nequeat alteruter ea vendere absque alterius consensu. Alterutro defuncto alter ea pleno possidet jure.[6] Jure tamen civili, quod in Louisiana obtinet omnia

(1) "If there has been a child of the marriage born alive, the husband takes the estate absolutely for life, as tenant by the curtesy." *Kent's Commentaries*, vol. ii. part iv. lec. xxviii. n. 130.

(2) "He cannot alien or encumber it, if it be a freehold estate, so as to prevent the wife, or her heirs, after his death, from enjoying it, discharged from his debts and engagements." *Ibidem.*

(3) "The husband, upon marriage, becomes possessed, also, of the chattels real of the wife, as leases for years, and the law gives him power, without her, to sell, assign, mortgage, or otherwise dispose of the same as he pleases, by any act in his lifetime; except it be such on interest as the wife hath, by the provision or consent of her husband, by way of settlement." *Ibidem.* "In Georgia . . all marriages since 1785, vest the real equally with the personal estate of the wife in the husband." Vol. iv. part vi. lec. lv. n. 29.

(4) "As to personal property of the wife, which she had in possession at the time of the marriage, in her own right, and not *en auter droit*, such as money, goods and chattels, and moveables, they vest immediately and absolutely in the husband, and he can dispose of them as he pleases, and on his death they go to his representatives, as being entirely his property." *Ibidem*, n. 143.

(5) "As to debts due to the wife, at the time of her marriage, or afterwards, by bond, note, or otherwise, and which are termed *choses in action*, the husband has power to sue for, and recover the same; and when recovered, and reduced to possession, and not otherwise, the money becomes absolutely his own." *Ibidem.* (4).

(6) "If an estate in land be given to the husband and wife, or a joint purchase

Digitized by Google

mariti bona durante matrimonio acquisita communia sunt, quorum dimidia pars, defuncto alterutro, alteri cedit, parte altera hæredibus defuncti data.[1]

41. Dotalia uxoris bona, juxta mores nostros, sunt tertia pars bonorum omnium immobilium, quæ maritus durante matrimonio possederit,[2] quæ idcirco non potest alienare, in uxoris præjudicium, nisi ipsa, seorsim interrogata a magistratu, libere consenserit, et subscribendo instrumento, suo renuntiaverit juri. Si maritus testamento uxori legaverit quædam bona, ut dos ejus excluderetur, penes eam est ea respuere ut suo jure fruatur. Cæterum nonnisi per vitam suam jus ejus manet, eaque defuncta transit ad mariti hæredes.

42. "Si non concedat maritus *congruam sustentationem*, potest uxor eam sibi clam surripere. Illud extendit Collet ad expensas in honesta recreatione et decenti sui ornatu faciendas, modo non sint notabiles, nec excedant quod aliæ ejusdem conditionis mulieres piæ et timoratæ conscientiæ expendere solent." Ita Carriere.[3] "Uxor potest etiam providere ex bonis communibus, si alia non habeat, sustentationi necessariæ patris vel matris, vel prolis propriæ ex alio matrimonio, si indigeant, modo remaneant necessaria marito et ejus familiæ; quia tenetur his subvenire, isti speciale jus habent alimenta ab ea petendi, nec vir potest rationabiliter id inique ferre."[4] Eleemosynas modicas pro sua conditione potest erogare uxor, juxta plerosque theologos: quod si id vetet maritus, paci domesticæ imprimis con-

be made by them during coverture, they are not properly joint tenants, nor tenants in common, for they are but one person in law, and cannot take by moieties. They are both seized of the entirety, and neither can sell without the consent of the other, and the survivor takes the whole." *Kent's Commentaries*, vol. iv. part vi. lec. lv. (1.)

(1) Ibidem, vol. ii. part iv. lec. xxviii. n. 184.

(2) Dower—exists where a man is seized of an estate of inheritance, and dies in the lifetime of his wife. In that case she is at common law entitled to be endowed, for her natural life, of the third part of all the lands whereof her husband was seized, either in deed or in law, at any time during the coverture, and of which any issue which she might have had might by possibility have been heir." *Ibidem*, vol. iv. part vi. lect. lv. n. 35. (3.) "Dower attaches to all real hereditaments, such as rents, commons in gross, or appendant, and piscary, provided the husband was seized of an estate of inheritance in the same." *Ibidem*, n. 41.

(3) De Justitia et Jure, vol. i. n. 270. (4) Ibidem, n. 271.

Digitized by Google

sulendum est, juxta illud Augustini: "Nonne si ampliorem misericordiam cogitans, ideo pauperibus res tuas erogare differres, ne scandalizatus maritus tuus Deo periret, uberiores tibi Deus eleemosynas imputaret?"[1] Si maritus prodigus sit et decoctor, plerique concedunt posse mulierem clam subtrahere pecuniam, qua et familiæ necessitatibus provideat, et in posterum servet subsidia, nam mariti negotia utiliter gerit. Denique excusatur uxor quæ bona communia impendit ad mariti damnum impediendum, quod fecit Abigail, idcirco a Davide laudatus.[2]

43. Maritus peccat contra justitiam si bona uxoris propria, et ejus arbitrio servata, usurpet, ipsa invita, vel ad assentiendum fraude vel metu inducta. Restituere idcirco ei debet, vel ejus hæredibus. Quod si prodige utatur bonis quæ occasione nuptiarum ipsi contingunt, vel bonis communibus, peccat quidem, sed justitiam non videtur violare, quum lex ei det plenum eorum arbitrium. Si bona filiorum prioris matrimonii, quorum administrationem ei concredi contigerit, distrahat, ad restitutionem tenebitur; nam tutoris, seu curatoris munere, instar aliorum, fungi debet.

§. VI. De servis.

44. "Quod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur: non tamen et jure naturali: quia, quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt."[3] "Servus nec est dominus vestimenti quotidiani," ait Justinianus, "quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest."[4] Tradit etiam jus servos, quidquid acquirant quavis causa, vel occasione, dominis acquirere.[5] Cæterum consuetudine aliquatenus mitigatus est rigor iste:[6] quapropter servi aliquando quoddam habent peculium, ex dominorum consensu. Quæ sibi comparant laborando per noctem, diurno penso jam peracto, sua sunt. Sic quandoque heri faciunt facultatem servis ut suam locent operam, (quod tamen lege prohibetur ob abusus

(1) Epist. ad Ecdiciam cclxii. (olim 199.) (2) 1 Reg. xxv.
(3) Dig. l. l. tit. xvii. de Reg. Juris, 32.
(4) L. *Id vestimentum*, ff. de peculio.
(5) Instit. *per quas personas cuique acquir.* §. Item nobis.
(6) Lessius de Just. et jure, c. iv. dub. iv.

Digitized by Google

facile inde provenientes,)[1] certa pecuniæ summa per singulos menses reddenda. Quod si industria et solertia sua majorem summam comparent, excessum retinere licebit. Jus civile dat servis actionem contra dominos, "si dicant se suis nummis redemptos, et non manumissos contra placiti fidem."[2] Lege Mississippiensi vetatur ne servus suo jure possideat equum, vel jumenta quælibet, vel pecora:[3] et ne bombycem in sui usum, etiam ex dominorum venia, colat.[4] Damna tamen quæ forsan intulerint dominis furtis levioribus, vel alia ratione, vix reparanda sunt ex peculio hujusmodi, quum tota sua vita in eorum utilitatem cedat: et lex cogat dominos ad restituenda quæ servi aliis abstulerint.[5]

(1) Lege Status Mississippiensis imponi potest mulcta centum scutatorum hero eam facienti facultatem servo, qui et vendi potest curiæ auctoritate, pretii tertia parte in litterarum subsidium cessura, reliqua parte, impensis deductis, indici tradenda. Sect. xxvi. Act June 18, 1822.

(2) L. Vix 55. π. de judicis.

(3) "It shall not be lawful for any slave to possess in his or her own right, any horse, mare, gelding, mule, or any other cattle, sheep, or hogs whatever." Sect. xli. Act June, 18, 1822.

(4) Ibidem. Sect. xliii.

(5) "The master, employer, or overseer of such slave, shall restore the goods and chattels so stolen, to the owner." Ibidem, sect. lvi.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE DOMINIO ACQUIRENDO.

45. Ut quæ de dominii acquisitione dicenda sunt omni ambiguitate careant, de jure nonnulla sunt præmittenda. *Jus* est legitima facultas ad aliquid vel faciendum, vel prohibendum, vel obtinendum, vel retinendum; vel ad utendum eo, vel de eo disponendum. *Jus in re*[1] dicitur quando res facta est sua, adeo ut actio in eam detur, v: g: in rem emptam et traditam:[2] *jus ad rem* dicitur si res tradita non sit, ita ut actio detur in personam tantummodo: v: g: in venditorem ut mercem tradere cogatur. Ut jus in re habeatur, tria requiruntur, nempe *res*, *titulus*, et *traditio*. Fructus futuri anno proximo pertinebunt ad fundi dominum, vel beneficii possessorem, qui tamen jus in iis non habet, quum nondum existant. Deficiente titulo non habet fur jus in iis quæ surripuit. Emptor qui solvit pretium pro frumenti modiis, vel alia quapiam merce, nondum tamen designata et tradita, jure in iis caret, adeo ut si casu pereant, nil ipse damni patiatur. Qui habet jus in re, potest eam sibi vindicare actione *reali:* qui habet jus ad rem, tantum *personalem* actionem instituere valet in eum qui rem reddere recusat.

46. Ad dominium acquirendum jure civili requiruntur plerumque *titulus* et *traditio:* "traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur."[4] Cæterum absque traditione dominium habetur, quando aliquid datur aut venditur civitatibus, ecclesiis, aut aliis piis locis, aut in redemptionem captivorum.[5] In beneficiis jus in re acquiritur sola collatione et acceptatione.[6] Hæreditatis, sive per testamentum, sive ab intestato, dominium acquiritur hæreditatem

(1) Mat. v. 6.
(2) "Complete and perfect right." Blackstone, l. ii. n. 312.
(3) "Inchoate and imperfect right." Ibidem.
(4) Ex. leg. trad. Cod. de pactis.
(5) L. ult. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.
(6) Cap. Si tibi absenti. De præb. in 6.

Digitized by Google

adeundo;[1] adiri autem hæreditas censetur cum eam hæres verbo vel facto acceptet. Legatarius legati acquirit dominium statim a morte testatoris.[2] Donans res suas alii ea conditione, ut donatarius præbeat donanti alimenta, conditione haud impleta statim recipit earum dominium absque ulla traditione.[3] Jure *communi* Anglico, quod apud nos etiam obtinet, pactis transfertur dominium absque rei traditione, si res fuerit designata.[4]

47. Titulus, sive *verus*, sive *coloratus*, sive *præsumptus* ad dominium exigitur. Titulus *verus* est radix legitima unde dominium oritur: v: g: emptio a priore domino. Titulus *coloratus* dicitur quando aliquis latet defectus, licet speciem veri tituli præseferat: v: g: emptio a priore possessore qui habebatur vulgò rei dominus, quamvis non esset. Sic qui emit agros ab homine qui litteras patentes a supremo regimine obtinuerat, titulum verum habet, si nemo alias obtinuerit eosdem agros: quod si contigerit agros illos priori concessione comprehendi, titulus erit coloratus. Titulus *præsumptus* ille dicitur quem lex extitisse præsumit ob temporis diuturni possessionem pacificam. Sic in Pennsylvania qui agros possedit a viginti quimque annis, nequit inde ejici ob titulum priorem, cujus intra illud temporis spatium vindiciæ nullæ fuerunt.

48. *Possessio facti* est rei apprehensio corporis, animi et juris adminiculo. Res quæ possidetur vel corporea est, ut ager, domus; vel incorporea, ut census, beneficium, servitus. *Corpore* apprehenditur vel in se, uti manibus, pedibusve, quæ possessio dicitur *vera;* vel in alio; v: g: glebæ vel clavium traditione, vel instrumento pub-

(1) L. Cum hæredes, de acquir. vel amitt. poss.

(2) L. A Titio ff. de furtis. (2) L. i. Cod. de trad. quæ sub modo.

(3) "When the terms of sale are agreed on, and the bargain is struck, and every thing that the seller has to do with the goods is complete, the contract of sale becomes absolute, without actual payment or delivery, and the property and the risk of accident to the goods, vest in the buyer." *Kent's Commentaries*, vol. v. part. v. lec. xxxix. n. 492. "The goods sold must be ascertained, designated, and separated from the stock or quantity with which they are mixed, before the property can pass." *Ibidem*, n. 496.

(4) "The corporal tradition of lands being sometimes inconvenient, a symbolical delivery of possession was in many cases anciently allowed; by transferring something near at hand, in the presence of credible witnesses, which by agreement should serve to represent the very thing designed to be conveyed; and an occupancy of this sign or symbol was permitted as equivalent to the occu-

Digitized by Google

lico. Hæc possessio dicitur ficta. *Animi* apprehensio in eo est posita ut quis rem apprehendat, vel retineat, animo possidendi; quapropter depositarius non dicitur possidere. Juris adminiculum exigitur, quatenus necesse est ut lege non impediatur, ne talis apprehensio censeatur possessio. Hinc detentio rei sacræ a laico non est possessio, jus enim obstat.[1] Fur tamen vere possidet rem quam furto abstulit.

49. *Possessio juris* est jus insistendi rei tamquam suæ non prohibitæ possideri. Ex possessione facti justa oritur jus rem pacifice tenendi, et juris remediis utendi adversus eos qui possessionem perturbare quærunt. Hinc aliquando de jure possessionis agitur, antequam de dominio decernatur: illa causa *possessoria* dicitur, hæc *petitoria*. Possessorem nemo potest deturbare, nisi legis auctoritate.

50. Possessio *civilis* est ea qua res, corpore et animo apprehensa, solo animo retinetur.[2] Sic rei dominus *civiliter* possidet rem quam fur apud se retinet. "Possessio servi et ancillæ non amittitur per ipsorum fugam, ut patet l. Pomponius 13. π ibidem:"[3] Civilis igitur est possessio. Possessio *naturalis* est qua res corpore et animo occupatur, ut cum quis rem occupat de facto, vel per se, vel per alium, quam etiam retinere cupit. Possessio naturalis simul et civilis *firmissima* dicitur. *Civilissima* a nonnullis dicitur possessio quam lex tribuit etiam ignoranti: v: g: hæreditas possideri censetur, licet hæres ignoret eam sibi obtigisse.

51. Possessor potest armis suam possessionem, etiam civilem, tueri;[4] quapropter si domum rediens, invenias eam ab alio injuste occupatam, poteris eum, auxilio invocato, ejicere. Poterit etiam dominus possessionem armis repetere confestim postquam ab ea injuste deturbatus est;[5] non autem post diuturnum intervallum. Sic furem res secum auferentem licet insequi, easque sibi recuperare, vi

pancy of the land itself." . . . "Conveyances in writing were the last and most refined improvement." *Blackstone's Commentaries*, l. ii. n. 313. "Delivery of possession was, anciently, necessary to the valid transfer of land." *Kent's Commentaries*, vol. ii. part v. lec. xxxiv. n. 327.

(1) L. qui universos de acquir. et amitt. possess.

(2) Instit. de Interdictis. §. Possidere.

(3) *Lessius De Justitia et Jure*, sect. i. c. iii. dub. xii.

(4) L. 3. π. de vi et vi armata, et l. i. c. *Unde vi*, et cap. *Olim*, de restit. spol.

(5) L. 3. ubi supra.

Digitized by Google

adhibita. Confestim autem fieri censetur, quod fit quamprimum commode fieri poterit. Sic si contigerit res noctu ex rheda rapi, qui mane insequuntur fures, eorumque detegunt latebras, poterunt armis res repetere. Qui clam fraudeve possessionem sibi sumpsit, quam precariò acceperat, ex legis auctoritate facile amovetur. Si res defuncto subtrahatur, possessio ejus adjudicatur hæredi, postquam hæreditatem adierit.[1] Si clam vel palam tradita sit alicui, tamquam legatario, quum talis non foret, recuperatur etiam possessio.

(1) Instit. de Interd. l. i. π. et c. *Quorum bonorum.*

Digitized by Google

CAPUT V.

DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM.

§. I. De occupatione.

52. *Occupatione* acquiruntur quæ nullum habent dominum: "quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur."[1] Animalia omnino fera, sylvestria, vagantia per sylvas, vel alias in loco publico non circumsepto, fiunt primò occupantis. Hinc lupi, cervi, lepores, etc. venatoribus sunt libera præda, ubi leges non obstant. In Pennsylvania vetitum est lege anno 1760 lata, ne quis in alienis agris, qui fuerint exculti, vel circumsepti, venaretur, absque domini consensu: tempusque venandi a prima die Augusti, ad primam diem Januarii definitum est: mulcta transgressoribus imposita.[2] Cæterum justitiam non violat, qui hanc transgreditur legem nisi venando damnum inferat agrorum dominis. Quod si feræ in loco circumsepto includantur, domini loci habentur. Feram ab uno læsam ab altero captam capientis esse statuit Justinianus:[3] cæterum quoties ita sit vulnerata ut evadere non possit, vel alias sit penes insequentem, merito censetur ejus esse.[4] De apibus tenendum est eas domini alvearii esse, licet inde avolaverint, quamdiu in conspectu domini manserint, ita ut sit spes eas reducendi: alias esse capientis, quum eas alveario suo incluserit.[5]

(1) §. Feræ, Inst. *de rerum divisione.*

(2) Purdon's Digest, art. *Hunting.* Vide et Elmer's Digest of the laws of New Jersey, art. *Game.*

(3) §. *Item Quæsitum.* Instit. *de rerum divis.*

(4) "The possession must be so far established, by the aid of nets, snares, or other means, that the animal cannot escape." *Kent's Commentaries*, vol. ii. part v. lec. xxxv. n. 349.

(5) "If a swarm of bees had flown from the hive of A, they were reputed his so long as the swarm remained in sight, and might easily be pursued; otherwise they became the property of the first occupant. Merely finding a tree on the land of another, containing a swarm of bees, and marking it, does not vest the property of the bees in the finder. Bees which swarm upon a tree do not become private property until actually hived." *Ibidem*, n. 350.

Digitized by Google

53. Pisces qui in mari versantur, vel in fluminibus quæ navigari possunt, et in quæ æstus maris fertur, capientibus cedunt:[1] sed in fluviis minoribus jus piscandi plerumque servatur vicinis riparum dominis,[2] qui et retia quibus includantur sæpe jaciunt. Qui igitur pisces ex retibus auferunt, injuriam, quam compensare debent, faciunt dominis. Cæterum in Pennsylvania fluvii majores habentur communes, adeo ut omnibus jus piscandi in iis vindicetur.[3] Legibus Pennsylvaniæ et Delavariæ jus piscandi in flumine Delavarensi regitur, mulctis gravioribus impositis iis qui absque licentia piscantur, vel die dominica, vel temporibus quibusdam anni. Sic et lex Status Delavariæ licentiam piscandi exigit, et pœnas alienigenis aliisque absque venia piscantibus imponit.[4]

54. Animalia cicurata ex feris, ut cervi, pavones, columbæ domesticæ, si consuetudinem redeundi amiserint, pristinam libertatem recuperasse censentur, ideoque fiunt occupantis:[5] e contra si soleant adhuc redire, manent domini. Hinc columbæ nequeunt absque injustitia a columbario quod frequentant ad alienum allici fraude et artificio, laqueis vel aliis hujusmodi adhibitis. Quod si quis cibum meliorem in suo columbario reponat, vel illud in loco opportuniori statuat, utitur jure suo.

(1) "The right of fishing in navigable waters, is founded on such plain principles of natural law, that it is considered by many jurists as part of the law of nations." *Kent's Comm.* vol. iii. part vi. lec. lii. n. 413.

(2) "It was a settled principle of the common law, that the owners of lands on the banks of fresh water rivers, above the ebbing and flowing of the tide, had the exclusive right of fishing, as well as the right of property opposite to their respective lands *ad filum medium aquæ*." *Ibidem*, n. 411.

(3) "In Pennsylvania, the English doctrine that no rivers are deemed navigable, so as to give the common right of fishing, except those where the tide ebbs and flows, has been held not to be applicable to the great rivers in that state, and that the owners of land on the banks of such rivers as the Susquehanna and Delaware, for instance, have no exclusive right of fishing in the rivers opposite their respective lands. The right to fisheries, in such rivers, is declared to be vested in the state, and open to all the world; and a similar exception to the rule of the common law has been suggested to exist in South Carolina." n. 418.

(4) Vide art. *Fisheries*, in Legum Digestis.

(5) §. *Parvorum*, instit. de rerum divis. "When they return to their natural liberty and ferocity without the *animus revertendi* the property in them ceases." *Kent's Comm.* vol. ii. p. v. lec. xxxv. n. 348.

Digitized by Google

55. Lapilli, gemmæ, ambrum, corallum, etc. in littore maris inventa, occupantis sunt. Lapidicinæ verò, fodinæ plumbi, ferri, carbonis, sunt domini fundi, juxta leges moresque nostros, quod et de argento, aut auro, si forte contigerit inveniri, dicendum videtur.

§. II. De rebus inventis.

56. Animalia natura mansueta et domestica, ut oves, boves, sues, equi, gallinæ, etc. etsi longe aberrent, dominorum tamen sunt, ideoque iis restituenda: nam dicitur "furtum committere qui hæc animalia cum effugerint, detinet."[1] Quod si dominus ignoretur, poterit qui ea invenit, postquam publica monitione frustra dominum quæsiverit, ea retinere, donec comparuerit, ea, solutis impensis, iterum recepturus. Si omnis evanuerit spes dominum inveniendi, theologi nonnulli censent animalia esse invenientis.[2] Lex Pennsylvaniæ jubet, ut scribæ publico comitatus intra quatuor dies denuntiet inventor animalia, quæ post publicas monitiones venduntur, si dominus non comparuerit, pretio in thesaurum comitatus deferendo, post solutas impensas.[3] Similia in legibus Statuum Delavariæ, et Novæ Jerseæ inveniuntur, quæ qui neglexit mulctæ est obnoxius.[4] Quæ damna intulerit animal resarcienda sunt ex ejus pretio. Qui animalia quæ a dominis aberraverunt, retinet, omissa omni diligentia ad inveniendos dominos, injustitiæ reus est; debetque deinceps si domini nequeant inveniri, vel ipse nequeat rem prodere absque sui discrimine, in pauperum levamen pretium impendere.

57. Thesaurus est "vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat."[5] Jure naturali et gentium est inventoris: jure cæsareo illius quoque est si in fundo suo inveniatur: si in alieno, pars dimidia cedit domino fundi, altera pars inventori.[6] Si in loco sacro inventus sit fortuitò thesaurus,

(1) §. *Gallinarum* Instit. de rerum divisione.

(2) Vide S. Alphonsum de Ligorio, l. iii. n. 603.

(3) Vide Purdon's Digest, art. *Strays.*

(4) Vide Emler's Digest, art. *Cattle;* and Laws of Delaware, art. *Strays.*

(5) L. *numquam* ff. *de acquir. rer. domin.* Etiam alia bona in terra deposita hoc nomine apud nos veniunt.

(6) Lege Unica c. *de thesauris.* Sic et Codex Civilis apud Gallos, art. 716. Jus Anglicum thesaurum *treasure-trove* regi vindicat. Status Neo-Eboracensis

Digitized by Google

totus fit inventoris. Si data opera, pars dimidia est Ecclesiæ. Apud nos, thesaurus ubique cedit inventori, leges enim nihil de eo decernunt.

58. De rebus inventis universim constat eas dominis restituendas, si innotescant, vel reperiri possint, res enim ad dominum clamat in quascumque manus devenerit. Præmium autem a domino oblatum inventori qui rem restituat accipi poterit, juxta plerosque, quum detur ob rem pretio æstimabilem nempe ut excitetur quisque ad majorem diligentiam.[1] Quod si diligentia adhibita domini haud reperiantur, servandæ erunt res, quamdiu manserit spes eos detegendi: vel si nequeant servari, vendendæ erunt ut servetur pretium. Si omnis sublata sit spes, sunt qui dicunt inventorem posse res sibi retinere, quum dominum amisisse censeantur, ideoque sint primò occupantis.[2] Cæterum Catechismus Romanus tradit res inventas esse pauperum; et piorum consuetudo habet, ut, domino haud detecto, iis dentur, quod plerique theologi docent necessariò faciendum.[3] Si quis, diligentia frustra adhibita ad inveniendum dominum, res in sui usum converterit, domino postea comparente, reddere debet id in quo factus est ditior: si neglexerit dominum inquirere, reparare oportebit damna inde secuta. Si bona fide dederit eas pauperibus, ad nihil tenebitur. Leges civiles plerumque exigunt ut res omnes inventæ

illud olim imitatum est. "Goods found *hidden* in the earth go under the denomination of *treasure-trove*. Such goods, in England, belong to the king; and in New York they formerly belonged to the public treasury; for the statute of 4 Edw. I. was re-enacted by the *act concerning coroners*, which directed the coroner to inquire, by jury, of treasure said to be found, and who were the finders in recognizance to appear in court." Sed in emendatione legum illud omissum est, quapropter illic, sicut et aliis in Statibus, cedit inventori. *Kent's Comm.* ubi supra, n. 358.

(1) Vide Lyonnet de Justitia, p. i. art. iv. n. 4.

(2) S. Alphonsus Theol. Moral. l. iii. n. 603. Consonat Kentius: "Another instance of acquisition by occupancy, which still exists under certain limitations, is that of goods casually lost by the owner, and unreclaimed, or designedly abandoned by him; and in both these cases they belong to the fortunate finder. But it is requisite that the former owner shall have completely relinquished the chattel, before a perfect title will accrue to the finder; though he has, in the mean time, a special property sufficient to maintain trover against every person but the true owner." *Kent's Comm.* vol. ii. part v. lec. xxxvi. n. 356.

(3) Vide Lyonnet, *ubi supra*.

Digitized by Google

ad publicam deferantur notitiam, et si dominus non detegatur, fisco cedant, data aliquando inventori mercede.[1]

§. III. De bonis vacantibus.

59. Bona *vacantia* dicuntur quæ quis intestatus reliquit, cui nullus hæres juxta legem ab intestato decedat. Jus civile ea tribuit fisco,[2] exceptis bonis mobilibus peregrinorum quæ episcopo cedunt, pios in usus impendenda.[3] Jus Anglicum olim tribuit episcopo jus in bona omnium qui absque testamento discesserant, quorum "tertia pars in opus ecclesiæ et pauperum dispensanda" erat, juxta Innocentii IV. decretum;[4] sed recentioribus legibus episcopus jubetur propinquis defunctorum bonorum administrationem permittere.[5] Leges Americanæ inter propinquos ea distribuunt, administratoris opera; sed curiam civilem arbitram constituunt.[6]

60. Alienigenarum qui absque testamento decesserint bona, plerumque sibi vindicat fiscus Status in quo discesserint, jure quod dicitur vulgo *escheat:*[7] attamen in quibusdam Statibus distribuuntur hæredibus, instar bonorum quæ ad cives pertinent, quæ legum liberalitas in Louisiana, Pennsylvania, Marylandia, Illinois, et Ohio,[8] viget etiam in Galliis novo jure.[9] Ubi non viget, justitiam non

(1) "In Massachusetts, the finder of lost money or goods must give notice as prescribed, and if no owner appears within one year, one half goes to the finder and the other half to the town." Kent's Comm. vol. ii. n. 356.

(2) L. Vacantia, Cod. de bonis vacantibus.

(3) Ex authent. Omnes peregrini. (4) In Decretal. l. iii. t. 3. c. 42.

(5) 31. Edw. iii. c. xi. 21 Henric. viii. c. v. apud Blackstonium, l. ii. n. 495.

(6) "In our American law, we have assigned this, as well as other secular matters, to the courts and magistrates of civil jurisdiction." *Kent's Comm.* vol. ii. part v. lec. xxxvii. n. 409. (1.)

(7) "Though an alien may purchase land or take it by devise, yet he is exposed to the danger of being divested of the fee, and of having his lands forfeited to the state, upon an inquest of office found; and if he dies before any such proceeding be had, we have seen that the inheritance cannot descend, but escheats of course." *Ibidem*, part iv. lec. xxv. n. 61.

(8) "In Louisiana, Pennsylvania, Maryland, Illinois and Ohio, the disability of aliens to take, hold, and transmit real property, seems to be entirely removed." *Ibidem*, n. 70.

(9) Lex 14, Julii 1819 apud Carriere, vol. i. de justitia, n. 360.

Digitized by Google

violat filius bona patris sibi usurpans, quum illi faveat naturæ jus, vel saltem gentium omnium consuetudo naturæ admodum consentanea: cui vix derogare valet lex specialis, nisi in foro externo. Propinqui bona defuncti usurpantes, si filii desint, non videntur injustitiæ rei, si ea inter se distribuant, prout fieret ex legis sanctione, si civis fuisset: quod enim jus illud lex deneget alienigenæ, et Statui vindicet bona, referendum est ad externum regimen, potius quam ad juris definitionem; ideoque non ligat conscientiam, quamvis si executioni demandetur, necesse sit haud resistere. Cæteri qui nullum jus habent, si bona defuncti haud deferant Statui, sed in usus pios impendant, in pauperum levamen, orphanorum institutionem, vel alios fines vere pios, non sunt culpandi, quum nullius jus violent: sed nulla ratione possunt sibi usurpare et in suos usus convertere, nisi illis constet de voluntate defuncti sibi ea donandi. Si supersint filii, iis bona omnino tradenda sunt, nisi fisco dentur, vel nisi plane sint indigni et prodigi. Si propinqui inopia premantur, iis præ aliis subveniendum est. Non auderemus autem damnare eum, qui neglectis propinquis haud indigentibus, daret bona defuncti pauperibus: propinqui enim jus strictum non habent.

61. Bona *derelicta* dicuntur quæ quis abjicit, nolens ea inter res suas amplius recenseri. Jure civili sunt primo occupantis; quod et juri naturali est consonum. Quæ autem naufragaturi abjiciunt, servandi vitam, vel navem causa, vel quæ ex naufragio colliguntur, non sunt inter derelicta computanda.[1] Ea eripientes naufragis anathemate merito perculsi sunt.[2] Qui ea celant, dominis quærentibus, in Statu Delavariæ in carcerem trudendi jubentur, donec duplum valoris reddant.[3] Similia habet lex Status Novæ Jerseæ. Supremus

(1) "This right of acquisition, by finding, is confined to goods found *upon* the surface of the earth; and it does not now extend to goods found *derelict* at sea, though abandoned without hope of recovery." . . . "All *wrecks* are likewise excluded from this right of acquisition by occupancy." . . . "Shipwrecked goods, if unreclaimed for a year, are to be sold, and the proceeds paid into the public treasury. The statutes have been extended in practice to all goods and money lost, hidden, waived, or designedly abandoned, when no owner appears." Sic de legibus provinciæ Massachusetts loquitur Kentius, vol. ii. part v. lec. xxxvi.

(2) Bulla in Cœna Domini. "Peut-on imaginer un usage plus noble, et plus touchant de la suprématie religieuse?" De Maistre, *Du Pape*, ch. xv.

(3) Laws of Delaware, art. *wrecks*.

Digitized by Google

autem Cœtus Statuum Fœderatorum anno 1825 recensuit prædantes bona naufragorum inter gravissimos reos, eosque fecit obnoxios pœnæ carceris per decem annos, et mulctæ quinque millium nummorum.[1]

62. Quæ in terra jacent ligna arida et mortua plerumque derelinquuntur cuilibet ea auferre volenti; non ita quæ sepium instar sunt, vel alias usui alicui destinata. Qui in sylvis alienis cædunt ligna, damnum debent reparare, quod in locis adhuc non excultis nullum plerumque est, interest enim dominorum ut arbores tollantur ad solum frumento parandum: sed in locis excultis majus vel minus est, pro rerum adjunctis. Prope civitates et oppida lignum plurimi valet, sicut omnibus in locis in quibus raræ sunt arbores, ex: gr: in immanibus pratis Occidentalium quorumdam Statuum, præsertim Illinois.

§. IV. De alluvione, specificatione, etc.

63. *Alluvione* dominium acquiritur; quod scilicet vi aquarum fundo alicui paulatim adjungitur, ad dominum fundi pertinet. Si autem pars magna subito aquarum impetu ab aliquo fundo abripiatur, ejus dominium manet penes fundi dominum.[2] Alveus fluminis, si aquæ aliò declinent, vicino fundo accrescit. Jus Anglicum regi tribuit quidquid subito aquarum impetu, vel alia ex causa subitanea, congeritur, si magni sit momenti.[3]

(1) Sect. ix. "If any person shall plunder, steal, or destroy any money, goods, merchandise, or other effects, from or belonging to, any ship or vessel, or boat, or raft, which shall be in distress, or which shall be wrecked... every person so offending shall be guilty of felony, etc." Act of Congress, an. 1825.

(2) Instit. l. ii. tit. 1. n. 20, 21. "If a fresh water river, running between the lands of separate owners, insensibly gains on one side, or the other, the title of each continues to go *ad filum medium aquæ;* but if the alteration be sensibly and suddenly made, the ownership remains according to the former bounds, and if the river should then forsake its channel and make an entire new one in the lands of the owner on one side, he will become owner of the whole river, so far as it is enclosed by his land. This is the general doctrine as to alluvions. If soil be formed out of the sea or a river, by slow and imperceptible alluvion and accretion, it belongs to the owner of the adjoining land." Kent's Commentaries, vol. iii. part. vi. lec. lii. n. 428.

(3) Vide Blackstone's Comment. l. ii. ch. xvi. n. 262.

Digitized by Google

64. Insulæ quæ in mari aliquando nascuntur, jure civili fiunt occupantis; jure Anglico servantur regi:[1] quæ in fluviis sunt, ad dominum ripæ propioris pertinent; ad utrumque pro dimidia parte, si fundus ex utraque parte diversum habeat dominum.[2] Juxta leges Pennsylvaniæ insulæ comitatui vel Statui vindicantur, quas proinde nemo sibi retinere poterit nisi ex auctoritate publica instrumento scripto firmata.[3]

65. Per *specificationem* acquiritur dominium, quoties res aliena ad aliquam artificii speciem insumpta est. Si res ad priorem statum reduci valeat, ad dominum adhuc pertinet: v: g: si ex auro alieno poculum quis fecerit, auri dominus poculum sibi vindicare poterit: artificii tamen pretium solvendum est, si bona fide artifex egerit, et opus sit domino utile. Si nequeat ad priorem statum res reduci, qui bona fide ea usus est, ejus fit dominus, ea tamen conditione ut rei valorem et damna, si quæ sint, priori domino compenset. Sic vestem ex aliena lana conficiens, fit ejus dominus.[4] Si ex tabulis alienis, vel lateribus, domum ædificaveris, ea erit tua, pretium

(1) "All islands, relicted land, and other increase arising in the sea, and in navigable streams, except under local circumstances, . . . belong to the crown; and all islands, relicted land, and the soil of inland unnavigable rivers and streams under similar circumstances, belong to the proprietor of the estates to which such rivers act as boundaries; and hence it may be considered as law, that all islands, sand beds, or other parcels of agglomerated or concreted earth, which newly arise in rivers, or congregate to their banks by alluvion, reliction, or other aqueous means, as is frequently to be observed in rivers where the current is irregular, such accumulated or relicted property belongs to the owners of the neighbouring estates." Schultes, *on Aquatic Rights*, p. 138.

(2) "Islands situated in a river—belong to the person who owns the land on that side of the river to which they are nearest, though, if they be situated in the middle of the river, they would belong in severalty to the owners on each side. according to the original dividing line, or *filum aquæ*, continued on from the place where the waters begin to divide." Kent's Comm. vol. iii. part. vi. lec. lii. n. 428.

(3) Consule Purdon's Digest, art. *Islands*.

(4) Inst. l. ii. tit. i. n. 25. "If A should make wine out of the grapes, or meal out of the corn of B, or make cloth out of the wool of B, or a bench, or a chest, or a ship, out of the timber of B, the most satisfactory decision, according to the Institutes of Justinian, is, that if the species can be reduced to its former rude materials, the owner of the materials is to be deemed the owner of the new species; but if the species cannot be so reduced, as neither wine nor flour can

Digitized by Google

tamen tabularum, vel laterum, solvendum erit: at si navem integram ex tabulis alienis confeceris, navis pertinet ad dominum tabularum.[1] Deficiente bona fide re utentis, verosimilius videtur dominium haud acquiri; ideoque poterit rei dominus, si velit, eam sibi vindicare.[2]

66. Per *accessionem* dominium habetur, quando ornamentum rei alienæ adjicitur;[3] si enim rem pretio haud valde superet, et ab ea nequeat divelli, absque ejus detrimento, erit rei domini, quia "accessorium naturam sequi congruit principalis."[4] "Sic usufructuarius qui domus parietes pinxerit, nequit picturam delere cum parietum detrimento. E contra si in tela aliena pictor pulchram imaginem exhibeat, tela illius fit, dummodo ejus pretium solvat: 'ridiculum enim est picturam Apellis in accessionem vilissimæ tabulæ cedere."[5] Sed si quis alieno papyro, seu pergameno, aliquid inscripserit, seu poema, seu opus quodcumque, cessit jure Romano rei domino:[6] non ita tamen recentioribus moribus est receptum, quum enim charta plerumque vili sit pretio, opus jam æstimatur principale, ideoque satis est si scriptor chartæ pretium solvat.[7]

be reduced back to grapes or corn, then the manufacturer is deemed to be the owner, and he is only to make satisfaction to the former proprietor for the materials which he had so converted." Kent's Comm. vol. ii. part v. lec. xxxvi. n. 364.

(1) Dig. vi. i. 61.

(2) "The English law will not allow one man to gain a title to the property of another upon the principle of accession, if he took the other's property wilfully as a trespasser." Kent's Comm. ubi supra. n. 363.

(3) Latius apud recentiores sumitur: "The right of accession is defined in the French civil code to be the right to all which one's own property produces, whether that property be moveable or immoveable, and the right to that which is united to it by accession, either naturally or artificially." Kent's Comm. vol. ii. part. v. lec. xxxvi. n. 361.

(4) Reg. Juris in 6. xlii.

(5) Inst. l. i. tit. i. n. 34.

(6) Immerito affirmat Kentius Comm. vol. ii. part v. lect. xxxvi. n. 363. jus Romanum haud sibi constare, et legem hanc veluti absurdam traducit; olim enim materies solidior erat et pretiosior, quæ merito habebatur principalis, quum scripti valor incertus foret.

(7) Ita lex Gallica habet: "It holds, that the paper is a thing of no consideration in comparison with the composition, and that the author has a higher, and consequently, the principal interest in the written manuscript, and the whole shall belong to him on paying B for the value of his paper." Ibidem.

Digitized by Google

67. Per *commixtionem* et *confusionem* acquiritur nonnumquam dominium. Commisceri dicuntur solida cum solidis, ut nummi cum nummis, frumentum cum frumento. Confundi dicuntur liquida, vel liquefacta ejusdem sive alterius speciei, quando ita coeunt ut nulla pars assignari queat, quæ de utroque non participet. Sic vinum cum vino confunditur, aurum etiam cum auro, argentum cum stamno liquefactione. De commixta pecunia statuit jus civile: "Si alieni nummi, inscio vel invito domino, soluti sunt, manent ejus cujus fuerant. Sed si mixti aliis sunt ita ut discerni non possint, ejus fieri qui accepit in libris Cassii scriptum est, ita ut furti actio domino cum eo qui dedisset competeret."[1] Idem de aliis rebus commixtis, (v: g: de frumento,) quæ discerni a se invicem nequeunt, plerique dicunt theologi ob parem rationem. De confusione ex utriusque domini consensu facta, tenendum est rem fieri utrique communem, et judicis arbitrio dividendam.[2] Si verò confusio facta sit, altero nesciente, vel invito, dominium confundenti acquiritur, nisi modica tantum pars rerum confusarum ad eum pertinuerit: tenetur tamen solvere pretium alteri. Jure communi Anglico, quod et Americanum est, tota res cedit ei qui injuriam est passus;[3] sed legis rigor judicum sententiis mitigatus est.[4]

68. Per *ædificationem* dominium acquiritur, nam "ædificium semper solo cedit."[5] Cæterum si ex aliena materia in tuo solo ædifices scienter, duplum pretii teneris illi reddere."[6] Si ex tua materia in alieno solo scienter ædifices, ædificium fit illius, quin materiæ pretium tibi teneatur solvere: præsumitur enim te eam donare vo-

(1) L. si alieni, ff de solutionibus. (2) Inst. l. i. tit. i. §. si duorum 27.

(3) "The common law, with more policy and justice, to guard against fraud, gave the entire property, without any account, to him whose property was originally invaded, and its distinct character destroyed. If A will wilfully intermix his corn or hay with that of B, or casts his gold into another's crucible, so that it becomes impossible to distinguish what belonged to A from what belonged to B, the whole belongs to B." Kent's Comm. vol. ii. p. v. lec. xxxvi. n. 365.

(4) "This rule is carried no further than necessity requires. . . So, if the corn or flour mixed together were of equal value, then the injured party takes his given quantity, and not the whole. This is Lord Eldon's construction of the cases in the old law." Ibidem.

(5) Inst. l. i. tit. i. n. 29, 30. Vide et Kent's Comm. ubi supra, n. 262.

(6) Ibidem §. cum in suo. Hæc pœna non est legibus Anglicis vel Americanis sancita.

Digitized by Google

luisse.[1] Si constet te noluisse donare, et bona fide ædificaveris, pretium tibi erit solvendum.[2]

69. Per *implantationem* et *sationem* dominium acquiritur, nam arbores et plantæ in fundo alicujus collocatæ, cedunt fundi domino, "si modo radices egerint, ante enim quam radices egerint, ejus permanent cujus fuerant."[3] "Qua ratione autem plantæ solo cedunt eadem ratione frumenta quoque quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur."[4]

70. In plerisque statibus plurimi inveniuntur qui agros sine titulo occuparunt, eosque excoluerunt, et in iis ædificia erexerunt. De hujusmodi hominibus qui "*Squatters*" vulgo dicuntur, consulendæ sunt leges; nec enim de iis valent principia juris cæsarei. Plerumque iis favent leges, ne agri inculti jaceant: quapropter dominus titulum iis dat, modico accepto pretio; vel iis pro labore et impensis satisfacit.[5]

§. V. De præscriptione.

71. *Præscriptione*, seu *usucapione* bona acquiruntur, scilicet per possessionem bona fide continuatam tempore diuturno lege definito. "Sine possessione præscriptio non procedit:"[6] possessio autem *civilis* requiritur, rei scilicet non prohibitæ possideri. Hinc loca sacra nequeunt a laico, qui ea diu possederit, præscribi, quum jus obstet.[7] Non potest Religiosus professus aliquid præscriptione sibi vindicare; nequit enim quidquam suo nomine possidere; quod tamen non valet in foro civili in hac regione; ubi leges eum instar aliorum civium habent. Depositarius, usufructuarius, feudatarius, commodatarius, colonus, pignoris custos non præscribunt, quum suo nomine non possideant.[8] Non datur præscriptio rerum publicis usibus destinatarum, puta fori, fontium, viarum publicarum. Merito igitur lege Pennsylvaniæ declaratum est possessionem, quantumvis diuturnam, haud obstare quin tollantur domus, sepes, aliaque quæ

(1) Inst. l. i. tit. i. n. 30.
(2) L. xxxviii. ff. de rei vindic.
(3) Inst. l. i. tit. i. n. 31. Vide et Kent's Comm. ubi supra.
(4) Ibidem, n. 33.
(5) Vide Pennsylvaniæ leges, Purdon's Digest, art. *Land office*.
(6) Reg. iii. Juris in 6. (7) Cap. vii. *de præscript.*
(8) Cap. *Si dilig.* de præscr.

Digitized by Google

vias publicas civitatis Philadelphiæ obstruunt.[1] Non possunt præscribi quæ juris sunt naturalis, vel divini: v: g: obedientia præsulibus debita. Nequeunt præscribi diœceseon limites, si de ipsis constet.[2] Res furto vel vi ablatæ a fure vel vim faciente, non præscribuntur: nec res illius qui nequit eas in judicio repetere: v: g: mente capti.[3] Onera et conditiones piis fundationibus appositæ nequeunt præscribi;[4] sed si mutata rerum conditione non possint impleri, dispensatio quærenda erit.[5]

72. *Bona fides* possidentis ad præscriptionem requiritur, nam "possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit."[6] Hinc qui rem quam alienam esse novit ab initio, habet, nequit eam retinere, licet diuturnum lapsum sit temporis spatium ex quo eam possidet. "Qui ab initio dubitat an res sit sua, nequit inchoare possessionem."[7] Dubio superveniente, nonnulli dicunt illud deponendum ex principio quod possessori faveant leges.[8] Sed si quis ante elapsum præscriptionis tempus certò noverit rem esse alienam, debet eam restituere, bona fides enim per totum tempus exigitur: sic definit concilium Lateranense IV: "Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis; unde oportet ut qui præscribit in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ."

73. Titulus saltem *apparens* ad præscribendum requiritur, eo enim deficiente, bona fides deesset. Præsumitur autem titulus si quis diutissime rem possederit tamquam suam.

74. Tempus diuturnum possessionis, quod varie definiunt leges pro rerum varietate, effluxerit necesse est. Res omnes in bona immobilia et mobilia, facili satis et idoneo discrimine, distribuebantur.[9]

(1) Vide legem, 15 Apr. 1782. (2) Cap. *Dilect.* xvi. qu. 3.
(3) Vide totum titulum *de præscript.*
(4) Vide Carriere de hac re post Söll disserentem, n. 498, 4°.
(5) Vide Conc. Trid. Sess. xxv. cap. iv. de Ref.
(6) Reg. ii. juris in 6. (7) S. Alphonsus, l. iii. n. 507.
(8) Carriere de justitia et jure, vol. ii. n. 476.
(9) "The civil law was much more natural, and much less complicated in the discrimination of things, than the common law. It divided them into the obvious and universal distinction of things moveable and immoveable. The moveable goods of the civil law were, strictly speaking, the chattels personal of the common law. Whatever was fixed to the freehold *perpetui usus causa* was justly deemed a part of the *res immobiles* of the civil law." Kent's Comm. vol. ii. part v. lect. xxxv. n. 347.

Digitized by Google

Res mobiles: v: g: animalia, vestes, etc. si possideantur cum titulo per triennium, præscribuntur contra aliorum jura: "Cautum est ut res quidem mobiles usucapiantur."[1] "Debita ex rebus mobilibus, sicut etiam fructus, pari modo ac mobilia præscribuntur. Aliæ verò actiones non præscribuntur nisi per triginta annos."[2] Ad præscribenda immobilia cum titulo requiruntur inter præsentes decem anni, viginti inter absentes;[3] sine titulo triginta anni: præsentes autem dicuntur qui in eadem versantur provincia, absentes qui in diversis habitant. Bona Ecclesiarum non præscribuntur nisi post annos quadraginta; imo post centum, si fuerint Ecclesiæ Romanæ. Restitutio in integrum aliquando datur a principe, vel judice, adeo ut post elapsum tempus præscriptionis quis possit sua jura vindicare.[4]

75. "Bono publico introducta est usucapio, ne diu et fere semper incerta essent rerum dominia."[5] Quum igitur respublica valeat æqua ex causa civium jura transferre, præscriptio, quam ipsum jus canonicum sancit, vim obtinet in conscientia: ideoque juxta plerosque, poterit quis rem retinere, licet detegerit titulum ab initio haud valuisse. Utrum autem id procedat in locis in quibus legis sanctio deest, non convenit inter theologos. Tamburini affirmat quemque posse tutò diuturna illa possessione niti, dummodo leges non obstent; consonum quippe rationi et bono ordini videtur, ut quæ diu bona fide habita sunt, retineantur, sanato qui latuerat tituli defectu.

76. Præscriptionis tempus in fœderatis provinciis varium est; in Louisiana enim pro rerum varietate brevius vel diuturnum est, juxta juris civilis definitiones;[6] in aliis provinciis plerisque jus Anglicum obtinet, quamvis non ubique. Cæterum præscriptio jure communi non admittitur de bonis immobilibus, quæ instrumento certo pro-

(1) L. un. Cod. de. Usucap. et §. i. Inst. de Usucap.
(2) S. Alphonsus, l. iii. n. 507.
(3) Inst. de Usucap, §. i.
(4) Cap. i. et ii. de restit. in integrum. (5) L. i. ff. de Usucap.
(6) "The time of limitation varies in particular states. Thus, in Connecticut and Vermont, the term of prescription is fifteen years, and in South Carolina five years. In Louisiana the time of prescription varies according to the subject from three to thirty years. But I presume, that generally, in this country, we follow the English time of prescription." Kent's Comment. vol. iii. part vi. lec. lii. n. 442. note.

Digitized by Google

banda sunt; sed de servitutibus, vel consuetudinibus,[1] quæ si per viginti annos duraverint, censendæ sunt titulo justo inniti.[2] Agri tamen qui ex titulo colorato cœperunt possideri, post septennium, legis adminiculo in Pennsylvania olim retinebantur: nisi pertinuerint ad infantes, fœminas conjugio ligatas, amentes, vel eos qui a provincia abfuerint.[3] Nunc autem viginti et unius annorum possessio pacifica exigitur; vetatur scilicet ne quis adversus possessorem titulo innitatur qui ante viginti unum annos ortus sit, si per hoc temporis spatium in medium non fuerit adductus.[4] Temporis spatium quo limes ponitur juribus adversis in variis provinciis varium est.[5] Sexaginta annorum adversa possessio in Anglia jus contrarium tollit.[6]

77. Limes etiam a legibus apponitur juribus privatorum de rebus mobilibus in Pennsylvania: nec enim actio datur pro ære alieno recuperando, vel pro debitis quæ non fuerint scripto instrumento agnita, vel pro chirographo promissorio, post sex annorum lapsum ex causa actionis data: præsumitur enim ei jam satisfactum esse.[7]

78. Minores autem, fœminæ conjugatæ, non compotes mentis, et

(1) "Nothing but incorporeal hereditaments can be claimed by prescription; as a right of way, common, &c., but that no prescription can give a title to lands, and other corporeal substances, of which more certain evidence may be had." Blackstone's Comment. l. ii. n. 264.

(2) Kent's Comm. ubi supra.

(3) Vide legem anno 1705 apud Purdon, art. *Limitations*.

(4) Vide legem 26 Martii 1785 ibidem.

(5) "The period of limitation of a right of entry upon land varies very materially in the different States. It is 30 years in Mississippi; 21 years in Pennsylvania and Ohio; 20 years in Maine, New Hampshire, Massachusetts, Rhode Island, New York, New Jersey, Delaware, Maryland, Virginia, Alabama, Kentucky, Indiana, and Missouri; 15 years in Vermont and Connecticut; 10 years in Louisiana; 7 years in North Carolina, Tennessee and Georgia; and 5 years in South Carolina." Kent's Commentaries, vol. iv. part vi. lec. lviii. n. 188.

(6) "The possession of lands in fee-simple uninterruptedly for three score years, is at present a sufficient title against all the world." Blackstone l. iii. n. 196.

(7) Vide legem 27 Martii 1713 apud Purdon, art. *Limitations*. Sic habet: "All actions upon account and upon the case (other than such accounts as concern the trade of merchandise between merchant and merchant, their factors or servants) all actions of debt, grounded upon any lending or contract without specialty . . . shall be commenced and sued . . . . within six years next after the cause of such action or suit."

Digitized by Google

carcere detenti poterunt sua jura vindicare intra sex annos post impedimentum sublatum, si de rebus mobilibus agatur; intra decennium, si agatur de agris. Defunctorum debita non afficiunt bona sua immobilia ultra septennium a morte eorum, nisi fuerint instrumento aliquo firmata, vel nisi creditor minor fuerit, vel alio hujusmodi impedimento, né jus suum allegaret, detentus fuerit.[1] Legata tamen testamento, fideicommissa, et debita scripto speciali munita suam vim retinent, quamvis post diuturnum temporis lapsum, puta viginti annorum, plerumque censeantur soluta, ideoque ea petens facile causa cadat.[2] Qui tempore elapso agnoscit debitum, non potest limitem a lege statutum creditori objicere. Imo qui novit se revera aliquid debere, non potest legis beneficio uti,[3] quum liqueat leges ferentium mentem non fuisse jura aliqua tollere, sed litium subducere fomitem, et fraudum periculum.[4] Qui igitur lege abutitur ad fraudem faciendam non potest venia in sacramento pœnitentiæ donari, nisi debita solverit.

79. Qui alteri succedit *titulo universali*, veluti hæres, conjux, vel legatarius universalis, censetur una persona cum decessore, ideoque præscriptionis jus habet instar illius. Si igitur decessor bona fide per annos quindecim bona immobilia possederit, alter, reliquo tempore transacto, pleno jure gaudet. E contra si auctor fuerit malæ fidei, successor bonæ fidei nequit commodum ex priori possessione derivare; vel præscriptionem nisi post integrum temporis spatium a lege definitum allegare. Successor malæ fidei, qui scilicet novit rem fuisse alienam, poterit auctoris bona fide uti, et reliquo tempore

(1) Purdon, art. *Limitations.*

(2) "The act of limitations does not include bonds and specialties, but on the principle on which that act was passed, the law will presume payment after a certain length of time has elapsed, generally about twenty years, without a demand made; though this length of time is only a circumstance for the jury to found a presumption upon, and is liable to be repelled by evidence." Ibidem. Notes.

(3) Ita Molina, De Lugo apud Carriere, n. 464. Lyonnet de justitia, p. i. c. i. N. v. p. ii. 5.

(4) "When he refuses to pay a debt, of the reality of which he is conscious, he cannot, as before, plead the intention of the statute, and the supreme authority of the law, unless he could show, that the law intended to interpose its supreme authority to acquit men of debts of the existence and justice of which they were themselves sensible." Paley, Mor. Phil. l. ii. c. 4.

Digitized by Google

transacto rem omnino retinere. Qui titulo particulari succedit, v: g: emptione, donatione, utitur quidem auctoris bona fide, et explet præscriptionis tempus, ita lege concedente: sed non ideo mala ejus fide læditur, quippe sua bona fides facit ut liceat tempus jam lapsum cum tempore mox futuro ad præscriptionem constituendam conjungere, dummodo auctoris possessio non fuerit vitiosa.[1]

§. VI. De successione.

80. Successione dominium acquiritur, quando quis in bona defuncti succedit, vel testamento, vel legis statuto. Unde jus sit homini de bonis quæ possidet testandi, inter jurisperitos disceptatur, plerisque illud referentibus ad leges civiles, quæ ob æquitatem quandam faciunt vivis facultatem decernendi quid faciendum sit post eorum mortem de iis quæ possident.[2] Alii tamen altius repetentes juris successionis originem, bona censent occupata ab uno, nomine totius familiæ, ideoque superstitibus cedere, distribuenda tamen prout ipse jusserit ex æquitate quadam, vel deficiente jussione, pro propinquitatis gradu. Quidquid sit, æquum esse ut propinqui in bona defuncti succedant probat omnium gentium consuetudo;[3] quapropter societatis eversores San-Simoniani censendi sunt qui ea omnium communia velint esse, pro cujuslibet necessitate distribuenda.[4] Legum autem dispositio maxime attendenda est, quum jura cujuslibet explicare et definire plerumque censeantur.

81. Civium, vel alienigenarum qui civitatem adepti sunt, bona,

(1) Vide Carriere, vol. ii. *de Just.* n. 442.

(2) Blackstone Comm. l. ii. n .11.

(3) "I know no other criterion by which we can determine any rule or obligation to be founded in nature, than its universality; and by inquiring whether it is not, and has not been, in all countries and ages, agreeable to the feelings, affections and reason of all mankind. The affection of parents towards their children is the most powerful and universal principle which nature has implanted in the human breast; and it cannot be conceived, even in the most savage state, that any one is so destitute of that affection and reason, who would not revolt at the position, that a stranger has as good a right as his children to the property of a deceased parent. *Hæredes successoresque sui cuique liberi*, seems not to have been confined to the woods of Germany, but to be one of the first laws in the code of nature." Chitty note on Blackstone, ibidem.

(4) Vide Carriere, *de Just.* vol. i. n. 22.

Digitized by Google

lex distribuit, si absque testamento decesserint. Non eædem ubique sunt legis dispositiones; sed plerisque in locis post debita soluta, vidua defuncti tertiam partem bonorum mobilium pleno jure obtinet; et tertiam quoque partem bonorum immobilium, sed ad vitam tantummodo: filii omnes alterutrius sexus pari ratione duas tertias partes hæreditatis adipiscuntur, inter se æqualiter distribuendas, et post viduæ mortem immobilium alteram partem. Si aliquis filius decesserit ante patrem, prole relicta, pars ejus proli cedit, quæ eum repræsentare censetur, adeo ut omnes ejus filii nonnisi unam partem inter se distribuendam accipiant. Si filii nulli supersint, vidua dimidium obtinet; propinqui alterum dimidium: si vidua non supersit, filii obtinent totam hæreditatem. Si nec vidua sit, nee filii, propinqui succedunt, qui plerisque in Statibus juxta civilis juris gradus computantur. Pater præfertur fratribus vel sororibus, et bona mobilia omnia filii defuncti obtinet.[1] Ita etiam lex Angliæ.[2] In statu Delavariæ nemo potest in bona immobilia ab intestato succedere, qui non sit civis Americanus, vel qui saltem non fuerit Statuum Fœderatorum incola, quum intestatus e vivis discederet. Filii spurii nullum omnino jus ad hæreditatem habent, censentur enim nullius.[3] Pudet referre Gallos in rerum eversione paria jura spuriis et legitimis filiis tribuisse, et legem adhuc tertiam partem portionis quam haberent si forent legitimi iis tribuere.[4]

82. Naturales dicuntur filii ex concubina nati, cum qua nuptiæ celebrari poterant, qui jure cæsareo legitimi habentur, contracto postea matrimonio inter parentes, dummodo hi matrimonii inter se

(1) "The statute (in New York) declares, that after the debts, funeral charges, and just expenses, are deducted, a just and equal distribution of what remaineth clear of the goods and personal estate of the intestate, shall be made amongst the wife and children, or children's children, if any such there be; or otherwise to the next of kin to the intestate, in equal degree, or legally representing their stocks; that is to say, one third part of the surplusage to the wife of the intestate, and all the residue by equal portions, to and amongst the children of the intestate." Kent's Comm. vol. ii. n. 419.

(2) Paley Mor. Phil. l. iii. c. xxiii. "The Statutes of Charles the Second, commonly called the statutes of distribution, which adopt the rule of the Roman law in the distribution of personals are sufficiently equitable. They assign one third to the widow, and two thirds to the children; in case of no children, one half to the widow and the other half to the next of kin; where neither widow, nor lineal descendants survive, the whole to the next of kin."

(3) Kent, vol. ii. n. 211. (4) Carriere, vol. ii. *de Just.* n. 516.

Digitized by Google

ineundi capaces essent eo quo filii geniti sunt tempore.[1] Sic favebatur matrimonio, et morum emendationi, dum parentes allicerentur ad nuptias, ut proles jam nata haberetur legitima. Jus commune Anglicum neminem legitimum agnovit, qui extra matrimonium natus fuerat, de tempore conceptus alioquin parum solicitum. Magnis elogiis ornat Blackstonius suæ gentis hac in re præstantiorem sapientiam, et morum studium, detrahens pro more juri civili: quod tamen undecim Status fœderati maluerunt imitari.[2] Si parentes matrimonium inire nequibant tempore conceptus, utpote si alteruter matrimonii vinculo ligatus esset, vel si consanguinei forent intra gradus prohibitos, non sanatur vitium nativitatis posterioribus nuptiis; sed habentur semper spurii, ex adulterio vel incestu progeniti.[3] Spurii proprie dicuntur nullo certo patre nati.

83. Jure communi infans in utero adhuc latens natus censetur quoad plurimos legis effectus.[4] Lege Status Delavariæ infans in utero conceptus capax hæreditatis, et proprietatis cujuscumque habetur, si postea vivus nascatur: secus si ad vitam non perveniat.[5] Lege Pennsylvaniæ posthumus filius succedit. Ita et jus Gallicum; quod tamen exigit ut infans nascatur vitalis, vitæ scilicet capax, etsi brevi moriatur.[6] Mortuus civiliter, qualis est damnatus capitis,[7]

(1) "This doctrine of legitimation prevails at this day, with different modifications, in France, Germany, Holland, and Scotland." Kent's Comm. vol. ii. n. 209.

(2) "It is a remarkable fact, that in eleven of the United States, the rule of the civil law prevails on this point, in opposition to the common law, viz: in Vermont, Maryland, Virginia, Georgia, Alabama, Mississippi, Louisiana, Kentucky, Missouri, Indiana, and Ohio." *Griffith's Law Register passim*, apud Kentium ibidem.

(3) "In the new civil code of France, the rule of the civil law is adopted, provided the illegitimate children were not offsprings of incestuous or adulterous intercourse." Ibidem 210. Idipsum fert jus canonicum.

(4) "An infant *in ventre sa mere*, or in the mother's womb, is supposed in law to be born for many purposes. It is capable of having a legacy, or a surrender of a copyhold estate made to it. It may have a guardian assigned to it: and it is enabled to have an estate limited to its use, and to take afterwards by such limitation, as if it were then actually born. And in this point the civil law agrees with ours." Blackstone, l. i. n. 130.

(5) An Act regarding Posthumous children, an. 1827, art. *Intestacy*.

(6) Carriere, *de justitia et jure*, vol. ii. n. 507, 1.

(7) Blackstone, l. iv. n. 381. "The civil death commenced if any man was banished or abjured the realm by the process of the common law, or entered into religion." l. i. n. 132.

Digitized by Google

nequit hæreditatem accipere; sed constitutione Americana cavetur ne quis posteros suos vitio inficere censeatur, ob quod hi suis cadant juribus.[1] Similia reperiuntur in *charta* Gallorum.[2] Nemo ab hæreditate repellitur legibus nostris tamquam indignus: sed administrandi eam facultas nonnumquam negatur.[3]

84. Inter hæredes bona sunt æqualiter distribuenda, habita tamen ratione eorum quæ a defuncto noscuntur accepisse: debent enim omnia in unum veluti conferre, ut omnibus par sit hæreditatis portio. Si igitur pater filiæ occasione nuptiarum agros, vel domos, vel magnam copiæ pecuniam, tradiderit; vel si filio hujusmodi dona contulerit, ut ei provideret; qui apud eum manserunt filii, nullo dono aucti, exigere possunt, ut eorum habeatur ratio in hæreditate dividenda. Poterunt quidem qui a patre ea acceperunt, omni juri renuntiando, a divisione ineunda abstinere: quod si aliquid ultra sibi velint vindicare, id tantum debebitur quod addatur necesse est ut par sit omnium portio.[4] Collationes fiunt in Galliis novo jure, sed differunt nonnihil ab iis quas leges nostræ præscribunt.[5]

85. Partitio bonorum fit ex curiæ auctoritate. Quandocumque immobilia nequeunt dividi, æstimantur a septem vel pluribus hominibus a curia designatis, et optio datur proximiori hæredi ea sibi comparandi, solvendo tamen intra annum portiones quæ aliis contingunt.[6] Quod si divisio fieri possit, quin portiones æquæ cuilibet assignentur, singulæ æstimandæ sunt, et ad æqualitatem reducendæ,

(1) "The Congress shall have power to declare the punishment of treason; but no attainder of treason shall work corruption of blood, or forfeiture, except during the life of the person attainted." Constitution of the United States, art. iii.

(2) Vide Carriere, vol. ii. n. 572.

(3) "No person convicted of an infamous crime, or incapable by law of making a contract, nor a non-resident alien, or minor, or feme-covert, or person deemed incompetent by the surrogate by reason of drunkenness, improvidence, or want of understanding, is entitled to administer." Kent's Com. vol. ii. n. 612.

(4) "If the portion of any child who hath had such settlement or portion, be not equal to the share due to the other children by the distribution, the child so advanced is to be made equal to the rest." *Kent's Comm.* vol. ii. n. 422. "An advancement in lands by a father to his son, is to be estimated according to its value at the time of the father's death." 1 S. et R. 422. *Notes to Digest of Pennsylvania Laws.* Art. *Orphan's Court.*

(5) Vide Carriere, *de justitia et jure* vol. ii. n. 540.

(6) Vide Purdon's Digest, art. *Orphans Court, Partition.*

Digitized by Google

pecunia data ab eo qui majorem accipit portionem. Si ære alieno gravetur hæreditas, vel aliqua ejus pars, curia facit ut ei satisfiat, quin aliquis præ aliiis hæredibus oneretur. Dum partitio fit ex curiæ auctoritate, vadimonia exiguntur a singulis quibus traditur aliqua hæreditatis pars, ut si contingat debita defuncti postea innotescere, ipsi pro rata parte ea solvant.[1]

86. Jure Romano hæreditatem adiisse censebatur qui eam acceptaverat, et aliquem actum dominii in eam exercuerat. Illud hæredi privilegii loco concessum est, ut si bonorum inventarium confecerit, ultra hæreditatis vires non teneretur ad debita et onera defuncti persolvenda:[2] quod si, ea omissa cautela, adierit hæreditatem, ad ea integra persolvenda tenebatur, licet ea haud sufficeret. "Hæreditas quin obliget nos æri alieno, etiamsi non sit solvendo, plus quam manifestum est."[3] Id cautum est ne fraudibus foret locus: quapropter conscientiam ligare non videtur, ubi fraus deest. Apud nos administratori injungitur ut inventarium conficiat, et opera aliorum utatur ad æstimanda omnia bona defuncti:[4] quod etiam quamprimum debet publico regesto inserere, illudque non poterit omittere, nisi sui et vadum suorum, quibus fidem jubentibus, datæ sunt administrationis litteræ, periculo. Non tenetur tamen ad debita persolvenda, ultra quam ferant bona sibi commissa. Legata nonnisi post debita solvenda sunt: quod si hæreditas non sufficiat iis solvendis, pro rata parte satisfacere cuique oportet.

87. Intestati bona nemo occupare valet, nisi litteris a Curia acceptis, quæ proximo ex propinquis defuncti plerumque conceduntur, ut ea administret.[5] Si negligat, vel recuset, qui proximior est sanguine, hoc petere munus, alter remotior poterit illud, curiæ auctoritate interveniente, exercere: vel si omnes consanguinei neglexerint, creditori alicui, vel publico officiali concedetur. Administrator inventarium omnium bonorum conficere statim debet, et debita præsertim notare quæ vix colligi possunt, ne ea neglexisse sua culpa videatur.[6] Debita quamprimum colligere oportet, et bona mobilia,

(1) Vide Purdon's Digest, art. *Executors and Administrators.*

(2) L. *Scimus*, 22. §. 4. Cod. vi. xxx. *de Jure delib.*

(3) L. 8. ff. xxix. 11. *de adquir. vel omittend. hæred.*

(4) Kent, vol. ii. n. 414. Vide Purdon's Digest, art. *Executors and Administrators.*

(5) Kent. vol. ii. n. 410. (6) Ibidem, n. 414.

Digitized by Google

quatenus opus sit, vendere, ut defuncti æs alienum, et legata solvat. Imprimis curationis in ultimo morbo defuncti, et funeris impensæ, et famulorum stipendia solvenda sunt: deinceps annua pensio domicilii, in quo ultimum annum vitæ degit. In cæterorum debitorum solutione ordo non est servandus. Quod si bona defuncti non sufficiant, quæ prius indicavimus solvenda sunt, cætera deinceps pro rata parte: sed res judicatæ et hypothecæ vim habent specialem. Sic habet Pennsylvaniæ lex.[1] Est nonnulla legum diversitas in aliis Statibus; sed plerumque funeris et ultimi morbi impensæ imprimis solvendæ sunt; deinceps quæ fisco supremo debentur, et quæ judicio probata sunt: cætera denique pari inter se ratione.[2] In Pennsylvania quæ Statui debentur ultimo ponuntur loco:[3] in nonnullis aliis Statibus hujusmodi debita aliis præferuntur.

88. Nullus apud nos actus requiritur quo hæreditati quis renuntiet. Quæ alicui contingunt, alio decedente, jura valent ipso ea vindicante. Quod si neglexerit, vel sua culpa, vel quod mortem defuncti ignoraverit, poterit deinceps jus suum prosequi coram tribunali, modo diuturnum tempus lapsum non sit, adeo ut lex quæ dicitur *limitationum* obstet. Si hæredibus non innotescentibus, conjux totam sibi vindicet hæreditatem, juxta legem Pennsylvaniæ, post annum a morte, in ephemeridibus monentur omnes qui jus aliquod sibi vindicant, ut compareant in curia: nemine autem comparente curia totam conjugi superstiti tradendam decernit.[4] Si nullus prorsus propinquus sit alicui defuncto, fiscus bona ejus sibi vindicat.[5] Intra septem annos possunt propinqui jura sua in immobilia prosequi; intra quinquennium in mobilia.[6]

(1) Vide Purdon's Digest, art. *Executors and Administrators*, sect. xxi.

(2) "Expenses of the last sickness, and funeral and probate charges, have every where the preference; and generally debts due to the United States and the State are next preferred, and then all other debts are placed on an equality, and paid rateably, in the case of a deficiency of assets; but with the exception no doubt of legal liens, if there be any such recognized by law." Kent's Commen· vol. ii. part v. lec. xxxvii. n. 419.

(3) Vide Purdon's Digest, loco cit.

(4) Ibidem, Act of 6th of April, 1833, art. *Escheat*.

(5) "If any person, who at the time of his or her death, was seized or possessed of any real or personal estate within this commonwealth, die intestate without heirs, or any known kindred, such estate shall escheat to the commonwealth, subject to all legal demands on the same." Ibidem, Act of 29th of Sept. 1787.

(6) Ibidem.

Digitized by Google

§. VII. De dominii amissione.

89. Pluribus rationibus dominium amittitur. Primo quidem sua bona derelinquendo: nam "si res pro derelicto habita sit, statim nostra esse desinit."[1] Sententia judicis etiam bona reo auferuntur nonnumquam, ut fisco tribuantur, quod tamen apud nos non contingit, nisi ob læsam reipublicæ majestatem.[2] Olim in Pennsylvania dimidium bonorum cedebat fisco, si quis reus damnaretur criminis affinis, quod Anglice *misprision of treason* vocatur: quæ tamen pœna videtur jam non obtinere, quum ipsa læsa majestas nonnisi carcere puniatur.[3] Ob utilitatem publicam singuli cives sæpe coguntur sese bonis nonnullis abdicare, sinendo ut via publica, vel canalis, per suos agros fiat; sed compensatio eis tribuitur, Curiæ cujusque comitatus auctoritate, interveniente civium sex ab ipsa designatorum judicio.[4]

(1) L. i. ff. xli. vii. pro Derelicto.

(2) "In New York, no forfeiture is caused by any offence, except upon an outlawry for treason, and on such outlawry his goods are all forfeited absolutely, and his lands during his life." Chitty, *note on Blackstone*, l. iv. d. 390.

(3) Vide Purdon's Digest, art. *Treason.*

(4) Ibidem, art. *Roads, Highways and Bridges.* Act of 13th June, 1836, section vii.

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE DOMINIO SEMIPLENO.

§. I. De usu.

90. *Usus juris* dicitur jus utendi re aliena, salva ejus substantia. *Usus facti* dicitur actualis usus rei alienæ revocabilis ad nutum concedentis. Minoritæ, (ordinis S. Francisci professores sic vocantur) usum hunc rerum etiam unico actu consumptibilium a dominio distinguunt, quatenus Superior semper valet earum consumptione iis interdicere. *Usuarius* (qui scilicet utendi jure gaudet) tenetur ad rem integram servandam; nec potest eam alteri dare, vel locare. Sic qui domus habet usum, nequit eam alteri tradere habitandam. Qui horti habet usum, potest fructibus pro se et sua familia, et hospitibus uti, quin eos vendere, vel extrancis prorsus dare, valeat.[1]

91. *Ususfructus* dicitur jus utendi et fruendi rebus alienis, salva earum substantia.[2] Hinc usufructuarius *gregis* habet jus ad lanam, lac, fœtum;[3] *fundi* ad fœnum, segetes, lapides, salices, et omnes arbores cæduas, sed non ad frugiferas. Potest etiam omnem utilitatem ususfructus, et usum juris vendere, locare, vel donare, manente apud ipsum usufructu, quem nequit alteri donare, aut vendere sine consensu proprietarii.[4] Tenetur usufructuarius gregis ad substituenda in locum capitum demortuorum alia capita e fœtu;[5] nisi singulorum capitum divisim, non autem omnium collective habeat usumfructum.[6] Si usufructuarius sit sylvæ, "in locum demortuarum arborum,

(1) Plenum ff. de usu, etc.

(2) A Blackstonio definitur, "the temporary right of using a thing, without having the ultimate property, or full dominion of the substance." Commentaries book ii. ch. xx. n. 328.

(3) "If a person hires, for a limited period, a flock of sheep, or cattle, of the owner, the increase of the flock, during the term, belongs to the usufructuary, who is regarded as the temporary proprietor." Kent's Comm. vol. ii. part v. lect. xxxvi. n. 361.

(4) L. i. de usufruct. l. xii. de usufruct.

(5) Instit. de rer. div. §. 38. (6) Leg. lxx. de usufructu.

Digitized by Google

aliæ substituendæ sunt;"[1] "arbores verò vi tempestatis, non culpa fructuarii, eversas, ab eo substitui non placet."[2] Si in ædibus sit constitutus ususfructus, tenetur ad modicam earum reparationem, quibus integræ serventur, non tamen ad magnos sumptus, quibus efficiantur meliores.[3] Ei incumbunt onera rei fructiferæ annexa, ut tributorum solutio. Qui ex testamento vel alias habent jus utendi et fruendi rebus per vitam suam, vel per certum temporis intervallum usufructuarii haberi possunt.[4]

92. Jure cæsareo ususfructus amittebatur per maximam capitis deminutionem, quæ fiebat civitate una cum libertate amissa, adeo ut mortuus civiliter haberetur. Sic omnes capitis damnati,[5] vel ad triremes, usumfructum amittebant, et de rebus suis testamento disponere nequibant: sed legibus nostris rerum proprietas manet illæsa, licet quis in pœnam capitis incurrerit. Amittitur ususfructus si res pereat, v: g. si domus incendio consumpta sit, ager flumine obruatur, vel abripiatur. Si acquirat usufructuarius rei proprietatem, consolidatio fieri dicitur.[6]

§. II. De servitute.

93. *Servitus*,[7] prout hic accipitur, est jus ut res alteri serviat: *active* sumpta, est jus quod habet quis in re aliena ut sibi serviat:

(1) Leg. xviii. ff. de usufructu. (2) Leg. lix. eod. tit.

(3) Instit. de rer. divis. §. 38.

(4) "Every tenant for life is entitled, of common right, to take reasonable *estovers*, that is, wood from off the land, for fuel, fences, agricultural erections, and other necessary improvements. Tenants for life have the power of making underleases for any lesser term. In estates for life, if the estate be charged with an incumbrance, the tenant for life is bound, in equity, to keep down the interest out of the rents and profits. If the tenant for life should, by neglect or wantonness, occasion any permanent waste to the substance of the estate, whether the waste be voluntary or permissive, as by pulling down houses; suffering them to go to decay from the want of ordinary care; cutting the timber unnecessarily; opening mines; or changing one species of land into another; he becomes liable, in a suit by the person entitled to the immediate estate of inheritance, to answer in damages, as well as to have his future operations stayed." Kent's Commentaries, vol. iv. part vi. lec. lv. n. 77.

(5) L. *Quod ad statum*, 12. *π*, de poenis.

(6) Instit. de usufructu, §. *Finitur*.

(7) Anglice *servitudes, services, easements*.

Digitized by Google

passive vero est subjectio rei alienæ ut aliquid in ea fiat, vel non fiat, in commodum alterius, salva rei substantia. *Realis servitus* est ea per quam res rei servit, ut si ager tuus serviat meo, quatenus ager meus dat mihi jus transeundi per tuum.[1] *Personalis* servitus est ea qua res personæ obligatur, vel persona rei: res quidem, ut si habeam jus, non propter agrum, sed aliunde hac transeundi; persona vero, ut si Titius agrum meum excolere debeat. Servitus *urbana*, vel *rustica* dicitur prout prædio urbano vel rustico adnexa est. Prædium *urbanum* dicitur omne ædificium habitandi causa erectum sive in urbe, sive in villa, et hortus ei annexus.[2] Prædia *rustica* dicuntur ager, vinea, pratum, pecorum stabulum a domo sejunctum. Urbanæ servitutes sunt quatuor, quarum prima est ut lignum in tuum parietem admittatur;[3] secunda ut stillicidium in tuas ædes recipiatur;[4] tertia ut murus altius non attollatur: quarta, ut fenestra in muro non aperiatur.[5] Servitutes rusticæ aliæ dicuntur *nominatæ*, eo quod nomen in jure sortitæ sunt; aliæ *innominatæ* quæ carent nomine speciali in jure. Nominatæ sunt *iter*, *actus*, *via aquæductus*.[6] *Iter*[7] est jus quo pedes aut eques potest transire, vel ambulare per alienum fundum, non tamen ducere jumentum aut vehiculum. *Actus* est jus agendi vehiculum aut jumentum. *Via* complectitur iter et actum. *Aquæductus* est jus ducendi aquam per alienum fundum.[8] Servitutes innominatæ sunt jus aquam hauriendi, pecora adaquandi, pascendi, arenæ fodiendæ, calcis coquendæ, &c.[9] Hæc suam vim adhuc habent.[10]

94. *De stillicidio* id tenendum non licere aquas e tecto deciden-

(1) *Right of way.* (2) Leg. cxcii. ff. de verb. signif.

(3) *Right of support.*

(4) *Right of drip.* Vide Kent's Comm. vol. iii. p. vi. lect. lii. n. 436.

(5) Leg. ii. ff. de servit. præd. urb. (6) Leg. i. ff. de serv. præd. rust.

(7) *Right of way.* (8) *Right of drain.*

(9) Dig. tot. tit. *de Servit.* "Common is chiefly of four sorts; common of pasture, of piscary, of turbary, and of estovers." Blackstone's Comm. l. ii. n. 33.

(10) "The regulations in the civil law on the subject of urban and rural servitudes were just and equitable, and the provisions made to define and protect those rights, were far more minute and precise than those which are to be found on the same subjects in the books of the common law; and it is difficult to solve many questions arising on those rights, without having recourse to the solid and luminous principles of the civil law, which are of permanent and universal application." Kent's Commentaries, vol. iii. part vi. lect. lii. n. 436.

Digitized by Google

tes in alienum fundum derivare, nisi ex ejus venia, vel ex præscriptione.

95. Aquæductus, jus scilicet aquam per alienum fundum ducendi per canales, vel alias, ex usu diuturno, vel concessione derivatum, servitus est.

96. De *itinere, actu, via* constat quemque posse jus quod a viginti annis exercuit vindicare transeundi per alienum fundum, vel agendi plaustrum, vel utrumque: servitus scilicet præsumitur a consensu domini derivata.[1] Quod si usus diuturnus ei non suppetat, poterit nihilominus, interveniente curiæ auctoritate, jus hujusmodi obtinere; quatenus opus sit ut e suo fundo ad viam publicam, vel civitatem, veniat: sed facienda erit æqua compensatio damni alieno prædio afferendi. Jus publicum ex domini concessione aliquando habetur, quando per plurimos annos partem suorum agrorum viam fecit publicam, quam deinceps claudere prohibetur, quum incommodum ferret et injuriam communitati. Cæterum opus est, ut suam intentionem clare manifestaverit, vel per viginti annorum veniam suo juri præscripsisse videatur.[2] Hinc solent coloni ubique sepes ampliare, et vias quas diu fecerant publicas iis includere, quin aliquis jus eorum in dubium revocet.

97. De jure luminum nihil legibus nostris statutum novimus: sed cuique permittitur fenestras in suis ædibus aperire, licet in alienum atrium, vel fundum directas, vel murum in suo solo erigere, quo fenestræ vicinæ domus obscurentur. Equidem quum sæpe domus ligneæ quæ a viginti vel pluribus annis erectæ sunt, in civitatibus reperiantur, magno foret damno vicinis dominis si non liceret ædes erigere ampliores, quibus fenestrarum e latere utilitas tolleretur.

(1) There is the servitude of drip, by which one man engages to permit the waters flowing from the roof of his neighbour's house to fall on his estate. So there is the right of drain, or to convey water in pipes, through, or over the estate of another. The right of way may also be attached to a house, entry, gate, well, or city lot, as well as to a country farm." Kent's Comm. vol. ii. n. 436.

(2) "The true principle on the subject, to be deduced from the authorities, I apprehend to be, that if there be no other evidence of a grant or dedication, than the presumption arising from the fact of acquiescence on the part of the owner in the free use and enjoyment of the way as a public road, the period of twenty years applicable to incorporeal rights would be required, as being the usual and analagous period of limitation." Ibidem, n. 451.

Digitized by Google

Ideo non censemus jus commune hac de re obtinere.[1] Attamen si quis vellet cum vicini magno incommodo fenestras novas aperire, in quibus nulla foret æqua ratio cur id fieret, verosimile est judices querenti de novitate, et contrarium usum alleganti, subventuros.

98. Servitutibus quodammodo affinia sunt quæ intercedunt inter vicinos jura et onera. Quando est duabus domibus paries communis, si alteri e vicinis contingat necessitas eam diruendi, tenetur ad eam iterum quamprimum ædificandam, cui tamen alter partem æqualem impensarum conferre debet. Quod si alter eam altius efferat, vel majoribus impensis quam par est, suis solvit sumptibus excessum. Monere debet etiam vicinum suæ intentionis, ut hic sibi caveat, ne ex pariete diruta aliquid patiatur damni: quod si evenerit ex rei necessitate, post monitionem nulla erit illud reparandi obligatio. Si trabes domus vicinæ in parietem quæ communis non sit admissa fuerint, ex diuturniori tempore, quale in præscriptione requiritur, nova paries eas excipere debet, hæc enim habetur servitus *apparens* et constans.[2] Murus qui separat agros duorum dominorum habetur utriusque, si uterque eo utatur, qui ideo dimidii muri, et soli in quo extructus est censetur dominus.[3]

99. Sepes aliquando communes sunt, ideoque communibus utriusque domini sumptibus reparandæ. In Pennsylvania curia potestatem habet designandi cives aliquot qui de impensis judicent, ut

(1) "This common law right of prescription in favour of ancient lights, does not reasonably or equitably apply, and it is not the presumed intention of the owners of city lots that it ever should be applied to buildings on narrow lots, in the rapidly growing cities in this country. By such a prescriptive claim, the value of vacant lots, and of lots with old and low buildings upon them, would be destroyed, if substantial buildings could not be erected on them, lest they might obstruct the light and prospect of the side lights of some building on an adjoining lot, which has stood for twenty years." Kent's Comm. vol. 3. n. 446. Note.

(2) "Such an easement is continual, without requiring the constant and immediate act of man; and it is an apparent one, shown by an exterior work; and consequently, it has the qualities sufficient by the common law, and also deemed in the French law sufficient to establish an easement by prescription." Kent's Comm. vol. iii. n. 437.

(3) "The common use of a wall separating adjoining lots belonging to different owners, is *prima facie* evidence that the wall, and the land on which it stands, belong equally to the different owners, in equal undivided moieties, as tenants in common." Ibidem, n. 438.

Digitized by Google

alter ad solvendum portionem cogatur.[1] Si quis neglexerit animantia sua sepibus includere, tenebitur ob damnum vicini agris illatum, licet sepibus haud circumdatum:[2] nisi tamen obstet lex loci, sicut in Statu Alabamæ, ubi necesse est ut agri sepibus idoneis circumdatæ probentur, ad reparationem damni, quod intulerunt animantia, impetrandam.[3] Consulendæ sunt uniuscujusque Status leges, quum speciales ubique de re adeo communi latæ sint. Nemo jure communi tenetur agros suos sepibus includere, quamvis teneatur reparare damna quæ animantia libere vagantia intulerint.

100. Aquarum quæ prope agros vel per eos currunt usus domino competit, qui tamen iis ita uti debet ut alios non lædat, vel eas penitus exhauriendo in suos usus, vel eas inficiendo, et reddendo aliis inutiles. *Aqua currit, et currere debet*, ait lex, ideoque unumquemque ea uti oportet, quin aliorum utilitatem impediat. Nonnumquam contingit Statum aggerem jacere in flumine; vel privato alicui, vel civium collegio, eam facere facultatem, quæ tamen ita adhibenda est, ut aquæ non desinant fluere, per alveum consuetum, postquam paululum ob opus aliquod utilitatis publicæ distractæ sunt.[4] Cæterum si Status concesserit facultatem aquam absumendi in opus aliquod, ex quo inficiatur, vel si quis per viginti annos ea usus fuerit, nemine contradicente, jus ei vindicatur.[5]

(1) Vide Purdon's Digest, art. *Fences*, et Appendicem, *Party-Walls and Partition Fences.*

(2) "Trespass will lie against the owner of cattle entering on the grounds of another, though there be no fence to obstruct them, unless he can protect himself by statute, or prescription, or agreement." Kent's Comm. vol. iii. n. 439.

(3) "The Statute law of Alabama, regulating partition fences, gives an action for damages against the owner of cattle breaking into any grounds 'enclosed with a strong and sound fence.' This would imply that, in that state, no suit lies, if there be no protecting fence." Ibidem, *Note.*

(4) "All that the law requires of the party, by or over whose land a stream passes, is, that he should use the water in a reasonable manner, and so as not to destroy, or render useless, or materially diminish, or affect the application of the water by the proprietors below on the stream. He must not shut the gates of his dams, and detain the water unreasonably, or let it off in unusual quantities to the annoyance of his neighbour." Kent's Comm. vol. iii. n. 441.

(5) "Though a stream be diminished in quantity, or corrupted in quality, by means of the exercise of certain trades, yet if the occupation of the party so taking or using it has existed for so long a time as to raise the presumption of a grant, the other party whose land is below must take the stream subject to such adverse right." Ibidem, n. 442.

Digitized by Google

101. Privilegia[1] quædam aliquando prædiorum dominis, aliquando civium collegio conceduntur: v: g: ut jus speciale habeant, viatores navicula deferendi ex altera ad alteram fluminis ripam. Qui prædiorum vicinorum sunt domini id nonnumquam absque legis sanctione faciunt, et usu diuturno jus sibi comparare censentur. Quod si Status pontem extrui jubeat, plerumque compensatio fit dominis, qui antea publicæ utilitati et viatorum commodo consuluerunt. Si aliis simile concedatur privilegium, cavetur ne intra quosdam limites exerceatur, cum aliorum detrimento. Semel concessum non potest revocari, nisi ob causam gravissimam, et compensatione præstita, nam instar pacti est, et onus infert.[2]

102. Extinguuntur servitutes quando per spatium diuturnum, viginti scilicet annorum derelinquuntur, vel etiam citius quando qui eis fruitur aliquid facit quo animum eas derelinquendi manifestat.[3] Quando contingit utrumque prædium, vel domum, in unius domini potestatem venire, poterit servituti alterius finem imponere: qui autem deinceps alterutrum possidet, præscriptionis tempus inde debet inchoare.[4]

103. Servitutes *naturales* dicuntur quæ ex locorum situ derivantur. Sic agri inferiores excipiunt aquas e superioribus profluentes. Si fons sit in agro, ex æquitate vicinis permittitur inde haurire aquam: quæ tamen licentia revocari potest, nisi necessitas publica et usus diuturnus aliud suadeant. Si vicini communibus sumptibus fontem includant, et opera erigant ad commoditatem aquam haurientium, domino consentiente, non poterit ipse postea eos prohibere aqua haurienda, quum suo consensu fontem fecerit communem.

(1) "Franchises are certain privileges conferred by grant from government and vested in individuals." Kent's Comm. vol. iii. n. 458.

(2) "The government cannot resume them at pleasure, or do any act to impair the grant without a breach of contract." Ibidem.

(3) "I do not apprehend that the mere non-user of an easement, even for twenty years, will necessarily raise a presumption of its extinguishment, unless there has been, in the meantime, some act done by the owner of the land, charged with the easement, inconsistent with, or adverse to, the existence of the right; and in that case, a release or extinguishment of the right will be presumed." Kent's Comm. vol. iii. n. 449.

(4) "Unity of possession of the estate to which an easement is attached, and of the estate which the easement encumbers, is, in effect, an extinguishment of the easement." Ibidem, n. 450.

Digitized by Google

104. Servitutes *legales* sunt quæ lege statuuntur. Sic via publica juxta canalem libera relinquenda est: sic et viæ jus lege vindicatur prædii remotioris domino ut exeat in viam publicam.

105. Servitutes *conventionales* ex pacto derivantur inter cives libere inito. Aliæ dicuntur *continuæ*, quæ absque actu hominis exercentur, sicut aquæductus, stillicidium: aliæ *non continuæ* quæ actu hominis indigent ut exerceantur: sicut haurire aquam, pecora pascere. Aliæ sunt *apparentes*, quæ sese produnt exterius: v: g: janua, fenestra: aliæ *non apparentes*; v: g: ut murus vel ædes altius non extollantur.

106. Dominus, non verò usufructuarius, vel alius ad tempus domum vel agrum occupans, potest suo consensu servitutem rei imponere: sed et usufructuarii consensus exigitur, quoties illius interest. Si duo habeant commune rei dominium, neuter absque altero potest servitutem consentiendo inducere. Nil vetat quin modus vel conditio ei apponatur.[1]

107. Deficiente consensu usus diuturnus vim obtinet. Jure Gallico novo triginta annorum usus præscriptionis vim habet, quando agitur de servitutibus continuis et apparentibus: non ita de servitutibus non apparentibus, quæ exigunt omnino certum titulum.[2] Apud Anglos viginti anni sufficiunt ut præscriptio servitutis valeat: quod jus est apud nos receptum, quamvis aliqua sit alicubi varietas.

(1) "These servitudes or easements must be created by the owner, and one tenant in common cannot establish them upon the common property without the consent of his co-tenant. The exercise of these urban and rural servitudes may be limited to certain times. The right of drawing water, for instance, from a neighbour's well, may be confined to certain hours, or a right of passage may be confined to a part of the day." Kent's Comm. vol. iii. n. 436.

(2) Carriere, *de justitia et jure*, vol. ii. n. 697.

(3) "The time of limitation varies in particular states. Thus, in Connecticut and Vermont, the term of prescription is fifteen years, and in South Carolina, five years. In Louisiana the time of prescription varies according to the subject, from three to thirty years. But I presume that generally, in this country, we follow the English time of prescription. It was so understood by Ch. J. Parker, in *Gayetty* v. *Bethune*, 14. *Mass. Rep.* 49, and so, also, in *Gilman* v. *Tilton*, 5 N. H. *Rep.* 231. In Louisiana the right of *drip* is acquired by prescription on an enjoyment of ten years without complaint." Kent's Comm. vol. iii. n. 442, *Note.*

Digitized by Google

PARS II.

DE JURIS ALIENI VIOLATIONE, SEU DE INJURIIS.

CAPUT I.

DE INJURIA.

§. I. De injuriæ natura.

108. Injuria apud theologos dicitur juris alieni violatio: quæ quum contingere possit voluntate et animo, seu reipsa absque animo maligno, *formalis*, et *materialis* distinguitur. Axioma est juris canonici: "Scienti et consentienti non fit injuria;"[1] juris etiam civilis: "Nemo videtur fraudare eos qui sciunt et consentiunt."[2] Cæterum si quis ex errore præstet consensum, scire non censetur, quamvis enim rem noverit quam facit, falsò putat se teneri ad eam faciendam. Sic fit injuria rustico a jurisperito qui eum inducit ad actum aliquem veluti lege injunctum, quo se suis rebus gratis spoliat. Consensus plenus et liber sit necesse est, ut quis injuriam haud pati dicatur, si enim ex metu injuste incusso proveniat, utique injuriam patitur qui eum præstat. Sic viatoris consensus ut latro pecuniam secum auferat, injuria extorquetur. Consensus alicujus ad dandam pecuniam ne lite injusta vexetur, injuriam minantis non tollit. Ut valeat consensus, debet rem licitam respicere, si enim leges obstent, irritus erit, et injuria elicitus. Si jus respiciat cui renuntiare quis nequit, utpote si intersit aliorum, vel si alienari non possit, injuria fit etiam consentienti. Sic pupillo fit injuria, dum suis bonis spoliatur consentiens contra leges, quibus suæ ætati con-

(1) Reg. juris xxvii. in 6. (2) Reg. 145. ff. l. xvii.

Digitized by Google

sulitur: injuria fit clerico etiam consentienti ut sui status nulla habeatur ratio, quum aliorum jura cum suo connexa sint.

109. Utrum agentis intentio actum faciat injustum, quæritur. Constat actum externum intentione definiri, ideoque justum esse, vel injustum, pro animi consilio. Si famulus domini pecuniam sumat ut aliquid in familiæ usum comparet, discernendus erit ab alio qui pecuniam surripit in suos usus impendendam. Si in suos usus eam sumat, certus tamen eam quamprimum restituendi, vix fur dicendus erit, licet ea agendi ratio qua injustitiæ discrimini se objicit, et rem usurpat, domino haud monito, improbanda sit. Hoc ex capite plurimi peccarunt nummularii pecuniam sibi concreditam usurpantes lucri spe, etiam reddendi consilio: quod tamen spe frustrati perficere non valuerunt. Quando actus externus per se justus est, utpote ab eo qui certum jus habet patratus, animus quo fit, malignus licet et inimicus, non facit ut injustitia admittatur. Sic qui dimittit famulum, conditionibus pacti cum eo persolutis, non violat justitiam, licet animo iniquo ad puniendum eum ob fidei studium agat. Quotiescumque nullum jus alterius violatur, nulla admittitur injuria, licet quis agat animo nocendi, ideoque peccet. Sic qui inimice denegat beneficium quod totum ex sua liberalitate pendet, justitiæ violatæ non potest argui: et qui gratia apud aliquem utitur ut munus non tribuatur inimico, charitatem, haud verò justitiam, violat, nisi alter jus habeat strictum ex concursu, vel alias, ad munus adipiscendum, vel nisi vis, frausve adhibita sit ad impediendum ne munus adipiscatur. In tribunalibus actus externi injustitia ex intentione aliquando definitur, quatenus scilicet hæc se prodit exterius. Sic jure Romano qui torrentem avertit damni sui impediendi causa, immunis est culpa, licet vicino contra ejus mentem obveniat damnum: "si modo non hoc animo fecit, ut tibi noceat, sed ne sibi noceat."[1]

110. Quærunt theologi utrum intentio nocendi facit ut imputetur effectus ex causa injuste posita secutus, qui tamen casui potius tribuendus videatur: v: g: si quis ponat lapidem, vel alium obicem, simul optans ut alter titubans frangat cervicem. Nihil dubium pravam animi voluntatem rei apud Deum adsimilari: sed utrum quis teneatur ad damna reparanda ex casu adeo inopinato derivata merito dubitatur. De Lugo et Salmanticenses affirmant, quia quamvis

(1) L. 2. §. 9. ff. xxxix. iii. *de aqua et aq. pluv.*

Digitized by Google

mors casui tribuenda videri possit, quippe vix unquam ex causa hujusmodi sequitur; quum tamen ex ea vere secuta sit, et causa sit temere et maligno animo posita, imputanda est.[1] Alii contradicunt, quos sequimur.

111. Utrum quæ fit ex errore actio noxia, injuria habenda sit quæritur, v : g : si quis domum incenderit, putans esse inimici, quæ tamen hominis alterius fuerit: si quis noctu aggrediatur aliquem, eumque interficiat, alium esse existimans. Nulla est ratio dubitandi eum reum esse incendii et homicidii, qui ita egerit, re enim vera utrumque sibi animo proposuit. Videtur etiam obligatus ad satisfaciendum pro viribus: temere enim et vitio animi causam damni posuit, quamvis defuerit intentio huic nocendi. Contrariæ tamen sententiæ aliqua ex parte suffragatur S. Alphonsus, dicens ad onus restitutionis ratione damnificationis requiri actionem formaliter, seu voluntarie injuriosam in alterum qui læditur.[2] In furto autem errorem personæ non obstare fatetur, quia res aliena est præcipuum furti objectum: quum damnum inimico inferendum præcipue respiciatur in actione damnifica. Jus civile in utroque casu damnum jubet reparandum: "Si injuria mihi fiat ab eo cui sim ignotus: aut si quis putet me Lucium Titium esse, cum sim Caius Seius: prævalet quod principale est, injuriam eum mihi facere velle. Nam certus ego sum, licet ille putet me alium esse quam sum, et ideo injuriarum (actionem) habeo."[3]

§. 2. De impediente a consequendo bono.

112. Qui litteris interceptis impedit ne alius consequatur munus, injuriæ reus est: quilibet enim jus habet ne litteræ quæ eum spectant temere intercipiantur. Hinc scriba Gubernatoris qui litteras seponit aliquantulum, ut munus alteri interim conferatur, injustus noscitur, et compensationem debet, pro spei ratione, quæ petenti affulgebat, æstimandam. Si quis alterius litteras casu apertas legat, et utatur notitia inde derivata, ad suis utilitatibus consulendum, non videtur injuriæ reus, dummodo in illius, penes quam erant litteræ, detrimentum ea non utatur. Famuli, scribæ aliique apud aliquem pretio conducti injustitiæ rei sunt, si utantur notitia ea occasione ha-

(1) Vide apud Carriere, vol. ii. n. 722. (2) L. iii. n. 629.
(3) L. 18. §. 3. ff. xlvii. x. de *Injuri et fam. libell.*

Digitized by Google

bita in domini detrimentum: vel etiam in detrimentum eorum qui litteras scripserunt, domino fidentes ne aliis innotescerent. Qui apud nummularios versantur, non possunt suæ studere utilitati ex notitia sibi communicata, si damnum dominis inde obveniat: secus si nullum inde obventurum sit dominis damnum.

113. Qui aliquem avertit a religione vi, minis, fraude, ne divitiæ ejus dentur monasterio, injuriam facit, quum jus sit monasterio ne quis iis rationibus impediat ejus utilitates: secus si suasione et consiliis obstet ingressui alicujus in monasterium; nam quum monasterium jus non habeat ad divitias vel laborem alicujus, ante ejus ingressum, jus nullum violatur. Idem dicendum pluribus videtur de suadente alicui ut deserat monasterium: nam jus non habet strictum ad lucra ex membrorum opera, vel alias derivanda, quum monachi non sint servi: præcipuus quippe institutorum finis est animæ salus, et perfectio.[1]

114. Qui alium ulla ratione impedit ne bonum consequatur ad quod jus strictum habet, reus est injuriæ, quam reparare debet. Sic impediens ne homo ad munus quoddam a præside designatus illud exerceat, ejus jus violat, eique debet satisfacere, pecunia, pro æqua muneris æstimatione, tributa. Quod si impeditus aliud obtineat munus, ex quo lucrum ei contingit, ejus ratio habenda erit in damno æstimando. Spes autem muneris etiam certò impetrandi, jus scilicet ad rem, non tanti fit, quanti ipsum munus, seu jus in re. "Si impedit," inquit S. Thomas, "ne præbenda detur digno, consulens quod non detur antequam sit firmatum quod ei detur; tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum et negotii secundum arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, et poterat multipliciter impediri."[1] Cæterum si quis suadeat alteri ut muneri renuntiet, sponte quidem sua, non fit injuria, utpote scienti et consentienti, licet contra suam utilitatem.[2]

115. Qui impedit ne alius consequatur munus quo plane indignus est, nullam ei facit injuriam, quia jus nemo habet ad consequendum munus cui non est idoneus: sed si jam impetraverit, videtur jus ejus violari, si impediatur ne munus exerceat. Cæterum non peccat

(1) Vide apud Carriere, vol. ii. n. 740. et Lessium *de Justitia et jure*, s. ii. c. viii. dub. iii. n. 12.

(2) 2. 2. qu. lxii. art. ii. *Ad quartum.*

Digitized by Google

qui legitima ratione quærit ut munus ei auferatur, quod absque aliorum detrimento, vel reipublicæ dedecore, exercere non valet.

116. Qui vi, metu, fraude, mendacio, vel aliis injustis rationibus impedit ne alius consequatur bonum quod juste consequi poterat, injustitiæ reus est. De vi liquet, nam injuria est aliquem vi repellere a bono consequendo quod licite consequi potest. Metus a vi vix differt: fraus autem utrique æquiparatur, quando in eundem finem adhibetur. Alioquin unusquisque jus habere censendus est ne rationibus illicitis a bono consequendo prohibeatur. Si autem consilio, suasione, gratia quis alterum impediat ne bonum consequatur, ad quod jus strictum non habet, injuriam nullam ei facit. Hinc qui suadet gubernatori ut alium præ altero designet ad munus exercendum, non debet huic satisfacere, licet constet eum alias fuisse designandum. Qui consulto subtrahit aliquem cujus opera bonum alteri contingeret, violat justitiam, si vi muneris teneatur ille ad operam præstandam: secus si munere suo ad id non obligetur. Sic qui tabellionem subducit, ne actus coram eo fiat qui alias irritus sit, fraudem facit et injuriam. Qui scribam, vel alium qui conficiendo testamento est idoneus, dolo vel munere dato amovet, ne opera ejus utatur moribundus, alterius operam vix habiturus, injuriam facit iis quibus consulere vult hic testamento. Cæterum quum aliis rationibus possit morientis voluntas vim obtinere, coram testibus scilicet eam declarando, vix restituendi agnoscenda est obligatio, nisi vis fuerit adhibita ad impediendum ne testamentum ulla ratione qua valeat conficeretur.

117. Qui cursorem vi detinet ne negotium peragatur alteri utile, interim occasione in sui utilitatem utens, fraudem facit et injuriam: secus si arte tantum, vel suasione, quia tunc cursori damnum est imputandum.

118. Qui veredos omnes in oppido pretio conducit ne alius ad locum quemdam sese conferat, suis utilitatibus consulturus, non videtur injuriam facere, si vi vel minis non faciat ut omnes sibi locentur; utitur enim jure suo.

§, III. De violatione secreti.

119. Secretum *naturale* dicitur illud quod servandum est ex æquitate quadam, ne damnum alteri obveniat: sic culpa alterius quæ

(1) L. 2. §. 9. ff. xxxix. iii. *de aqua et aq. pluv.*

Digitized by Google

alteri casu veluti innotuit, occultari debet, si boni communis, vel privati innocentis non intersit ut exponatur. Secretum *promissum* illud est quod quis pollicitus est servare occultum, licet ei innotuerit ratione qua posset illud evulgare. Secretum *commissum* est illud quod quis alteri communicavit ea conditione ut servaretur occultum. Medici, obstetrices, advocati, aliique ex munere suo, et quodam implicito pacto tenentur ad servanda secreta quæ clientes sui eis communicant sui muneris occasione, quoties damnum ex revelatione proveniret: nec possunt ea prodere, nisi gravissima mala reipublicæ vel innocentibus immineant.

120. Secretum naturale custodiendum est, nisi alias suadeat publica salus, vel magna privatorum utilitas. Charitas utique vetat ne temere revelemus quæ ad nostram notitiam pervenerunt: sed urgente gravi causa, unius utilitates, præsertim rei, publicæ saluti, vel innoxiorum commodis cedunt. Si viderim hominem innoxium se fuga subducere ab insequente, eum interfecturo, non licet eum prodere, quo se contulerit manifestando: quod si reus sit qui latrociniis infestavit regionem, publica utilitas postulat ut indicetur.

121. Secretum promissum violando quis fidem frangit; justitiam insuper, quoties quis ex hac virtute voluerit se obligare. Plerumque non videtur hæc intentio adesse, ideoque haud grave est peccatum. Quod si gravissima animi tristitia, vel damnum grave, violato secreto, oriatur, non erit facile a peccato excusandus qui illud revelavit. Cæterum absque culpa secretum promissum revelatur ob publicum bonum, præcipiente legitimo Superiore; nec enim promissio fieri potuit cum communitatis dispendio. Sic alumnus in seminario ecclesiastico qui promisit alteri servare secretum crimen quod casu detexit, excusatur a fide violata, si viderit alterum moribus haud emendatis ad sacros ordines ascendere velle. Idcirco quum episcopus in sacro ritu invitet omnes qui aliquid obstare norunt ne candidati promoveantur, ut exeant et dicant, licet, imo oportet, prudentiæ servatis regulis, eum, vel Seminarii præsidem, de alumni indignitate certiorem facere. Si grave damnum obventurum sit ei qui promisit, ex secreto servato, et famæ vel vitæ discrimen subiturus sit nisi revelet, plerumque censendus est secreti obligatione immunis; nec enim voluit se cum sui detrimento obligare. Sic furti, fraudis, cædisve suspicio potest oriri, illo silente, qui, ut sibi consulat, rem sibi notam, quam sponte sua, vel alterius rogatu,

Digitized by Google

celare voluit, jure optimo revelat. Si promiserit se secretum servaturum, etiam cum vitæ discrimine, plures censent promissis standum, quum virtutis sit actus egregius vitam pro altero dare: sed alii contendunt neminem posse suam vitam prodigere, ut alterum servet.

122. Secretum commissum ex justitia servandum est, nam pactum veluti initur, dum quis alteri credit arcanum ea conditione ut non reveletur. Peccatum ex se grave est illud temere prodere, quum damnum inferat proximo; sed ob materiæ parvitatem aliquando est leve. Uni, vel alteri, sub pari secreti obligatione illud credere, potest a gravi culpa excusari, si qui secretum primus credidit, non censeatur valde invitus, et verosimile sit illud non esse aliis communicandum. Sed facile gravis admittitur culpa, præsertim quum secretum plerumque sic divulgetur. Qui ex garrulitate, vel levitate animi, arcanum prodit, nonnumquam a gravis culpa excusatur: sed si rei gravitatem habeat perspectam, vel de ea dubitet, graviter peccat ob periculum, in quod incurrit, damnum grave alteri inferendi.

123. Humana auctoritas non potest plerumque exigere, ut quis prodat secretum ex quo gravis noxa obveniat illi qui illud alteri commisit: nam quum nemo ad se prodendum teneatur, ille qui reo fatente crimen novit, ex amicitiæ certa fiducia, videtur ejus sustinere partes, ideoque ab eo prodendo excusari. Cæterum si gravissima mala reipublicæ immineant, secreto servato, non videtur jus cuiquam ut celetur cum gravi omnium detrimento. Extra confessionis arcanum, quod in nullo prorsus rerum discrimine violare licet, alii quibus secretum commissum est in plurimorum detrimentum vergens, non debent illud celare. Advocatus consultus ab aliquo de pœna criminis quod sibi proposuit patrare, ædes publicas, dum senatus habetur, pulvere incendendo, si nequeat eum a proposito deterrere, debet monere privatim eos qui periculum tollant, salva, si fieri possit, clientis vita. Extra hujusmodi casum advocati cæterique omnes quorum munus est aliis præbere consilium, vel quibus alii solent arcana credere, certa fiducia secreti, nequeunt quidquam revelare in suorum clientum detrimentum, etiam ad grave aliorum damnum avertendum: nam fiduciam illam fallere, excepto illo rarissimo casu, turpe foret. "De illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre: quia hujusmodi non scit, ut homo, sed tamquam Dei minister; et majus est vincu-

Digitized by Google

lum sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa ea verò quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur: puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum: quia in hoc frangeret fidem quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia quæ quis prodere non tenetur, unde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur: et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris: quia servare fidem est de jure naturali. Nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de jure naturali."[1] Qui consuluntur nulla secreti obligatione imposita, nec munere suo ad id astricti, debent cavere ne notitia utantur in consulentium detrimentum; censentur enim ea communicasse ea conditione ut sibi non noceatur. Sic Superior, cui tamquam amico aliquis pandit animi sui arcana, non debet iis uti in ejus detrimentum.

124. Si damnum grave immineat servanti secretum, plures dicunt eum posse illud revelare, nec enim censetur voluisse se obligare cum tanto sui gravamine. Illud admittendum videtur, saltem quando de vita agitur, præsertim si credens secretum eum in discrimen veluti injecerit.

125. Secretum vi fraudeve extortum nullatenus licet revelare, injuria enim jam illata augetur, et continuatur illud manifestando. Quod si vita quis periclitetur secretum servando, illud vero revelando alterum in vitæ discrimen adducat, variæ sunt theologorum sententiæ. S. Alphonsus Maria[2] censet licere illud revelare, si res jam eo deducta sit, ut notitiam illam quis exquirere possit si ea careret: v: g: si ex adjunctis quis duceretur ad eam exquirendam, quia rerum conditione mutata injuria non fit ea utendo. Secus peccatur, quia jus inquirendi non habetur, deficientibus aliunde indiciis.

126. Qui secretum vi vel fraude expiscatur, peccati ex genere suo mortalis reus est, unusquisque enim jus habet sua sibi servandi arcana. Hinc litteras alterius aperire, vel apertas legere, vel libros qui in scrinio deponuntur, vel alia secreta legere non licet, quia do-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxx. art. i. *Ad secundum.* (2) L. iii. n. 969.

Digitized by Google

minus est jure optimo invitus. Ex curiositate quidem legere ea quæ parvi censentur momenti levis plerumque est culpa: sed si suspicetur lecturus infamiam alicui ex lectione orituram, vel grave aliud damnum, peccat lethaliter. Eadem tenetur culpa, si noverit dominum litterarum ægre laturum eas lectas fuisse, et vehementem inde passurum tristitiam. Multo magis peccabit utendo notitia sic acquisita in alterius detrimentum. Excusantur a peccato superiores in ordinibus religiosis, qui litteras subditorum legunt, quia id vel regula statuitur, vel consuetudine omnium ordinum inductum est. In seminariis ecclesiasticis et in collegiis jus illud plerumque superiori vindicatur. Justa interveniente causa litteræ quandoque aperiuntur a gubernio, quando conjuratio timetur, vel in bello, ut hostium secreta innotescant. Illud quandoque privatis licere dicit Carriere, ad injuriam propulsandam quam sibi inferendam ex gravibus indiciis judicant: sed id haud facile admittendum. Profectò mercator qui scribam apud se occupatum suspicatur litterarum commercium in sui detrimentum fovere, injuriam ei facit, nisi indicia sint admodum magna: maritus qui uxorem litteras amatorias scribere vel recipere temere judicat, iniqua suspicione peccat, ideoque litteras aperiendo reus est. Quod si necesse sit litteras legere subditorum ob causam satis gravem, quæ ad rem de qua suspicio non spectant prætermittenda sunt, et quæ ad privatas res referuntur, non sunt ullatenus divulganda.

127. Consentiente illo ad quem litteræ diriguntur nulla est culpa litteras legere, quamvis si scriptoris intersit, non sunt absque ejus venia divulgandæ, præsertim si ex fiducia quæ inter amicos fovetur scriptæ sint. Qui litteras apertas relinquit in loco publico, censetur consentire ut legantur: qui eas in partes scissas projicit, non vult ut legantur: quod si quis eas iterum conjunctas legerit, videtur injuriam facere domino.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE FAMÆ ET HONORIS LÆSIONE.

128. Fama intelligitur plurimorum opinio et sermo de alicujus vita et moribus. Plurimi fit apud omnes bona fama, quam ipsa commendat Scriptura tamquam divitiis longe anteferendam: "Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ."[1] "Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa."[2] "Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni."[3] "Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est, maxime in loco isto positus, de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum, Tit. cap. ii. 'Circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum.'"[4] Honor est "testificatio de excellentia alicujus,"[5] quæ fit verbis, gestibus, vel munerum et dignitatum collatione.

129. Detractio est injusta alienæ famæ læsio, occulta crimina detegendo. Calumnia est læsio famæ ficta crimina alicui impingendo. Aliquando quis consultò quærit famam lædere, aliquando ea profert ex garrulitate quæ reapse famæ nocent. Detractio respicere potest aliquem hominem singularem, vel aliquem e cœtu hominum, quin designetur, vel totum cœtum. Fieri consuevit voce in familiaribus colloquiis; sed jam in diariis occulta quæque delicta consueverunt vulgari, cum magno morum detrimento.

130. Præcipui detrahendi modi hoc versiculo enuntiantur:

> "Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;
> Qui negat aut minuit, reticet, laudatve remisse."

Imponere censetur qui crimen falsò alicui impingit, qui proinde calumniæ reus est: *auget*, qui crimen verum exaggerat: *manifestat* qui quod latuit, et latere poterat crimen in lucem profert: *in mala vertit*, quæ absque animo pravo facta sunt detorquens; *negat* præ-

(1) Prov. xxii. 1. (2) Eccl. vii. 2. (3) Eccli. xli. 15.
(4) Aug. Serm. ccclv. alias *de diversis* xlix. *de vita et moribus clericorum suorum*, c. i. (5) Ita S. Thomas 2. 2. qu. ciii. art. i.

Digitized by Google

claras alicujus dotes et virtutes; vel eas *minuit*, impugnando rationes agendi, *reticet* præclare gesta, quando oporteret ea recensere, vel *tenuiter laudat*, adeo ut præjudicium auditoribus ingerat.

131. Qui de crimine loquitur, quin designet reum, peccat si inde infamia cœtui alicui obveniat: v: g: si de sacerdote cujusdam communitatis loquatur. Item peccat si ita loquatur ut reus intelligi possit, quod facile contingit. Si non asserat crimen patratum esse, sed dicat rumorem quemdam crebrescere, vel aliquem id asseruisse, temere plerumque loquitur, et infamiæ dat locum.

132. Quam grave sit peccatum detractio liquet ex pluribus testimoniis Scripturæ: "abominatio hominum detractor:"[1] "Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit:"[2] "Detractores" inter eos recensentur qui "digni sunt morte:"[3] "Maledici . . . regnum Dei non possidebunt."[4] Adeo abhorruit Augustinus ab hoc vitio, ut mensæ apposuerit distichon:

> "Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
> Hanc mensam vetitam noverit esse sibi."[5]

133. Charitati detractionem repugnare indubium est: "charitas enim operit multitudinem peccatorum."[6] Qui diligit amicum celat ejus culpas et extenuat: ideoque qui eas temere detegit, haud amare proximum convincitur. Verus amor facit ut erga alios nos ita geramus, quemadmodum cupimus eos nobis facere: nemo autem est qui non suæ studeat famæ, et cupiat bonum nomen ab omni labe suspicionis servare immune. Decet igitur ut et famæ proximi consulamus, et culpas ejus, extra necessitatem, non revelemus. "Auferre autem alicui famam," inquit D. Thomas, "valde grave est: quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cujus defectum impeditur homo a multis bene agendis: propter quod dicitur Eccl. xli. 'Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni et pretiosi.' Et ideo detractio, per se loquendo, est peccatum mortale."[7] "Fama præeminet divitiis, eo quod propinquior est spiritualibus bonis. Unde dicit Prov. xxii. 'Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.' Et ideo detractio secundum suum genus est majus peccatum quam furtum."[8]

(1) Prov. xxiv. 9. (2) Eccl. x. 11. (3) Rom. i. 30.
(4) 1 Cor. vi. 10. (5) Possidius, *in vita Augustini.*
(6) 1 Pet. iv. 8. (7) 2. 2. qu. lxxiii. art. ii. *Resp.*
(8) Ibidem, art. iii.

Digitized by Google

134. Peccari dum sine causa delicta occulta proximi revelantur, inde etiam patet, quod jus habet quisque ad famam, quamdiu nihil palam fecit quo malam de se opinionem plurimis ingessit, vel quamdiu boni communis non interest, ut occulta ejus delicta detegantur. Peccando quidem Dei amisit amicitiam, et se exposuit infamiæ discrimini; sed charitas vetat ne palam exponatur ejus culpa, absque gravi satis causa.

135. Publicam ob utilitatem licet revelare occulta alicujus delicta, qui fama abutitur ad alios decipiendos. "Revelare peccatum occultum alicujus, propter ejus emendationem denuntiando, vel propter bonum justitiæ publicæ accusando, non est detrahere." Ita S. Thomas.[1] Sic apostata qui veritatis studio sua prætexit vitia, meretur, ut hæc palam prædicentur. Peculatus rei, qui munera habent publica, recte deteguntur, ut desinant injuste agere: cæterum quæ coram tribunali dijudicanda sunt, non debent temere in publicum edi, ne injuria fiat innocenti. Omnes magistratus, ne Præside quidem excepto, juxta *constitutionem* qua regimur, publicæ opinioni quodammodo subjacent: ideoque non peccat qui reipublicæ studio eorum æstus investigat, et damnat, pro merito: peccat autem eis detrahendo qui occulta anteactæ vitæ delicta temere exponit, vel propinquorum flagitia, vel alia quæcumque, quæ non interest populi nosse ut suæ consulat utilitati. Hac in re optandum ut modus tandem aliquando ponatur calumniandi detrahendive libidini, quæ foliorum publicorum auctores agit.

136. Si quis injusta aliqua ratione crimen proximi didicerit, non poterit ea uti notitia cum famæ illius dispendio, nisi malum quod impediendum est sit gravissimum, cui postea non poterit remedium adhiberi. Equidem injuriam auget qui crimen hujusmodi divulgat: sed imminente gravissimo malo quod nequeat reparari, videtur licere uti notitia jam acquisita, quum jus non sit alicui ad famam cum tanto aliorum detrimento. Sic si quis falsa clave arcam mercatoris aperuerit, et detegerit eum fraudem creditoribus facere velle, poterit absque culpa aliquos clam monere ut sibi consulant, et ejus fugam impediant. Qui litteris sacerdotis temere apertis, novit eum pravam fovere amicitiam, poterit episcopum monere, ne cum gravissimo animarum damno sacra munia exercere pergat.

(1) 2. 2. qu. lxxiii. art. ii. *Ad primum.*

Digitized by Google

137. Qui crimine aliquo publico famam amisit, non est alterius criminis temere incusandus, si occultum sit, et genere ab altero diversum. Ebriosus non est, absque causa, furti, quod clam commisit, palam arguendus: impudicitiæ semel rea, quæ, tumente utero, suum prodidit crimen, non est accusanda fœtus prioris clam interfecti, de quo plerique nihil suspicati sunt. Imo alterius peccati ejusdem speciei revelatio non est facile facienda; nam qui semel visus est ebrius non ideo famam penitus amittit: si autem quis referat eum alia occasione ebrium fuisse, jam censebitur consuetudine vitii laborare. Liquet famam non omnem statim interire, sed pro delictorum numero et gravitate.

138. Publica habentur crimina omnia quæ judicio probata sunt, licet non fuerint statim divulgata, *jure* quippe publica sunt. Publica sunt *facto*, seu reipsa, quæ coram multis patrata sunt, adeo ut nulla tergiversatione celari possint. Talia sunt omnia quæ in loco publico palam patrata sunt, vel quæ alias se veluti produnt.

139. Privatorum utilitati recte consulitur occulta alicujus delicta detegendo, præstat enim innotescere rei delicta, quam ut innocenti inferatur damnum. Sic juvenis, qui puellam vitiavit, crimen jure optimo detegitur patri alterius puellæ quam invisit: scribæ fraus, vel furtum, recte revelatur mercatori, qui alias magnum facile sustinebit detrimentum illi fidendo: famulæ ebrietas declaratur dominæ, ne incendantur ædes sua negligentia, vel aliud oriatur detrimentum. "Si quidem," inquit S. Thomas, "verba per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio."[1]

140. In judicio omnia possunt detegi quæ ad ordinem juris pertinent, et ad recte judicandum requiruntur. Idcirco et testium occulta delicta quæ eorum fidem dubiam faciunt, licet exponere. Cæterum nihil temere est proferendum, ideoque peccat qui quæ nihil pertinent ad causam, cum famæ aliorum damno in medium adducit. Quando judicis sententia reus quis judicatus est, jus amisit ad famam, interest enim boni communis ut reus innotescat: ideo detractio non admittitur ejus referendo crimen. Charitas tamen suadet ut aliquando celetur: v: g: si e carcere liberatus in longinquam regionem se contulerit, et ibi mutato nomine delitescat, industria et probitate commendatus.

(1) 2. 2. qu. lxxiii. art. ii. *Resp.*

Digitized by Google

141. Ad consilium capiendum, et ad consolationem in ærumnis gravissimis, videtur licere delictum proximi revelare amico fido, vel gravi viro, cujus consilio et opera ad ferendam calamitatem adjuvemur. Equidem subsidio hoc infirmitas humana fere indiget, quod subtrahi non debet ut delinquenti consulatur.[1] Sic mulier quæ a marito molestias patitur vehementes, excusatur, quod a propinqua solamen quærens, suas enarret ærumnas. Cæterum christianum decet hominem ad Deum in rebus angustis confugere.

142. Quando deest consilii necessitas, vel solaminis, venialis saltem est culpa delictum occultum referre vel uni viro gravi, qui illud aliis non revelabit, nec utetur notitia in aliorum præjudicium. Sic ex S. Thoma colligitur: "Si autem hoc sive prælato, sive alicui amico suo ex malitia refert, tunc peccat mortaliter. Quod si ex incautela alicui dixerit hoc, ita tamen quod non proveniat inde aliud, vel infamia, vel vituperium proximo delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat."[2] Et alibi: "Si autem proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale: nisi forte verbum quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat: et præcipue in his quæ pertinent ad honestatem vitæ."[3] Excusantur tamen plerumque a culpa omni qui confessario aliena peccata manifestant, dum sua enarrant, nam ex arcani fiducia censent omnia tuto referri.

143. Sive publica utilitas, sive privata, manifestandi proximi delicta det occasionem, cavendum ne malitia, vindictæ studium, vel aliud vitium sese immisceat; quod enim per se licet, si animo pravo fiat, noxæ habetur. Ne pluribus quam necesse est fiat revelatio etiam cavendum; et ne ob causam haud adeo gravem damnum famæ gravissimum inferatur.

144. Quæ publica sunt *jure*, possunt divulgari illæsa justitia, et plerumque charitate servata: si tamen sententia prolata sit intra septa monasterii, vel in collegio aliquo, non potest sine injuria contra judicis eam ferentis intentionem divulgari. Charitas etiam vetat ne sententia jam oblivioni tradita in memoriam revocetur, cum probro rei. Vetat pariter ne sententia a privato aliquo referatur in loco ad quem non esset alias perventura, quando dolor animi inde nasci-

(1) Ita Lessius, aliique. (2) *Quodlibet*, xi. art. xiii. ad 8.
(3) 2. 2. qu. lxxiii. art. ii. *Resp.*

Digitized by Google

tur reo, absque ulla publica utilitate. Si in hac regione versetur aliquis ex Russia profectus, qui in patria damnatus est, non licet ei emendato jam et optimi civis munera explenti, exprobrare crimen, vel apud alios divulgare.

145. Quæ publica sunt *facto* in quodam loco non possunt, illæsa charitate, in alio divulgari, si fama alioquin non esset eo perventura, et damnum nullum ex silentio proveniat: imo plerisque videtur justitia violari, unusquisque enim jus censetur habere ad famam, donec sententia judicis ablatum sit, vel suo actu illud amiserit, vel occulto vitio inferat societati periculum. Hinc puella quæ novit aliam in sua patria gravidam fuisse ex illicito consortio, non debet id de ea referre in loco ad quem alias nulla perveniret ejus notitia.

146. Quæ aliquando publica fuerunt, sed jam oblivioni sunt tradita, non possunt salva charitate in memoriam revocari: cæterum non facile peccatum mortale admittitur ea referendo, quum jus ad famam facto notorio sublatum sit.

147. Qui referunt nescientibus quæ alii plerique norunt crimina, non censentur detrahere, ad eorum enim notitiam facile perducerentur. Quod si injuria publica evaserint, ex proditione, vel alias, nihilominus quum crimen innotescat, quacumque ratione contigerit, jam fama nequit servari.

148. Rumor qui aliquando crebrescit non tollit jus ad famam, sæpe enim caret fundamento: ideo non excusantur qui festinanter spargunt rumores, præsertim si aliquid suo assensu videantur addere roboris. Cavendum igitur ne ex rumore pervulgato occasio sumatur rem veluti certam referendi.

149. De rerum gestarum scriptoribus quæritur, utrum peccent vitia occulta detegendo, et rationes quibus moti sunt quique indagando. Quandocumque veritatis studio aguntur, et publicæ consulunt utilitati, veram hominum, quorum res gestas referunt, effigiem exhibendo, culpandi non sunt, præsertim si magni momenti sit ea omnia absque fuco describere. Cæterum qui vana et incerta pro certis venditant, et pro arbitrio, vel odio, temere sibi fingunt malos quos sibi alii proposuerunt fines, pessimi sunt detractores, qui virorum insignium famam lædunt, et reipublicæ et religione magnum inferunt detrimentum.

150. Defunctorum memoriæ parcendum est, juxta axioma: *de mortuis nil nisi bonum*. Cæterum Salmanticenses cum aliis cen-

Digitized by Google

sent minus peccari mortuis detrahendo, quam vivis, quum minus indigeant fama, et minus ægre ferant ejus jacturam.

151. Ut peccetur graviter detrahendo gravis requiritur materia, et grave famæ nocumentum. Si res quæ de aliquo asseritur levis in se sit, sed ex communi quæ alicubi viget sentiendi ratione, probrosa, poterit grave damnum famæ inferri, ideoque grave admitti detrahendo peccatum. Sic de sacerdote si dicas eum ludere chartis, ipsi magna fit injuria apud plerosque, in hac regione, qui chartarum lusum, etiam ad animum recreandum, sacro ministro prorsus indignum censent. Sic res levis potest fieri gravis, occasione dignitatis, seu muneris quo quis fungitur. De episcopo si dicas eum jocando mentiri consuescere, multum ei apud omnes detrahis; si de medico affirmes eum nimis familiariter se cum mulieribus gerere, graviter ei noces; nec enim facile ejus opera mulieres spectatæ familiæ utentur.

152. Res gravis aliquando levis habetur, admissa ab eis quorum conditio vilis mores plerumque inducit vitiosos. De operario referre quod ebrius fuerit; de plaustrorum ductoribus, quod sint rixati; de militibus quod juraverint; de mancipiis quod furta fecerint minuta in domo heri, plerumque leve est.

153. Quotiescumque occulta crimina gravia revelantur de aliquo bonæ alioquin famæ, videndum utrum apud auditores relatio multum habeat momenti. Quæ inter pocula proferunt homines non magnam plerumque obtinent fidem: quæ juvenes de puellis a se vitiatis referunt, jactandi causa, sæpe ficta censentur: quæ homo mendax habitus, dicit de alio spectatæ virtutis, calumniandi et mentiendi libidini tribuuntur.

154. Quando mores alicujus generaliter describuntur, ex: gr: quod sit superbus, tyrannicus, gravitas detractionis ex adjunctis est dijudicanda; si enim verba illa dominationis et superbiæ enormis ingerant notionem, gravis censenda est detractio. Cæterum opinamur hujusmodi voces plerumque leviter proximo detrahere; vel enim censentur ex animo valde commoto provenire; vel de animi indole, et excessu quodam haud gravi excipiuntur; vel ipsi mores hominis adeo se produnt; ut talis a plerisque habeatur.

155. Quando plures leves culpæ de aliquo referuntur, ita ut graviter famæ et æstimationi ejus noceatur, quod facile contingit, iisdem audientibus, grave videtur peccatum, uti De Lugo animadvertit:

Digitized by Google

secus si referantur diversis, qui sibi invicem non sunt communicaturi notitiam.

156. Detractio omnis ejusdem speciei esse pluribus theologis videtur, quum tota ejus malitia a fama læsa derivetur; ratio autem diversa qua læditur, injuriæ et peccati gravitatem variat, specie delicti haud mutata. Nemo dubitat gravius peccari sacerdoti impudicitiam objiciendo, quam iram, vel superbiam, vel pecuniæ emungendæ studium.

157. Reparanda est fama ab eo qui alteri detraxit, meliori qua fieri potuerit ratione; "sine mendacio tamen."[1] Poterit agnoscere se temere locutum, et jam revocata habenda quæ protulerit. Dotes etiam quæ laude dignæ sunt poterit recensere, ut quam alias abstulit, famam altera ex parte reparet. Cæterum non tenetur ad famæ alienæ reparationem cum vitæ periculo; sed tenetur, licet famæ suæ detrimentum inde passurus sit.

158. Præter famæ detrimentum, sæpe damna alia nascuntur, ex detractione et calumniis, quæ omnia reparanda sunt ab eo qui eorum fuit causa injusta. Qui igitur malitiose impedivit ne contractus iniretur cum mercatore, qui honestum lucrum inde percepturus erat, debet pro lucri æstimatione ei satisfacere. Qui alium privavit munere, fraudem ei falsò imputando, tenetur ad satisfaciendum pro emolumenti amissi ratione. Idem dicendum si occultum delictum temere fuerit revelatum: quamvis enim nonnulli contradicant, eo quod delictum censendum sit damni causa, placet tamen Lessii[2] et plerorumque theologorum sententia affirmantium revelationem delicti esse causam damni, nam hoc non contingeret, delicto haud cognito. Si igitur virum, qui probus jam sit, delicti quod ante annos aliquot secretò admisit incusando, faciam ut munere dimittatur, ei satisfaciam oportet. In damnis æstimandis spes lucri non tanti æstimatur, quanti lucrum ipsum: et laboris et incertitudinis habenda est ratio.

159. Audientes detractionem, si munere suo teneantur eam impedire, peccant non impediendo, quum possint. Sic superior audiens subditum detrahere, pater filium, debet eum corripere. Sic et judex advocatum temere detrahentem alicui, absque ullo ad litem respectu, debet ad causæ discussionem revocare. Cæterum qui negligit cor-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxii. a. ii.
(2) *De Justitia et Jure*, §. ii. cap. xi. dub. xix. n. 104.

Digitized by Google

ripere, vix violat justitiam, nam non videtur teneri ex officio ad impediendum malum temporale alterius, quale est famæ amissio, quamvis debeat invigilare ne subditi peccent. Quod si superiores vel alii quicumque plaudant subdito detrahenti, vel hortentur ut detrahant, causa sunt damni quod alienæ famæ obvenit, ideoque illud ex justitia reparare debent.

160. Omnes contra charitatem peccant, quoties libenter præstant aures detrahenti, nisi forsan in modo detrahendi tantum sibi complaceant, quod leporum ac facetiarum disertus sit. Peccant etiam qui curiositati indulgent, audiendo detrahentem ut res gestas aliorum discant: sed a gravi peccato a pluribus excusantur, quoties abest delectatio de detractione.

161. Qui non impediunt detractionem, quum facile possint, graviter contra charitatem peccant, quoties atrox valde est detractio, vel magnum infert damnum religioni, aut privato cuilibet. Cæterum plerumque venialis tantum est culpa, quum ex animo pusillo et verecundo contingat haud impediri; vel quod quis alteri graviter displicere timeat, vel quod ne arcessat graviora mala vereatur. Equidem prudentia aliquando non sinit ut resistatur detrahenti, qui ad alia enarranda facile provocatur. Sæpe vultus austerus eum satis corripit: "Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem."[1] Aliquando sermonem ad alia divertere præstat.

162. Lucide pro more Angelicus Doctor tradit; "Si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire: unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio, propter odium ejus cui detrahitur: non minus peccat quam detrahens, et quandoque magis. Unde Bernardus dicit: 'Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.' Si verò non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens, et plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere: vel propter aliquod periculum, quod audiens novit consequens; vel propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale."[2]

(1) Prov. xxv. 23.

(2) 2. 2. qu. lxxiii. art. iv. *Resp.*

Digitized by Google

163. Qui typo divulgant occulta aliorum delicta, quorum notitia publicæ utilitati non inservit, gravissime detrahunt, quum foliis publicis vel libris fama ubique diffundatur. Capitis pœna lege civili statuta olim est libellorum famosorum auctoribus.[1] Plurimæ etiam extant ecclesiasticæ sanctiones contra pessimum hoc detrahendi et calumniandi genus, quas innovavit S. Pius V.[2] Legibus nostris licentia omnibus est quidlibet imprimendi; sed suo periculo agit qui alienam lacerat famam; nam est jus læso litem intentandi criminalem, vel civilem.[3] Rerum relatarum veritas in judicio si probetur, scriptorem non facit immunem periculo, quoties maligno animo egisse videatur, præsertim contra Gubernium Supremum: sed apud nos vix ulla servatur etiam supremis magistratibus reverentia. Qui libri divulgantur religioni contrarii impune dogmata fidei catholicæ in regione hac impugnant, et gravissimas calumnias pro dogmatibus obtrudunt: attamen qui in christianam religionem ejusque auctorem impie invehuntur, possunt in judicium vocari, ut auctores pœnis, levissimis plerumque, plectantur.[4]

164. *Contumelia* specialis injuria a jurisconsultis habetur, est enim injusta honoris imminutio scienter facta. Fit verbis quæ contemptum proximi indicant, quem gravissimum esse Christus Dominus nos docet: "qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis."[5] S. Paulus idcirco "contumeliosos" inter eos qui "digni sunt morte"

(1) L. duodecim tabul. apud Ciceronem, l. xiv. *Tuscul. quæst.* Vide et l. xix. *cod. Theodos.* tit. xxxiv. *de famosis libellis.*

(2) Const. cxlviii. quæ incipit: *Romani pontificis providentia.*

(3) "A malicious intent towards government, magistrates, or individuals, and an injurious or offensive tendency, must concur to constitute the libel. It then becomes a grievance, and the law has accordingly considered it in the light of a public as well as a private injury, and has rendered the party not only liable to a private suit at the instance of the party libelled, but answerable to the state by indictment as guilty of an offence tending directly to a breach of the public peace." *Kent's Comm.* vol. ii. n. 16.

(4) "A publication stating our Saviour to be an impostor, and a murderer in principle, and a fanatic, is a libel at common law, 1 B. & C. 26. The general law as to this offence, as collected from 2 Stra. 834. Fitzg. 64. Barn. R. 162. is, that it is illegal to write against any one of its evidences or doctrines, so as to manifest a malicious design to undermine it altogether; but that it is not illegal to write with decency, on controverted points, whereby it is possible some articles of belief may be affected." Chitty, note 15 to Blackstone's Comm. l. iv. n. 59.

(5) Mat. v. 22.

Digitized by Google

recenset.[1] Aliquando tamen jure optimo corripiuntur improbi verbis acrioribus, vel excitantur minus fervidi. Sic Christus sæpe hypocritas vocavit Pharisæos, suosque discipulos stultos designavit, quod Scripturæ oracula minus intelligerent. S. Paulus etiam exclamat: "O insensati Galatæ!"[2] Sed rarissime oportet severiori increpatione uti, ne exulceretur animus. Scripto contumelia etiam fit, injuriaque augetur dum plurimis innotescit. Facto, seu re, irrogatur contumelia, dum labiis compressis, vel alapa impacta, vel calce, alterius honori detrahitur. Sic etiam effigies alicujus per vicos tracta incendio consumitur, vel alias dehonestatur.

165. Honor injuste ablatus restituendus est, nam injuria fit dum quis alium contumelia, vel alia ratione, immeritò afficit, quæ ut reparetur, honor est læso præstandus: plerique quippe pluris faciunt honorem quam divitias. Qui secretò abstulit alteri honorem, eum privatim lædendo, debet ei pari ratione satisfacere: qui coram aliis eum læsit, publicam debet satisfactionem. Attamen nonnumquam redditur honor amica salutatione, honorifica mentione, locum honoratiorem vel munus concedendo, vel alia quacumque ratione quæ læso sit grata. Satis est plerumque sic læso gratificari, præsertim si injuriam intulerit superior, qui vix potest, salva auctoritate, se ad preces demittere: at quoties gravissima est injuria, petenda est venia, si ita exigat læsus, et alterius patiatur conditio.

(1) Rom. i, 30. (2) Gal. iii, 1.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE.

§. I. De re accepta.

166. *Restitutio* est actus justitiæ quo res alterius redditur, vel damnum ei illatum reparatur. Hæc est adeo necessaria ut nulla sit veniæ spes ubi abest voluntas restituendi: ipsa quippe ratio dictat repugnare justitiæ rem alienam retinere, vel damnum haud resarcire. Hinc Ezechiel inter pœnitentiæ indicia recensuit quod impius "pignus restituerit, rapinamque reddiderit."[1] Tobias etiam timens ne hœdus furto fuerit ablatus, eum jussit reddendum: "Vide ne forte furtivus sit. Reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere."[2] Quapropter Augustinus optime docet: "Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest."[3] Hanc rite posuit exceptionem, nam, uti animadvertit S. Bernardus: "voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas."[4] Ipsa restitutionis dilatio injuriam infert proximo: "quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, et sic ei facit injuriam."[5]

167. Quinque enumerantur restitutionis radices, nempe res accepta, injusta acceptio, injusta detentio, injusta damni illatio, et contractus, vel officium. *Ex re accepta* tenentur restituere qui rem alienam etiam bona fide acceptam apud se habent. Sic qui a fure emit rem alienam, haud suspicans furtum, tenetur eam domino reddere. *Ex injusta acceptione* tenentur qui rem alienam injuria usurparunt, furto fraudeve. *Ex injusta detentione* tenentur restituere qui rem alienam, quacumque ratione acceptam, retinuerunt

(1) Ezech. xxxiii. 15. (2) Tob. ii. 21. (3) Ep. cliii. ad Maced. n. 20.
(4) Ep. lxxvii. (5) S. Thomas, 2. 2. qu. lxii. art. viii. *Resp.*

Digitized by Google

invito domino: sicut qui pecuniam apud se depositam nolunt reddere domino juste petenti. *Ex injusta damni illatione* tenentur qui alteri injuriam irrogarunt.

168. *Ex re accepta* ad restitutionem ligatur imprimis qui rem alienam bona fide accepit. Possessor *bonæ fidei* tenetur ad rem alienam restituendam quamprimum, postquam noverit eam alterius esse. Si eam bona fide consumpserit, debet restituere quantum rebus suis pepercit, vel in quo factus est ditior. Ovis aliena gregi forte admixta restituenda est domino, quam si comederim, putans esse meam, debeo aliam ei dare, nam huic peperci alteram comedendo. Si eam cum meis vendidero, pretium ejus reddere debeo, nam in eo factus sum ditior. Quod si quis nihil lucratus sit, vel rebus suis non pepercerit, rem alienam bona fide sibi sumendo, quam certe pecunia sibi noluisset comparare, ad nihil tenebitur. Fructus etiam rei naturales, et civiles, non autem meræ industriæ reddendi sunt, si extent: secus, "fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint."[1] Porro fructus illos dicimus *naturales*, qui nascuntur absque ulla opera hominum: v: g: fœtus pecorum; *civiles*, qui ex juris dispositione ex rei usu oriuntur, v: g: ex domus locatione; *industriales*, qui soli hominum operæ tribuendi sunt: v: g: lucrum ex pecunia negotiando; *mixtos*, qui partim ex humana industria, partim ex natura prodeunt: v: g: vinearum et agrorum fructus. Hos, quatenus naturales sunt, possessor bonæ fidei restituere debet, retentis sibi industriæ fructibus, et suis etiam impensis et laboribus deductis.

169. Possessor *malæ fidei*, qui scilicet injuste usurpavit, vel retinuit rem alienam, tenetur ad eam restituendam, si extet; ad solvendum verò ejus pretium, si non extet. Compensare etiam debet omne damnum emergens et lucrum cessans domino.[2] Fructus omnes rei quos reapse percepit, vel quos dominus percepturus fuisset, debet restituere, exceptis his qui industriæ debentur. Deducere tamen potest impensas necessarias, vel utiles, quas fecit, si dominus eas facturus fuisset: non autem eas quæ voluptatis dicuntur, eo quod ad ornatum tantum pertineant v: g: *viridaria, picturæ*, &c. Jus civile negat actionem possessori malæ fidei ad repetendas expensas.[3] Hæc autem lex, quum pœnalis sit, non obligat nisi post sententiam.

(1) L. prima ff. *de hæred. pet.* (2) L. v. Cod. *de rei vindic.*
(3) L. Adeo 7. §. Ex diverso, ff. *de acquir. dom.*

Digitized by Google

170. Si perierit res aliena apud possessorem malæ fidei casu aliquo quo certe apud dominum peritura fuisset, plurimi cum S. Alphonso de Ligorio docent nullam esse restituendi obligationem; quamvis enim fur injuriam intulerit, non fuit tamen causa efficax damni, quum res æque fuisset peritura. Sed si fur rem consumpserit, vel perdiderit, antequam commune illud evenerit periculum, tenebitur ad restitutionem, nam tunc fuit vere causa damni, quamvis alioquin damnum evenisset. Item si injuria et culpa alterius perierit, peritura ex eadem causa apud dominum, manet obligatio restituendi. Si res aliena apud injustum possessorem creverit, utilitas inde proveniens domini est, etsi dominus eam fuisset consumpturus ante incrementi tempus: res enim adhuc domino crescit. Hinc si agnum furto ablatum consumpserit quis, postquam apud se creverit ejus valor, tenebitur integrum pretium solvere, deductis saginandi expensis. Sed si eum consumpserit quando vilioris erat pretii, vilius tantum ab eo exigetur pretium; nisi dominus agnum servaturus ad incrementi tempus, damnum majus ex furto sit passus.

171. "Qui fingens se pauperem, vel alium quam est, extorsit eleemosynam, non tenetur restituere, si parva fuit, qualis ostiatim mendicantibus datur; secus, si fuit magna; tunc enim, quia subintelligitur conditio hæc, (si pauper est) tenetur restituere secundum Molinam danti; secundum Palaum, vel danti, vel aliis pauperibus." Ita Busembaum apud Alphonsum de Ligorio.[1]

§. II. De damno illato.

172. *Ex damno illato* oritur restituendi obligatio, quoties injuria id contigit, juxta illud juris canonici: "Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his satisfacere te oportet."[2] Quod absque culpa fit, non hoc secum fert onus, si enim ad res suas servandas, flagrante incendio, quis domum diruat ne flamma ulterius vagetur, non tenetur ad damnum reparandum. Si præter intentionem damnum contingat, occasione actus illiciti, quin ullatenus fuerit prævisus, nec plerumque cum eo connexus, "uti si fur penitus fortuitò domum alienam incenderet,"[3] restitutionem haud deberi censet S. Alphonsus, casui scilicet tribuendum est. Qui magnum intulit

(1) L. iii. n. 622. (2) Cap. fin. *de injuriis*. (3) L. iii. n. 549.

Digitized by Google

damnum minus inferre volens satisfacit, eodem judice,[1] si minus resarciat, excessus quippe præter voluntatem contingens casui adscribitur: sic qui stabulum incendit, minime prævidens flammas inde vento abripiendas, quibus domus incenderetur, non tenetur juxta ipsum ad domus valorem restituendum, sed satisfacit stabuli valore soluto. Alii tamen censent eum, utpote temere et malitiose dantem occasionem domus incendio reum haberi: quod certe dicendum, quoties periculum incendii gravioris manifestum fuit.

173. Culpa apud theologos est peccatum: apud jurisperitos est diligentiæ debitæ omissio, seu casu, seu vitio animi contingat, quam *culpam juridicam latissimam, latiorem, latam, levem, levissimam*, varie appellant. "Culpa *latissima* est dolus apertus; *latior* est dolus præsumptus. Est autem dolus quævis calliditas, fallacia, et machinatio ad circumveniendum, fallendum et decipiendum adhibita. Calliditas fit tacendo, fallacia mentiendo, machinatio arte verborum." Ita Lessius,[2] post Glossam.[3] Culpa *lata* est omissio diligentiæ, quam adhibere solent homines ejusdem conditionis, uti si quis ex officina recedens relinquat ostium scriniaque aperta, et merces, seu pecuniam, quas quisquam facile auferat. Culpa *levis* est omissio diligentiæ quam prudentiores consueverunt adhibere. Qui paululum recedens negligit secum deferre scrinii claves, quas tamen nullatenus verosimile est alium, eo absente, arrepturum ad furandum, levem tantum culpam juridicam admittit. Culpa *levissima* est omissio diligentiæ quam prudentissimi tantum adhibent. Ea posset tribui domus custodi, qui cubitum iturus omnia ostia obserat, et domum undequaque munit, negligit autem singula scrutari loca, ne forte fur lateat.

174. Ex culpa latissima oriri obligationem restituendi liquet, nam dolus peccatum includit. Sed "quando non intercessit aliquis contractus, non oritur obligatio restitutionis ratione damni dati, (saltem in foro conscientiæ,) nisi ex culpa lata, non autem ex levi, vel levissima." Ita Lessius, et doctores communiter.[4] Equidem nemo videtur in re aliena gerenda ad summam diligentiam adstrictus, quando non se obligavit speciali contractu: quum consueta prudentum agendi ratio norma sit omnibus. Ex culpa lata quisque plerumque tenetur, quum hanc omiserit necessariam diligentiam; sed

(1) L. iii. n. 613. (2) De Justitia et Jure, sect. ii. c. vii. dub. vi. n. 23.
(3) π de dolo l. i. (4) Ubi supra.

Digitized by Google

si ex naturali oblivione absque culpa theologica acciderit, vix tenetur, nam "rem quæ culpa caret in damnum vocari non convenit."[1] "Cum conscientia oneretur de obligatione, oportet ut in conscientia adfuerit delictum."[2] Ita S. Alphonsus de Ligorio. Gravem autem culpam theologicam plerique exigunt, ut sit restituendi obligatio, quando de re alicujus momenti agitur; nam vix posset oriri gravis obligatio ex culpa levi; levis autem obligatio de re gravi reddenda nulla foret. Sic percutiens hominem ex iræ motu, quem dicunt *secundo-primum*, scilicet ratione vix advertente, excusatur a damno reparando, licet contingat eum graviter vulnerari, vel ictu occidere.[3]

175. Jam verò si culpa lata juridica, quæ et est gravis theologica, admissa sit, inquirendum utrum sit obligatio restituendi, quoties de causa damni quis nihil adverterit: v: g: si hospes noctu egressus sit ad libidinem explendam, ostiumque haud obseraverit, periculum nullum furti suspicans: quo tamen absente fures magnam pecuniæ copiam, vel supellectilem pretiosam abstulerint. Equidem videtur teneri ad damnum reparandum, quum advertere debuerit periculum revera adesse, et temere dederit occasionem furto. Si quis levem posuerit damni causam, optans ut graviter noceret, contingat autem inopinatò grave sequi detrimentum, non videtur teneri ad hoc reparandum, quum enim ex causa adeo levi vix unquam sequatur, casui videtur imputandum;[4] nec prava animi voluntas hominem ad restituendum obligat, quoties damni causa non ponitur. Sic si quis leviter alium impellat, optans ut ei cervix frangeretur, quod revera contingit casu prorsus inopinato, non videtur ad damnum hæredibus obveniens reparandum teneri, quum non posuerit ejus causam, sed potius occasionem.

176. Ex damno, culpa levi, vel levissima in officio exercendo, obveniente, restituendi obligatio non oritur, nam qui munus exercent, diligentiam consuetam, non autem summam, censentur adhibere. Hinc advocati qui munere suo perfunguntur diligenter, excusantur a damno reparando, licet, summa adhibita diligentia, cliens forsan superasset. Sed si summam quis profiteatur peritiam, et promittat diligentiam, utique tenebitur ad damna, quæ, ea prætermissa, nascantur: nisi forsan ex consuetudine dicta illa non obtineant plenam fidem. Pleraque jactando prolata ad captandos patrones spem faciunt diligentiæ consuetæ, non autem summæ. Qui igitur medicam

(1) Cap. ii. de const.
(2) L. iii. n. 550.
(3) Lessius, §. ii. c. vii. dub. vi. n. 28.
(4) Ibidem, n. 25.

Digitized by Google

exercens artem, cujus eximiam jactat peritiam, diligentiam cum scientia consueta conjungit, vix ad damnum reparandum tenetur, licet infirmus diutius languescat, quem si diligentissime invisisset, brevi restituere potuisset sanitati: secus si mercedem magnam ea conditione acceperit, ut summa uteretur diligentia, tunc enim vi specialis contractus tenetur.

177. Quoties intercedit contractus, obligatio restituendi, juxta leges, nascitur ex culpa levi et levissima, si contractus in illius per quem damnum obvenit utilitatem solum cedat. Si igitur commodaverit quis alteri equum gratuitò, quem noctu contigerit ex stabulo auferri, sera haud posita ostio ex famuli negligentia, vel qui, ex agro in quo positus est ut herbam comederet, evaserit, sepe haud satis alta, leges ad damnum reparandum obligant: "Cum gratia sui tantum quis accommodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur."[1] Si in solius dantis contractus cedat, tenetur alter tantum ex culpa lata, quapropter depositarius, qui alteri gratificandi causa pecuniam apud se retinet, non tenetur ad restituendum, si ex levi negligentia auferatur. Si in utriusque utilitatem contractus cedat, tenetur ex culpa levi, non autem ex levissima. Hinc pignus accipiens ad damnum tenetur, si exactam in eo custodiendo non adhibuerit diligentiam.[2] Hæc legum dispositio æquissima pluribus videtur in conscientia vim obtinere ante judicis sententiam: sed alii existimant nullam esse conscientiæ obligationem, nisi culpa gravis theologica admissa sit. Priorem sententiam Lessius fatetur "esse communiorem, ac proinde ordinarie in praxi servandam."[3] Altera tamen sententia non est improbabilis, qua qui uti velit, donec a judice cogatur damnum reparare, vix est a sacramentis repellendus.[4]

(1) Cap. unico, *de commodato.*

(2) Instit. *Quibus modis re contrahitur obligatio.*

(3) *De Justitia et Jure,* §. ii. c. vii. dub. viii. n. 45.

(4) Exempla quæ adducit Blackstone culpam gravem indicant. "The last class of contracts, implied by reason and construction of law, arises upon this supposition, that every one who undertakes any office, employment, trust, or duty, contracts with those who employ or entrust him, to perform it with integrity, diligence, and skill. And, if by his want of either of those qualities any injury accrues to individuals, they have therefore their remedy in damages by a special action on the case. A few instances will fully illustrate this matter. If an officer of the public is guilty of neglect of duty, or a palpable breach of it, of non-feasance, or of mis-feasance; as, if the sheriff does not execute a writ sent

Digitized by Google

178. Si damnum datum sit ex ignorantia concomitante, non est obligatio illud reparandi; quum causa ejus non fuerit voluntaria. Quamvis autem peccet qui ita est animo dispositus, ut etiamsi nosset, damnum intulisset, tamen ea animi conditio non est causa efficax damni. Sicut igitur qui gaudet inimici morte, peccat, quin teneatur ad damnum hæredibus reparandum, si alterius manu occubuerit; ita etiam peccat qui vellet eum occidere, quem reapse occidit, putans esse feram, sed non ideo tenetur ad damnum.

§. III. De damno alieno.

179. Si mancipium furetur, vel damnum aliud inferat, jure cæsareo domino fit optio læso satisfaciendi, vel servum tradendi ut puniatur.[1] At non videtur adstrictus ad reum tradendum ante judicis sententiam, quum servo liceat pœnam declinare celando delictum: "ergo nec dominus jure naturæ tenetur illum tradere, sed potest juvare ad latebras et ad fugam."[2] Lege Status Mississippiensis dominus tenetur restituere ablata, vel eorum valorem. Si servus domini jussu egerit, vel eo connivente, reparatio debetur, quum auctor damni dominus videatur. Postquam ad alium dominum venditione translatus est, nihil est juris læso in priorem dominum ad reparationem damni, quod eo probante non fuerit illatum.[3] Quoties ex legum auctoritate servus interficitur, domino satisfit ex fisco, pretio servi dato.

180. Filiorum delicta patribus ea haud probantibus nullatenus imputantur, qui idcirco haud tenentur damna illata resarcire. Cæterum legum vindicta in delinquentes exercetur.

181. De animali damnum inferente statuerunt XII. Tabulæ illud læso dedendum, nisi domino placuerit ei satisfacere: "Si quadrupes pauperiem faxit, dominus noxi æstimiam oferto: si nolet, quod noxit, dato." Jure cæsareo, si domini culpa lata contigerit, qui scilicet monitus noluit animal a nocendo continere, tenebitur ad to-

to him, or if he wilfully makes a false return thereof, in both these cases the party aggrieved shall have an action *on the case*, for damages to be assessed by a jury." Blackstone, l. iii. n. 164.

(1) L. *Si servus*, 2. π *de noxalibus actionibus.*

(2) Lessius de Justitia et Jure, §. ii. cap. ix. dub. xvii. n. 117.

(3) Laws of Mississippi, art. *Slaves*, §. lvi. lvii.

(4) §. *Omnis autem.* Instit. *de noxalibus actionibus.*

Digitized by Google

tum damnum reparandum.[1] Legibus plerisque Americanis, sicut et Anglica lege, animantia damnum inferentia retinentur, donec læso satisfiat, et publica auctoritate venduntur, si dominus negligat ea redimere.[2] Quod si prædii dominus sepi legitimo illud includere omiserit, nihil potest recuperare:[3] sed ipse tenebitur ad damnum reparandum, si animal vulneraverit, vel occiderit.[4] Hæc æquissima sunt; sed utrum vim obtineant ante judicis sententiam disceptatur. Nemo quidem in conscientia ligatus videtur ad reparanda damna quæ animantia sua, nulla domini culpa, intulerunt: imo nec ad ea quæ aliqua sui negligentia contigerunt, nisi prævidens ea noluerit impedire, tunc enim eorum auctor meritò habetur.

§. IV. De cooperantibus.

182. Cooperantes, silicet qui operam efficacem aliquatenus præbent alienæ injuriæ restituendi oneri subjacent. Novem plerumque recensentur cooperationis modi, nempe:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

183. *Jussio*, seu mandatum[3] obligationem restituendi inducit quando mandans efficaciter movet alium ad inferendum damnum, sive explicito præcepto, sive implicito. Si gravius damnum oriatur eo quod mandans inferendum voluit, quod tamen oriturum prævidere poterat, illud reparare debet, etsi contra ejus voluntatem et prohibitionem evenerit: v: g: si præceperit ut aliquis graviter percuteretur fuste, quem mori inde contingat, mandans homicida habetur.[6] Qui mandatum revocat quanta valeat auctoritate antequam illud alter executus fuerit, ab onere restituendi excusabitur, quum hic ex sua tantum malitia, non vi mandati agere censeatur. Quod si mandati revocatio non innotuerit, mandans adhuc tenebitur, nam damnum ex mandato provenit. Qui ratum habet et probat damnum sui causa,

(1) Cap. *Si culpa*, 9 de injuriis et damno dato.
(2) Vide Digest of laws of New Jersey, art. *Fences*, §. xii.
(3) Ibidem, §. x. (4) Ibidem, §. xi.
(5) Distinguit hæc Jeremias Taylor.: "*Mandatum* is amongst equals by bidding, encouraging, warranting, and setting on. . . *Jussio* is from superior to inferior, father to son, master to servant." Ductor Dubitantium, l. iv. c. i. p. 458.
(6) Cap. ult. *de homicid.* in 6.

Digitized by Google

vel alias illatum, peccat, sed restituendi non contrahit obligationem, quum illa probatio non sit causa efficax damni. In contractibus autem valet illa juris regula: "ratihabitio retrotrahitur, et mandato sine dubio comparatur."[1]

184. *Consilium* parit obligationem restitutionis, quando quis alium ad damnum inferendum efficaciter inducit, consilio, precibus, promissis, rationes suggerendo, vel viam nocendi ostendendo. Si ex damno illato utilitas consulenti soli nascatur, ipse primo loco tenebitur ad restituendum; secundo loco executor. Si soli executori utilitas proveniat, hic primò tenetur; deinceps consulens. Si utrique res pariat utilitatem, uterque *pro rata parte* tenebitur; et altero deficiente, alter *in solidum*, ut aiunt. Si damnum absque consilio evenisset, consulens, quum non sit efficax causa damni, non tenebitur ad restituendum: secus si executor consilio etiam sit motus. Si consilium ante damnum illatum revocetur, excusatur a restitutione consulens, nisi jam rationibus et modo inferendi damnum propositis, in damnum adhuc consilium influere videatur. Sunt tamen gravissimi theologi qui eum penitus excusant, dummodo meliori quo potuerit modo damnum conetur avertere, præsertim monendo innocentem ut sibi consulat. "Hanc secundam sententiam satis probabilem, sed primam probabiliorem censeo," inquit S. Alphonsus.[2] Si alter jam determinatus sit ad damnum inferendum: v : g : ad occidendum; et suadeat quis modum, nempe ut occidat veneno, non gladio; in illo, non alio loco, vel tempore; controvertunt theologi, utrum suadens incurrat in obligationem damnum, quatenus poterit, reparandi. Affirmans et negans sententiæ gravibus nituntur rationibus, gravesque habent defensores. Negans probabilior S. Alphonso videtur, "quia consulens tunc non est causa efficax mali quoad substantiam damni."[3]

185. Qui ex ignorantia graviter culpabili damnum suadet, ad illud reparandum tenetur, quoties vi sui officii consilium dare tenetur, et ea gaudet peritiæ æstimatione quæ consilio suo parere nata est fidem. Sic advocatus clienti consilium dans noxium plerumque ad damnum reparandum tenetur: si verò noscatur esse rudis, consilium petens sibi imputare debet damnum inde proventurum. Qui ex errore etiam absque culpa consilium noxium dedit, tenetur ad illud quamprimum revocandum, et ad damnum ea qua potuerit ratione

(1) Reg. x. Juris in 6. (2) L. iii. n. 559. (3) Ibidem, n. 563.

Digitized by Google

avertendum; sicut "qui sine culpa gravi ignem accenderit in domo aliena, tenetur ex justitia impedire, si potest sine magno incommodo, ne ex sua actione alter lædatur."[1] Volenti damnum majus inferre, suaderi posse, ut minus damnum eidem personæ inferat, concedunt plures theologi; quia consilium hujusmodi non habetur tamquam probatio illius damni minoris, sed rei alienæ gestio utilis. Cæterum non licet suadere ut alteri inferatur damnum, ad damnum tertii alicujus avertendum: nam illius damni suasor causa plane foret.

186. *Consensus* nos obnoxios restitutioni reddit, quotiescumque efficaciter influit in damnum alteri injuste illatum. Suffragiis iniquis consensus hujusmodi plerumque præstatur: si numerus suffragiorum præcesserit, quo damnum jam statuatur, qui suffragium postea præbet, efficax causa damni haud videtur; ideoque quamvis peccet, non videtur ad restituendum obligatus. Si plurimi concurrant suffragiis suis ad damnum alienum, quin noscatur quorum suffragia fuerint ejus causa, unumquemque *pro rata parte* ad illud reparandum teneri vera asserit sententia, judice S. Alphonso,[2] "quia quisque saltem suo suffragio deterioravit jus quod damnificatus habebat ad exigendam restitutionem damni ab aliis suffragium præbentibus." Quando jurati homines suffragiis suis in judicio damnum alicui inferunt consultò, unusquisque tenetur *in solidum*, poterat enim quisque suffragium denegando, iniqua aliorum suffragia in irritum mittere.

187. *Palpo*, qui adulando, applaudendo, offensum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exaggerando, alterum efficaciter impellit ad damnum inferendum, tenetur ad ejus reparationem; dummodo judicet se in damnum influere, licet non intendat.

188. *Recursus*, quem furtorum receptatores furibus præbent, eis refugium apud se præbentes, et furta celantes, vel pecunia ementes, eos tenet ad restituendum obligatos, quandocumque efficaciter ad furtum impellit: "Ad restitutionem" inquit Justinianus, "non tantum qui rapuit, verum is quoque qui recipit, tenetur."[3] Qui autem furem nullatenus ad furta impellit, recipit tamen amicitiæ, vel officii ratione, uti stabularius, eumque ad fugiendum adjuvat, quin in furta futura ulla ratione influat, non contrahit aliquam restituendi obligationem. Qui ob graves rationes suspicatur res sibi venales exhibitas furto fuisse ablatas, peccat eas emendo: non tamen videtur ad resti-

(1) S. Alph. l. iii. n. 564. (2) Ibidem, n. 566. (3) L. iii. ff. de incendio.

Digitized by Google

tuendum obligatus, nisi postea certior fiat eas revera alienas esse Qui res furtivas emit, debet eas domino restituere, saltem si posset se indemnem alias præbere. Quod si nequeat pretium, quod furi dedit, recuperare, nisi re furi tradita, plures theologi, aliis contradicentibus, dicunt eum posse rescindere contractum, et rem furi restituere, quum non teneatur cum suæ pecuniæ jactura rem domino servare. Id præsertim affirmatur de eo qui *bona fide* emit: quod tamen plures etiam ad malæ fidei emptorem extendunt, quamvis enim emendo peccaverit, jus retinet rescindendi iniquum contractum.[1] Si nequeat a fure pretium recuperare, videtur tum malæ fidei, tum bonæ fidei emptor teneri ad restituendum domino, res enim ad dominum clamat, in quascumque manus devenerit. Dominus autem non tenetur ad pretium ullum solvendum, quum res sua sit, et ipsi injuria ablata. Lege Anglica venditio palam facta pro more mercatorum dominium rei dat emptori bonæ fidei: secus si fiat clam, et contra morem. Lege Gallica rei dominus pretium bonæ fidei emptori solvere debet, illudque a venditore repetere.[2] Sed legibus Americanis dominus legitimus semper potest rem sibi vindicare.[3] Nobis arridet sententia bonæ fidei emptori non licere rem discrimini objicere, quum dominus debeat commodo et securitate, quam res jam habet apud eum, frui.

189. *Participans* de præda, vel cooperans in actione damnosa, tenetur ad restituendum. Et quidem si *bona fide* quis partem prædæ consumpserit, nesciens scilicet eam esse alienam, tenebitur tantum ad restituendum id in quo factus est ditior, vel quantum pepercit de suo: si *mala fide*, debet pro parte quam habuit satisfacere domino. Qui in actione damnosa participat, operam aliquam injuriam illaturo præstando; v: g: excubias agendo, scalas applicando, peccat, et restituendi contrahit obligationem, si id agat animo adjuvandi damni illatorem. Si verò aliquid hujusmodi faciat metu gravissimi mali,

(1) S. Alph. l. iii. n. 569, 570.

(2) Cod. civ. art. 2280.

(3) "It is understood, that the English custom of markets overt does not apply to this country; and the general principle applicable to the law of personal property throughout civilized Europe is, that *nemo plus juris in alium transferre potest quam ipse habet*. This is a maxim equally of the common and of the civil law; and a sale *ex vi termini*, imports nothing more than that the *bona fide* purchaser succeeds to the rights of the vendor." Kent's Commentaries, vol. ii. n. 325.

Digitized by Google

præsertim mortis, et absque aliquo furem adjuvandi affectu, poterit excusari, quum dominus nequeat velle res suas servari cum gravissimo alterius detrimento, multo minus cum vitæ jactura. Vide tamen varias hac de re sententias apud S. Alphonsum de Ligorio.[1]

190. *Mutus, non obstans, non manifestans*, tenentur reparare damnum ab aliis illatum, se haud repugnantibus, quandocumque ex officio et justitia ad repugnandum obligantur. Sic magistratus qui damna, quæ impedire possunt, civibus inferri sinunt, tenentur ad ea resarcienda. Famuli qui res sibi concreditas ab aliis surripi patiuntur, eadem tenentur obligatione. Custodes domorum, vel agrorum, qui stipendium ea de causa accipiunt, eadem ratione ligantur. Si verò quis officio et justitia ad reclamandum non teneatur, graviter nonnumquam peccat contra charitatem, dum non clamat, nec resistit, alio inferente damnum ; nullam, tamen debet restitutionem.

191. Quando dubitat quis utrum suum consilium, mandatum, consensus, recursus, palpatio, taciturnitas, causa fuerit efficax damni alieni, quærunt inter se theologi de restituendi obligatione. Affirmans sententia valde probabilis habetur a S. Alphonso : negans satis etiam probabilis ; quamvis enim gravis sit præsumptio effectum ex pravo consilio, aut alia hujusmodi causa, fluxisse ; attamen nemo videtur ad restituendum obligatus, nisi satis constet eum fuisse damni causam.[2] S. Thomas dicit jubentem aliosque semper obligari ad restituendum : " in aliis autem casibus enumeratis, non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid hujusmodi, est efficax causa rapinæ. Unde tunc solum tenetur consiliator, aut palpo, id est adulator, ad restituendum, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta."[3]

192. *In solidum* ad restitutionem teneri dicuntur, quorum singuli ad totum damnum reparandum, cæteris negligentibus, obligantur. Hac ratione tenentur illi qui concurrunt ad rem individuam destruendam, v : g : ad incendendam domum, ad occidendum hominem, si sine ipsis vel aliis similem operam præstantibus, damnum non inferretur. Quod si damnum æque eveniret absque eorum opera, singulos *pro rata* parte teneri plures theologi docent, aliis asserentibus eos in solidum obligari. Mitior sententia gravi nititur ratione,

(1) L. iii. n. 571. (2) L. iii. n. 562.
(3) 2. 2. qu. lxii. art. vii. *Resp.*

Digitized by Google

quod scilicet influxus uniuscujusque ad damnum est ex parte. "Si autem res est dividua, ut furari vineam, thesaurum, etc. tunc motor principalis tenetur ad totum, cooperantes verò tantum ad partem suam, etiamsi communi consilio ad damnum concurrant." Ita Lugo aliique apud S. Alphonsum.[1] "Si verò omnes invicem se excitent, sive moveant ad damnum, ita ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret, certe singuli tunc in solidum tenentur.... Cum autem dubitatur, an quisque fuerit causa totius damni, non tenetur nisi ad partem suam:"[2] Quando plures tenentur *in solidum*, quærunt theologi utrum pœnitens qui nescit, vel dubitat an socii restituerint, teneatur ad totum. "Negant Salmanticenses, *de Rest.* c. 1. n. 152, et Roncaglia, *eod tit.* cap. 5. qu 5, dicentes quemque teneri tantum partem suam restituere, quia præsumendum alios socios jam restituisse: sed id mihi," inquit S. Alphonsus, "minime probatur. Advertendum tamen, quod rudes, etsi teneantur in solidum, rarò expedit eos obligare ad totum; cum difficulter isti sibi persuadeant teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quinimo satis præsumi valet, quod ipsi domini quibus debetur restitutio consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam; cum aliter valde sit timendum, quod nihil restituant, si obligentur ad totum."[3]

193. "Quod si actio damnificans fuit lucrativa, et apud aliquem ex cooperatoribus res ablata adhuc existit, aut is eam mala fide absumpsit, tenetur is primo loco restituere ipsam, vel æquivalens; et si ille non faciat, reliqui." Busembaum, post Lessium, apud S. Alphonsum.[4]

194. "Si actio damnificans non fuit lucrativa quia res periit, et destructa est; ut fit v: g: in combustione, mutilatione, detractione, tunc ante alios primo tenetur restituere qui mandavit, vel qui causa fuit primaria, vel executor primarius, ut in bello princeps et dux; et si is non sit facturus, vel quia non vult, vel quia non potest, tenentur reliqui."[5]

195. "Ordo restitutionis est quoad cooperantes: I. Tenetur restituere mandans; sive consilium dans alteri ad faciendum damnum in gratiam sui. II. Tenetur executor. III. Tenentur aliæ causæ positivæ, ut consilium dantes in gratiam alterius, &c. IV. *Causæ negativæ.*"[6]

(1) L. iii. n. 579. (2) Ibidem. (3) Ibidem.
(4) Ibidem, n. 580. (5) Ibidem. (6) Ibidem.

Digitized by Google

196. Qui fraudibus, seu mendaciis, seu falsis testibus, impedit ne fisco addicantur bona quæ ob crimen: v: g: non soluti vectigalis, ei forent addicenda, ante sententiam judicis non tenetur ad damnum reparandum, uti communissime docent theologi, teste S. Alphonso:[1] nam fiscus non habet jus strictum in ea bona.

197. Restitutio personæ læsæ facienda est, si innotescat. Si rei dominus incertus sit, constet tamen eum aliquem ex pluribus esse, v: g: ex tribus, vel quatuor, qui in eadem domo habitant, "tunc nequit restitutio fieri pauperibus, sed res dividenda est inter eos, inter quos defraudatus existit."[2] Si inter plurimos dominus omnino nequeat discerni, pauperibus restitutio facienda erit; et quidem ejusdem communitatis, si plures et varii domini ejusdem communitatis injuria sint affecti. Plerumque quidem debita incerta restituenda esse pauperibus loci in quo damnum illatum est, communissime dicunt theologi; quamvis nonnisi venialem culpam agnoscat S. Alphonsus in eo qui loci non habita ratione, aliis quibuscumque pauperibus restituit; nullam autem, si æqua subsit causa. Profecto qui procul degens dat pauperibus loci ubi versatur, ab omni culpa plerumque excusatur.

198. Impensis domini possessor bonæ fidei restituit; qui autem mala fide accepit rem alienam, vel damnum alteri intulit, suis impensis restituere debet. Si nequeat absque gravissimo sui damno rem transmittere, plerique theologi concedunt dilationem; imo si damnum sit omnino enorme, dicunt eum posse restituere pauperibus. Hoc præsertim intelligendum si res restituenda sit parvi momenti, et dominus in longinqua regione degat. Porrò expensæ magnæ censentur quando longe superant ipsam rem restituendam.[3]

199. Possunt etiam restitutionem differre, qui restituendo se in gravem conjicerent necessitatem, nisi dilatio domino parem difficultatem afferat. Hi quoque excusantur si differant, eo quod alias cogerentur ad domum, vel prædium vendendum, multo minoris quam valet; vel quod in gravem infamiam incurrerent; vel a suo statu, quem juste compararunt, deciderent. Cæterum tenentur, quamprimum poterunt, ad restituendum; interimque debent domesticas impensas minuere, et omni studio curare, ut facultatem habeant restituendi.

(1) L. iii. n. 583. (2) Ibidem, n. 590.
(3) Ibidem, n. 598.

Digitized by Google

200. Periculo domini restitutio fit a bonæ fidei possessore, res quippe domino perit, ideoque satisfacit qui eam nuntio quem putat fidum tradit.[1] Malæ fidei possessor e contra suo restituit periculo; neque injuriam resarcit, donec effecerit ut res ad dominum pervenerit: quapropter si casu pereat, vel nuntius eam retineat, tenetur ipse eam iterum ad dominum tuto transmittere.[2]

(1) L. xx. ff. *commodi.* (2) Reg. lxxxvi. jur. in 6.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE ÆRE ALIENO.

201. Constat eos justitiam violare qui æs alienum contrahunt animo illud numquam solvendi, prout contingit aliquando mercium emptoribus, qui pecunia ex earum venditione comparata, aufugiunt. Peccant etiam qui temere illud contrahunt, nulla affulgente spe probabili eos pares futuros solvendo, nam non licet cum aliorum damno rerum facere periculum, vel lucrum quærere. Peccant qui illud solvere negligunt cum creditorum detrimento, quod reparare tenentur, quoties iis tempore præfinito, culpa sua, recusant satisfacere, etiamsi legis beneficio utantur: si enim inde eveniat ut bonorum jacturam patiantur creditores, injuria satisfactione tollenda est: secus si absit culpa, tunc enim casu damnum evenire censendum est. Peccant qui variis usi artibus creditores inducunt ad partem debiti remittendam, ne totum amittant, vel ne diutius differatur solutio, vel ne litibus implicentur; qui autem ob solutionem anticipatam partis remissionem impetrant a creditoribus nulla necessitate adactis, sed libere consentientibus, possunt excusari, quum ita ferat consuetudo, et commodum communi æstimatione plurimi valeat. Peccati alieni particeps est uxor quæ mariti indulgentia sumptus nimios facit in vestibus emendis, aliave ratione. Sic etiam peccant contra justitiam filii, qui probe conscii patrem non esse parem solvendo, pecuniam sibi datam prodigunt.

202. Quandocumque quis se novit imparem solvendo, nec sperat se posse negotiando rem augere, tenetur ad negotia deserenda, bonis suis in æris alieni solutionem traditis: nam nemini licet cum damno alieno negotiari. Sæpe autem excusantur mercatores quibus plerumque spes aliqua affulget. Qui apud se habent res alienas, seu depositas, seu commodatas, seu ut vendantur traditas, debent eas imprimis reddere dominis; nec enim creditoribus dare licet quæ sua non sunt. Qui res emptas quarum pretium non solvit habet, potest, juxta plerosque, eas venditori tradere, æquum scilicet videtur contractum in ejus favorem rescindere: quod tamen leges non permittunt

Digitized by Google

post contractum rerum traditione et acceptatione consummatum.[1] Lex autem Louisianæ dat venditori jus speciale ad pretium rei adhuc extantis apud emptorem:[2] quod alibi tantum obtinet quando fraus ab emptore admissa est, qui merces emit noscens se mox defecturum.[3] Cæterum ubi nihil lege statutum est, videtur licere res emptas creditoribus in universum tradere, quum jam sint suæ, ideoque eorum juribus obnoxiæ. Non licet emere ab eo quem quis novit solvendo imparem animo eum adjuvandi in fraude patranda: nam emptor fit injuriæ creditoribus irrogatæ particeps.[4]

203. Debita certa præferenda sunt incertis, ideoque debet quisque creditoribus quos novit imprimis satisfacere; quæ in pauperum subsidium restitutionis nomine dare tenetur, deinceps si valeat, daturus. Attamen si res aliena cujus dominus est incertus, apud eum extet, pauperibus, non verò creditoribus, tradenda est.[5]

204. Quæ ex titulo oneroso debentur solvenda sunt præ illis quæ titulo gratuito nituntur. Sic quæ ob merces emptas, vel laborem debentur magis urgent quam donatio promissa: quapropter jure cæsareo: "qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnatur, et quidem is solus deducto ære alieno."[6]

205. Qui hypothecam habent, res sibi in hypothecam traditas, juris ordine servato, vindicant, juxta tempus quo instrumentum confectum est, et insinuatum tabulis publicis, nam "qui prior est tempore, potior est jure."[7] Qui sententiam judicis impetrarunt cum executionis mandato, ut bona vendantur, præ aliis jus habent ob diligentiam adhibitam.[8] Cæteri plerique jure nostro nulla habent privilegia, sed aliqui id aliquando nanciscuntur ex debitoris voluntate

(1) Kent Comm. vol. ii. n. 514.

(2) "By the *code of Louisiana*, art. 3194, the vendor of a chattel not paid for has a preference for the price, over other creditors of the vendee, whether the sale was made on credit, or without, if the property remains in the possession of the purchaser, and the privilege exists though the vendor has taken a note from the buyer. This privilege is extinguished by the destination of the thing sold, but it is held that if the vendee sell the goods before he has paid for them, the money due by the second vendee will represent the goods, and the first vendor's privileges will attach thereon. MARTIN J. in *Thayer* v. *Goodall*, 4 *Miller's Rep.* 222." Kent's Commentaries, vol. ii. p. v. lec. xxxix. n. 497, (4.) *Note.*

(3) Ibidem, n. 514. *Note.* (4) Ibidem.

(5) Laymann, l. iii. *de justitia*, tract. ii. c. xi. n. 1.

(6) L. xix. §. *de re judic.* (7) *Reg. Jur.* liv. in 6.

(8) L. vi. et xxiv. §. *Quæ in fraud credit.*

Digitized by Google

ob speciales rationes. Jus cæsareum concessit ei qui pecuniam mutuam dedit ad conservandam rem alteri obligatam, jus præ ipso cui in hypothecam data est.[1] Item ei qui dedit pecuniam pro vectura mercium, vel pro locatione ædium in quibus asservarentur, concessum est ut eam reciperet, antequam alii quibus sunt in hypothecam traditæ.[2] "Qui ad navem extruendam, instruendam, emendam pecuniam credidit, privilegium prælationis habet,"[3] Hypotheca dotalis præferebatur hypothecis prioribus tacitis,[4] non autem expressis: sed apud nos hæc distinctio non fit: uxoris tamen dos, scilicet jus ad tertiam partem immobilium servatur, nisi ipsa subscripserit hypothecæ. Res empta pecunia pupilli, vel minoris, manet illi ante omnes obligata jure cæsareo.[5] Res empta pecunia alterius, qui pactus est eam sibi in hypothecam pro debita securitate dandam, illi præ cæteris obligata habetur.[6] Fiscus etiam præfertur creditoribus cæteris, ut tributo satisfiat.[7] Sic etiam solent omnia bona contrahentis cum fisco ei obligari. Mutuam dans pecuniam ad militiam præfertur etiam doti uxoris, ob publicam salutem. Hæc ex jure cæsareo desumpta sunt.

206. Ordo apud nos varius est, sed hypothecarum vis, pro ratione temporis, servatur. In aliquibus statibus fiscus præfertur cæteris creditoribus; in aliis postponitur, uti alibi diximus. Ipse debitor nonnunquam vel scripto instrumento obligat se ad præferendum quendam creditorem, qui: v: g: pecuniam dat ei in rerum angustiis: vel bonis cedens nonnullos præfert aliis speciales ob causas, quas plerumque creditores admittunt. Peccat qui hoc temere instituit discrimen, amicitiæ vel suæ utilitatis causa, quum jus cæterorum lædat: sed si gravis urgeat ratio, quod scilicet alter sibi subvenerit fide concidenti, vel quod gravi necessitate laboret,[8] non est injustitiæ damnandus. Creditoribus igitur omnibus quibus nec lex favet, nec gravissima ratio, pro rata parte satisfacere oportet, quoties quis non valet totum solvere. Nec habetur ratio temporis, quum par sit omnium causa: quippe "privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa, et si ejusdem tituli fuerunt, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint."[9] Sed si creditori petenti solvatur debitum,

(1) L. v. §. *Qui potiores in pig.* (2) L. vi. §. eod. tit.
(3) Ita Laymann citans L. *qui in navem*, et. l. quod quis navis ff. *de priv. cred.*
(4) L. xii. §. Qui potior. (5) L. penult. *de servo pignori dato.*
(6) L. vii. cod. *Qui pot. in pign.* (7) L. ii. cod. *de priv. fisci.*
(8) Laymann, l. iii. de Just. tract. ii. c. xi. 7. *Alter casus.*
(9) L. xvii. §. de *priv. cred.*

Digitized by Google

multi id probant, quum vigilantibus faveat lex: secus si non petierit: alii tamen id haud licere opinantur, quia fit aliis injuria, quum sic minuatur ratio qua his satisfiat; imo putant creditorem cui satisfactum est teneri ad excessum pro rata parte aliis reddendum: quod nobis non videtur, quum creditor suo jure usus sit pecuniam sibi debitam recipiendi.[1] Hinc qui norunt, vel timent mensas nummarias esse solvendo impares argentum pro chartis nummariis solent petere, nec quis de restitutione somniat, etiamsi mensa statim concidat. Si debitor creditori suam conditionem manifestet, eique satisfaciat, cum cæterorum injuria, peccat; quamvis excusent nonnulli creditorem, utpote suo jure utens.[2] Sed etiam uxor filii aliive tenentur restituere creditoribus dona quæ acceperunt ab iis quos norunt impares esse solvendo. Sic qui bona apud se occultanda acceperunt, vel pecuniam ea conditione, etiam tacita, ut debitori deinceps subvenirent, ad restituendum tenentur. Qui autem translatis rebus suis ad alios titulo ficto, beneficio legis utuntur ut eximantur ære alieno, perjurii et injustitiæ rei fiunt, nam conceditur prævio juramento quo omnis hujusmodi fraus negatur.

207. Remissione creditorum extingui potest debitum, liberum enim est unicuique suo juri renuntiare. Utrum autem creditores remittere censendi sint obligationem qua conscientia tenetur, dubitari poterit. Apud nos solent debitores sua transferre bona in aliquos, ut omnibus pro rata parte satisfiat, ea conditione ut jus omne relaxent et remittant. Constat nullum lege præberi remedium creditoribus qui instrumento scripto suis juribus hac ratione renuntiarunt: sed vix credendum est eos voluisse ipsum conscientiæ ligamen tollere: quapropter censemus debitorem, si deinceps divitias comparet, teneri ad defectum supplendum, quamvis ob remissionem creditorum vix videatur adeo arcte ligatus ut antea; nec ideo damnandus si differat restitutionem, familiæ suæ consulens, et industria se parem reddere solvendo laborans.[3] Lex cujuslibet Status plerumque remittit debita iis qui bonorum cessione creditoribus satisfacere studuerunt, sed bona quæ deinceps acquisierint manent obnoxia;[4] quod fuit jus Roma-

(1) Vide l. xxiv. §. *Quæ in fraud. credit.*

(2) Laymann ubi supra, Assertio vii.

(3) Vide Laymann, l. iii. *de Justitia*, tract. ii. c. xii. n. 5. *Alterum.*

(4) "It was stated by the chief justice in giving the opinion of the Supreme Court of the United States, Sturges *v.* Crowninshield, 4 *Wheaton* 122, that the insolvent laws of most of the States only discharge the person of the debtor, and

Digitized by Google

num: "Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati: in eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem:"[1] "is qui bonis cessit, si quid postea acquisiverit, in quantum facere potest, convenitur."[2] Non tamen modica quæque possunt a creditoribus auferri cum ejus detrimento: "Qui bonis suis cessit, si modicum aliquid post bona sua vendita adquisivit, iterum bona ejus non veneunt. Si quid misericordiæ causa ei fuerit relictum, puta menstruum, vel annuum, alimentorum nomine, non oportet propter hoc bona ejus iterato venundari; nec enim fraudandus est alimentis quotidianis."[3] Nuper Congressus legem tulit quo jus omne creditorum tam in debitorem, quam in bona ejus deinceps acquirenda, remittitur iis qui bona sua tradiderint, et beneficio legis usi sint *bancorupti* declarati. Idem est jus Anglicum.[4] Manifestum est obligationem restituendi non tolli legibus singulorum Statuum, sed suspendi, data in Pennsylvania judicibus facultate bona creditoris ad septennium eximendi, et alibi alia ratione: quæri autem potest utrum Congressus conscientiam liberare censendus sit lege illa, qua certe omne jus in foro externo sublatum est. Negandum videtur, quamvis remissione eatenus uti liceat ut debitor possit commercio vacare, et suam familiam congrua ratione sustentare: finis enim est legis industriæ honestæ favere. Quod si divitiis deinde comparatis de ære alieno solvendo minus fuerit solicitus, utrum hæredes teneantur quæri potest. Affirmandum videtur, quum bona creditoris transeant cum suis oneribus ad hæredes. Cæterum quum probabile sit Congressum alto dominio usum ut obligationem etiam conscientiæ tollat, hæredes, quos nullus hac de re plerumque scrupulus angit, vix cogendi erunt ut restituant, quamvis maxime laudandi si animo libenti satisfaciant.

leave his obligation to pay, out of his future acquisitions, in full force. The insolvent act of Maryland, of 1774, subjected to the former debts of the insolvent, his future acquisitions by descent, gift, devise, bequest, or in a course of distribution." See 3 *Harr. & Johns.* 61. Kent's Comm. vol. ii. p. v. lec. xxxvii. n. 395. *Note.*

(1) L. i. cod. *Qui bonis cedere possunt.* (2) L. iv. ff. *de cessione bonorum.*
(3) L. vi. ff. eod. tit. (4) Vide Blackst. Comm. l. ii. n. 484.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE SPECIALIUM INJURIARUM REPARATIONE.

208. Injuriæ quæ reparari nequeunt eodem genere bonorum, restituendi vel compensandi obligationem nonnullis theologis videntur inducere, quatenus bona etiam inferioris ordinis valent. Hinc putant pecuniam dandam ut fama læsa quodammodo compensetur, vel mœror ob vulnus, vel mortem, tollatur. Communior et probabilior sententia negat hujusmodi restitutionem faciendam, quum inter bona diversi ordinis nulla sit proportio; quapropter vulnerans solvere tenetur expensas curationis et lucrum quo vulneratus caret: "cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio; quia liberum corpus nullam recipit æstimationem."[1] "Communiter tamen," ut animadvertit S. Alphonsus, "præfati auctores monent congruum esse, ut confessarius imponat pœnitenti pro pœnitentia, vel ex æquitate aliquid læso elargiri."[2] Qui alterum visu, audituve injuria privavit, damnum quod inde evenit debet reparare pro viribus. Pro peccato ad quod quis alterum vi, fraude, pretiove adduxit, nihil reddi potest: sed seductus libertati restituendus est, si vis fuerit adhibita, et omnis opera in eo ponenda est ut ad bonam frugem redigatur. Cæterum si inde immineat lapsus periculum, satis erit ut precibus coram Deo fusis conversio et salus alterius imploretur, et pietatis et virtutum omnium exemplo omnes ad vitam sanctam excitentur.[3]

209. Si alteri imputetur crimen a te commissum, qui et capitis ideo damnetur, quærunt theologi utrum damnationis ejus reus habendus sis. Plerique negant, si nihil feceris quo ea induceretur suspicio: quod si ita omnia composueris, ut indicia criminis in alium rejicerentur, videris causa sententiæ injustæ: v: g: si telum sanguine inspersum in cubiculo ejus absconderis, vel rem aliquam, quæ ejus noscitur, prope cadaver occisi hominis deposueris. Quod si prævideas suspicionem in quemdam rejiciendam, absque ulla tua opera, peccas contra charitatem illi debitam facinus patrando, ex quo

(1) L. fin. ff. *de his qui effud.* (2) L. iii. n. 627.
(3) Vide Lessium *de Justitia et Jure,* §. ii. c. viii. dub. ii.

Digitized by Google

ea suspicionum occasio oriatur: multo magis si id optes, animum gerens illi inimicum. Quoties violatur justitia, reparanda sunt damna: sed charitate tantum læsa, sufficit delicti pœnitentia.

210. Homicidium in ebrietate factum non inducit obligationem restituendi, si nullatenus prævisum fuerit; quamvis enim ebrietas ipsa peccatum sit, homicidii in ea patrati malitia non imputatur, nisi prævisa.

211. Si læsus ante mortem omnia remiserit, occisor non tenebitur ad aliquid: condonatio autem injuriæ non fert secum remissionem damnorum.

212. Pro expensis funeris nihil restituendum est, nisi ex occisione majores fuerint, quam alias fuissent. Restituendæ sunt impensæ factæ in curationem, et medicamenta vulnerati, vel occisi: item lucrum, quod ex mutilatione vel morte cessavit, juxta prudentum æstimationem, pro majore aut minore spe quam læsus, vel occisus, habuit, et dempto pretio quod defunctus ad laborem redimendum probabiliter daturus erat. Restitutio hæc deberi videtur, etsi respublica crimen puniat carcere, vel morte, ad publicam injuriam ulciscendam.[1] Plerumque tamen propinqui eam non exigunt, quoties pœna in judicio fuerit irrogata.

213. Facienda est restitutio parentibus, filiis, et uxori interfecti, quatenus ex ejus morte damnum passi sint. Cæteris qui forte damnum inde sustinuerint, fratribus: v: g: et consanguineis, restitutionem haud deberi affirmant graves theologi, nisi animo illis nocendi homicidium fuerit patratum: nam strictum jus ad defuncti bona non habuerunt. De creditoribus idem dicunt: per accidens enim dumtaxat damnum iis infertur. Si uxor deinceps commode nupserit, et filiis etiam idonea sustentatio præbeatur, obligatio restituendi cessabit; quum damnum jam non patiantur.[2] Non videtur esse obligatio curandi ut Missæ pro occiso homine celebrentur; quamvis id suadendum sit ex charitate, et possit imponi in pœnitentiam.

214. Si occisum fuerit mancipium alienum, restitutio debetur domino, pro ejus valore juxta æstimationem prudentum.

215. Qui graviter excedens moderamen inculpatæ tutelæ aggressorem interficit, ad damna reparanda teneri videtur, quum gravem irrogaverit injuriam: sed juxta plures theologos "æquitas naturalis

(1) Vide Lessium, *de justitia et jure*, §. ii. c. ix. *Dub* xxii. n. 139.

(2) Ibidem, *Dub.* xxvi.

Digitized by Google

videtur postulare, ut non tam severe teneatur omnia damna rependere."[1] Quod si quis in pugna quam acceptavit, seu duello, occisus fuerit, interfectori non est restitutionis obligatio, quum alter sponte se morti objecerit.

216. Stuprum, vis scilicet virgini invitæ illata, restituendi onus inducit. Pro ipsa virginitate læsa nihil videtur restituendum, quum pecunia eam reparare haud valeat. Si autem damnum temporale inde provenerit, illud ex prudentum æstimatione reparandum est. Jure communi pater litem intentare potest stupratori ob operam filiæ amissam, "per quod servitium amisit:" qua ratione pecuniam obtinet pro injuriæ gravitate, spectata conditione puellæ.[2] Plerumque injuria illa haud tollitur, nisi violatam in uxorem ducendo, a quo tamen excusat magna conditionis disparitas: nec enim vir nobilis tenebitur ad ancillam quam violavit ducendam. Curare quidem debet ut ipsa possit in matrimonium locari, dote illi tributa.

217. Qui virginem consentientem violavit, nulla vi, fraude, vel promissione matrimonii facta, ad nihil restituendum tenetur, quia "volenti et consentienti non fit injuria." Qui virginis consensum importunis precibus obtinuit, restituendi oneri subjicitur, si preces vi æquiparentur, conjunctis præsertim minis, metuque cum reverentia: v: g: si fuerit ejus dominus. Si consensum impetraverit, matrimonium promittendo, seu vere, seu ficte, tenetur ad matrimonium; nam verus contractus certò implendus est, conditione ab alterutro jam posita: fictus etiam contractus pariter impleri debet, quum ipsum jus naturæ exigat omnem fraudem a contractibus procul esse, et decipientes in fraudis pœnam ad contractus conditiones adstringi. Quando verò ex adjunctis fictio facile innotescere potuit, puella sponte decipi, et consentire videtur. Hinc S. Thomas de violante virginem dicit: "tenetur eam ducere uxorem, si aliam non duxerit; sed si aliam duxerit, sufficit si ei de nuptiis provideat; et ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus sit melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit, quo præsumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit."[3] Excusatur etiam a matrimonio contrahendo cum violata, si pessimus exitus inde timeatur, ob ejus levitatem, vel familiæ dedecus. Si corruptam antea, vel postea, fuisse innotescat, excusatur

(1) Lessius *de just. et jure.* §. ii. c. ix. dub. xxi. n. 135.
(2) Blackston. l. iii. n. 141. et. Not.
(3) Suppl. qu. xlvi. ar. 2. *Ad quartum.*

Digitized by Google

ab ea ducenda: promissio enim facta est ex præsumptione eam esse virginem, et virtutis cultricem. Qui solos tactus obtinuit absque copula, non tenetur plerumque ad matrimonium, quum tactus non habeant proportionem cum onere ducendi; nisi fuerint valde turpes cum infamiæ discrimine, et femina sit honesta. Si parentes puellæ matrimonium impediant, vir qui illud promisit adhuc tenetur, juxta plures theologos, ad damnum compensandum, quatenus alias poterit: imo etsi puella ipsa matrimonium detrectet, damnum nihilominus reparandum est, juxta aliquos; quorum tamen sententiæ non subscribimus, quum vir ultra promissum non teneatur.[1] Qui post votum simplex castitatis emissum, puellam violavit, promisso matrimonio, videtur obligatus ad eum ducendam; quamvis enim illicite promiserit, licite tamen implet promissionem, impetrata prius a legitimo superiore voti dispensatione. Excipe nisi ipsa noverit eum voto ligari.

218. Qui consanguineam violavit, matrimonio promisso, tenetur ad petendam dispensationem ut eam ducat, si impedimentum soleat relaxari: si verò rarissime relaxetur, promissio implenda non est, quum femina haud debuerit promissioni hujusmodi fidem adhibere. Hinc qui defunctæ uxoris sorori pollicitus est matrimonium, et copulam cum ea habuit, vix tenebitur ad petendam dispensationem. Qui puellam acatholicam matrimonii promissione ad crimen induxit, ad eam ducendam non videtur obligatus, quum matrimonia hujusmodi sint illicita, ob violatas Ecclesiæ ea vetantis leges, et periculum prolis subversionis. Quod si fama ideo periclitetur puella alioquin honesta, quæ in conditionem de prole catholice instituenda consentiat, promissio implenda est.

219. Adulterium inducit restituendi obligationem, si proles inde nascatur, et marito et filiis legitimis ita fiat injuria. Uterque parens ad restituendum obligatur, damna omnia compensando quæ orta fuerint. Adulter quidem debet omnes impensas quas maritus fecit ut spurium aleret, et educaret, ei restituere; et filiis legitimis eam reddere hæreditatis partem quam spurius adeptus est: adultera autem usque ad tertium annum filium lactare tenetur: quod si nequeat, lactationis impensas debet adulter sustinere. Præcipuæ rationes damna hæc reparandi quæ adulteræ plerumque præsto sunt, recensentur: 1. diligentius rem familiarem administrando. 2. de cultu corporis

(1) Vide Lessium, *de just. et jure.* §. ii. c. x. dub. iii. n. 27.

Digitized by Google

detrahendo: 3. si habeat bona propria, plus filiis legitimis, quam spurio relinquendo: 4. spurium inducendo ut, hæreditate relicta, religiosum statum complectatur, si videatur idoneus. Disputant theologi utrum teneatur mater suum delictum marito, vel filio, pandere, si alias damna nequeat avertere. Iis assentimur qui vix unquam eam obligari ad illud marito patefaciendum putant, quum gravis ira, aliave ingentia mala ex illa revelatione timenda sint: proinde "mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda."[1] Nec filio spurio, nec aliis crimen necessario revelandum opinamur, si damnum famæ quod mater subiret, longe superet damnum mariti et filiorum: quod plerumque accidit mulieri famæ integræ, et conditionis haud vilis. Si verò infamia non sit tanta, censent plures theologi cum S. Alphonso de Ligorio, matrem debere se prodere, spe affulgente damnum, præsertim publicum, sic avertendum: v: g: "si mater se manifestando filio spurio, verosimiliter speraret filium crediturum, bonisque cessurum, nec timeretur ulterior magna infamia, aut vexatio matris."[2] Filius tamen matri etiam juramento attestanti in ipso mortis articulo non tenetur credere se esse spurium, quia nemo tenetur credere uni testi, etsi probatissimo.[3] Ita sentiunt plurimi theologi, nonnullis contra sentientibus "Secus tamen dicendum, si adsint indicia ita vehementia, ut filius in foro externo tamquam spurius condemnaretur, prout si mater clare ostenderet impotentiam, vel absentiam mariti tempore procreationis."[4]

220. Si nulla vel parva sit hæreditas, et spurius operam suam in utilitatem putati patris impendendo pro alimentis et educatione compensaverit, nulla videtur deberi restitutio.

221. Quando dubitatur utrum proles sit adulterina, vel ex legitimo concubitu concepta, præsumitur eam esse legitimam, quum matrimonium possideat: attamen pro dubii ratione Laymann censet adulterum satisfacere debere.[5] Matri affirmanti prolem esse adulterinam non tenetur adulter credere, nisi alia suppetant argumenta eam ex concubitu legitimo non esse natam. Si constet prolem esse adulterinam, quæ scilicet marito procul degente nata sit; dubitetur autem cujus sit, quum mulier cum pluribus consueverit, nullum ad prolem alendam teneri, S. Alphonsus cum aliis sentit. Advertens posterior

(1) Cap. officii, 9 *de pœnit. et remiss.*
(2) L. iii. n. 653.
(3) Ex. C. Relatum, *de testam.*
(4) S. Alph. l. iii. n. 654.
(5) L. iii. de Just. Tract iii. par. iii. c xiv. 3.

Digitized by Google

adulter se suo crimine causam esse cur proles incerta sit, ideoque jus ad alimenta a priore adultero accipienda tollatur, tenetur juxta nonnullos ad satisfaciendum pro rata parte.

222. Adulter de prole certus a restituendo non excusatur, eo quod ipse mulierem non induxerit ad prolem marito supponendam: re enim vera eam suo adulterio in quandam necessitatem prolem supponendi injecit: imo ipse eam supposuisse censendus est.[1]

(1) Vide Lessium, *de just. et jure*, §. ii. c. x. dub. vi. n. 46.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS XI.

DE CONTRACTIBUS.

CAPUT I.

DE CONTRACTUS NATURA.

§. I. Contractuum species.

1. *Contractus* est pactum, sive consensus duorum, quo scienter, libere, et legitime, uterque se vicissim, vel saltem una pars alteri acceptanti se obligat.[1] In jure civili "est pactio duorum pluriumve in idem placitum consensus."[2] *Perfectus* dicitur contractus si utraque ex parte obligationem pariat: qua de causa *onerosus* quoque vocatur. *Imperfectus* et *gratiosus* habetur si ex alterutra parte desit obligatio. Venditio est contractus perfectus, pretium enim datur pro merce; donatio est contractus imperfectus. *Explicitus* vocatur contractus quando inter duos de re aliqua expresse convenit; *implicitus* est, quando tacita tantum habetur conventio: sic qui medicum accersit, implicite se obligat ad curationis impensas solvendas.[3]

(1) "An executory contract is an agreement of two or more persons, upon sufficient consideration, to do or not to do a particular thing." Kent's Com. vol. ii. part v. Lec. xxxix. n. 450.

(2) L. 1. ff. de pactis.

(3) "There are also *express* and *implied* contracts. The former exist when the parties contract in express words, or by writing; and the latter are those contracts which the law raises, or presumes, by reason of some value or service rendered, and because common justice requires it." Kent's Comm. *ubi supra.*

Digitized by Google

Nominatus dicitur contractus cui nomen speciale in lege datur, v : g : venditio, locatio, societas : *innominatus* qui speciali caret nomine. Quatuor species contractuum innominatorum recensentur, scilicet, *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.*[1]

2. *Nudus* dicitur contractus si duo ita inter se conveniant, ut nulla actio civilis inde oriri queat: talis est omnis contractus innominatus, antequam ex altera parte sit impletus, nisi accedat formula stipulationis, juramentum, vel aliud hujusmodi. Omnis contractus qui re perficitur est nudus ante rei traditionem. Jure communi omnis contractus qui æqua consideratione non nititur nudus est.[2] *Vestitus* dicitur contractus si aliquod habeat juris firmamentum quo actionem civilem pariat. Firmamenta juris sunt scriptura, stipulatio, testes, juramentum, conjunctio contractus innominati cum nominato. Communi jure contractus scripto et sigillo munitus *specialis* dicitur; si sigillum desit, dicitur *verbalis*, licet scripto fiat.[3] Si contractus sit postea executioni demandandus, dicitur Anglice *in actione* positus;

(1) "These valuable considerations are divided by the civilians into four species. 1. *Do, ut des*: as when I give money or goods, on a contract that I shall be repaid money or goods for them again. Of this kind are all loans of money upon bond, or promise of repayment; and all sales of goods, in which there is either an express contract to pay so much for them, or else the law implies a contract to pay so much as they are worth. 2. The second species is, *facio ut facias;* as when I agree with a man to do his work for him, if he will do mine for me; or if two persons agree to marry together, or to do any positive acts on both sides. Or, it may be, to forbear on one side on consideration of something done on the other, as, that in consideration A, the tenant, will repair his house, B, the landlord, will not sue him for waste. Or, it may be for mutual forbearance on both sides; as that in consideration that A, will not trade to Lisbon, B will not trade to Marseilles; so as to avoid interfering with each other. 3. The third species of consideration is *facio ut des:* when a man agrees to perform any thing for a price, either specifically mentioned, or left to the determination of the law to set a value to it. . . . 4. The fourth species is, *do ut facias:* which is the direct counterpart of the preceding. As when I agree with a servant to give him such wages upon his performing such work: which we see is nothing else but the last species inverted: for *servus facit, ut herus det, and herus dat, ut servus faciat.*" Blackstone's Comm. l. ii. n. 445.

(2) "A contract without a consideration is a *nudum pactum*, and not binding in law." Kent's Comm. vol. ii. part. v. lec. xxxix. n. 464.

(3) "The agreement is either under seal, or not under seal. If under seal, it is denominated a specialty, and if not under seal, an agreement by parol; and the latter includes equally verbal and written contracts not under seal." Ibidem. n. 450.

Digitized by Google

si jam executioni demandetur, dicitur *in possessione.*[1] Contractus *bonæ fidei* ille est in quo judex multa ex æquo et bono potest moderari, quæ scilicet contractui secundum bonam fidem inesse censentur: tales sunt emptio, locatio, conductio, negotiorum gestio, mandatum, depositum, pignus, societas. Contractus *stricti juris* est ille in quo ad verba contrahentium judex omnino adstringitur, ita tamen ut intentioni eorum manifestæ inserviant:[2] tales sunt census, feudum, emphyteusis, testamentum, mutuum, stipulatio, donatio, et promissio liberalis. In foro conscientiæ æquitas præcipue spectatur in omnibus contractibus perpendendis. Jure Americano contractus omnes in utraque curia, legis scilicet et æquitatis, iisdem regulis explicantur.[3]

3. Contractus *purus* vocatur quando simplex est, et nullo adjuncto oneratus: *non purus* quando habet aliquid adjunctum. Quinque species hujus contractus numerantur: 1. contractus *ad diem*, cum dies statuitur ante quem ex contractu nulla oriatur obligatio. 2. *ad modum*, cum additur modus, sub quo contractus obliget, v: g: promitto tibi hunc equum, ut loces domum tuam Titio: 3. *ad causam*, quum fit propter aliquam causam, quæ si omnino desit, nullus erit contractus: si quis propter paupertatem quam alter fingit promittat ei pecuniam, non tenetur ad eam dandam. 4. *ad demonstrationem* cum apponitur aliquod signum ad rem vel personam ostendendam, v: g: pecuniam apud nummularium repositam, vel jus quod quis habet in mensa nummaria. 5. *ad conditionem*, cum apponitur aliqua conditio.

§. II. Qui contrahere possint.

4. Ad contrahendum libera bonorum suorum administratio plerumque requiritur. Jus civile obstat ne filii familias impubes se

(1) "The agreement conveys an interest either *in possession, or in action.* If, for instance, one person sells and delivers goods to another for a price paid, the agreement is *executed,* and becomes complete and absolute; but if the vendor agrees to sell and deliver at a future time, and for a stipulated price, and the other party agrees to accept and pay, the contract is executory and rests in action merely." Kent's Comm. vol. ii. n. 450.

(2) "To reach and carry that intention into effect, the law, when it becomes necessary, will control even the literal terms of the contract, if they manifestly contravene the purpose." Ibidem n. 555.

(3) Ibidem.

Digitized by Google

ligent contractu; sed puberes possunt, dummodo in patris detrimentum non vergat. Quibus curatores dati sunt horum indigent consensu ut contrahant. Viginti quinque annorum ætas requirebatur, ut quis major haberetur: sed quamdiu a patre emancipatus non fuerat actu quodam solemni filius, etiam matrimonio ligatus, et ejus filii in patria censebantur potestate. Apud nos quicumque vigesimum primum annum explevit, major habetur, et contrahendi capax. Alicubi fœminæ octodecim annos natæ majores habentur.[1] Mulieres conjugatæ contrahere nequeunt, sunt enim sub viri potestate. Contingit tamen aliquando eis bona committi ea conditione ut ipsæ eorum arbitrio fruantur: quo casu possunt de iis disponere, tamquam solæ essent; sicut et alias certis servatis legis conditionibus.[2] Marito etiam contractu bona sua tradere possunt, instrumento scripto consensum liberum testantes, seorsim interrogatæ,[3] quod tamen jure cæsareo non valent. Quos ineunt contractus in domo viri commorantes censentur fieri ex ejus consensu, eumque obligant: quod si dissentire se significaverit, adhuc videtur teneri, quoad ea quæ ad suam conditionem et decentem sustentationem ipsa emit. Pro necessariis ad victum et ad decentem sustentationem semper maritus devinctus tenetur, licet contradixerit, et publice monuerit omnes, ne aliquid suo nomine uxori dent: dummodo tamen ipsa e domo mariti sponte non discesserit, seu cum adultero seu alias absque gravi causa.[4] In Pennsylvania fæminæ quæ ex maritorum consensu officinas habent, maritis in mari versantibus, fæminæ solæ habentur quoad contractuum valorem.[6]

(1) "The age of twenty-one is probably the period of absolute majority throughout the United States, though female infants, in some of them, have enlarged capacity to act at the age of eighteen.' *Kent's Comm.* vol. ii. p. iv. lec. xxxi. (1.)

(2) "A wife in England, and in those States in this country where fines exist, may pass her freehold estate by a fine, and this and a common recovery were the only ways in which she could, at common law, convey her real estate." *Ibidem*, lec. xxviii. iii. (1.) "We may conclude the general rule to be that the wife may convey by deed; that she must be privately examined; that the husband must show his concurrence to the wife's conveyance by becoming a party to the deed; and that the cases in which her deed without such concurrence is valid, are to be considered as exceptions to the general rule." Ibidem 154.

(3) Ibidem, 166, 167.

(4) Ibidem, ii. (2.) 148.

(5) Vide Purdonis digestum, *art. Feme sole traders.*

Digitized by Google

5. Tutorem cum pupillo contrahere jus civile vetat.[1] Minoribus quibus curator adsignatus est, in suum commodum contractus quosdam inire permittit, nequaquam verò in sui detrimentum, "ut minoribus ætas in damnis subveniret, et in prospere gestis non obesset."[2] Si contractus in detrimentum pupilli vergat, licet resilire, restituta tamen merce venditori: quæ si fuerit absque dolo consumpta, tenetur pupillus id tantum solvere in quo ditior factus est.[3] Si fraus pupilli intercesserit, actio civilis contra eum datur.[4] Pro necessariis ad victum valent minorum contractus, nisi apud patrem vel tutorem degentes eos omnia necessaria habere innotuerit venditori.[5] Bona immobilia, vel etiam mobilia magni valoris quæ servari possunt: v: g: gemmas, aurum, etc. pupilli nequeunt alienare, etsi consenserint tutores vel curatores, nisi accedat judicis auctoritas.[6] Bona mobilia quæ servando servari nequeunt: v: g: frumentum etc. vendi a pupillis ex consensu tutoris jus Romanum permittit, quò deficiente non obligantur civiliter.[7] Leges Americanæ plerumque permittunt bona immobilia minorum vendi a curatore ex curiæ auctoritate, si bona mobilia non sufficiant solvendis debitis defuncti, vel minoribus educandis.[8]

(1) L. *pupillus*, ff. *de auct. et cons. tut.*

(2) L. *non minus*, cod. *de procurat.* Instit. *de auctor. Tut. init.* "All the books are said to agree in one result, that whenever the act done *may be* for the benefit of the infant, it shall not be considered void, but he shall have his election, when he comes of age, to affirm or avoid it; and this, says Ch. J. Parker, is the only clear and definite proposition which can be extracted from the authorities." *Kent's Comm.* vol. ii. part iv. lec. xxxi. n. 235.

(3) L. 1. n. *de auct. Tut.*

(4) ff. *de deposito* §. An etiam pupillum. "If he shelter himself under this privilege, to avoid a fair obligation, or an equitable contract, he extends the privilege to a case, in which it is not allowed by intention of law, and in which consequently it does not, in natural justice, exist." Paley's Moral Phil. l. 2, c. iv. "Infancy is not permitted to protect fraudulent acts; . . . . But there are many hard cases in which the infant cannot be held bound by his contracts, though made in fraud; for infants would lose all protection if they were to be bound by their contracts made by improper artifices, in the heedlessness of youth, before they had learned the value of character, and the just obligation of moral duties." Kent's Comm. ubi supra. n. 241.

(5) Ibidem.

(6) L. xxii. Cod. *de administ. tut. et curat.*

(7) Instit. *quibus alienare licet*, §. 2.

(8) "He *(the guardian of the estate)* may sell the personal estate for the purposes of the trust, without a previous order of the court. Whenever it becomes

Digitized by Google

6. Contrahere nequeunt amentes,[1] vel qui mente adeo sunt imbecilli ut contractus vim et naturam haud norint.[2] Quod si perpetua amentia non laborent, per lucida intervalla valent contrahere. Si quis ex curiæ auctoritate declaratus sit amens, omnes ejus contractus deinceps censentur nullius momenti, nisi certis testimoniis constet eum rationis usum recuperasse. Ei qui amenti merces vendit, quin norit amentiam, tribunalia favent.[3] Ebrii nequeunt contrahere, quandocumque non norunt quid oneris contrahendo sibi inducunt. Nonnumquam ebriosis tollitur facultas contrahendi, et tota bonorum suorum administratio alteri committitur.[5]

§. III. QUI VALEAT CONSENSUS.

7. Consensus duorum verus et liber ad contractus valorem exigitur. Si ficte quis consensum expresserit, theologi eum vi contractus haud teneri dicunt; fatentur tamen eum debere damnum reparare quod ex ejus fictione alter passus sit. Tribunalia autem civilia et ecclesiastica consensum adfuisse præsumunt, quoties exterius proferuntur verba eum enuntiantia. Si igitur quis alteri illudere volens, equum valde generosum vili vendat pretio, haud tenebitur equum illi

necessary to have the real estate of an infant sold, there must be a guardian especially appointed for that purpose, and the sale is made under the direction of the court of chancery, and the application and disposition of the proceeds are to be under its order, for in respect to such proceedings, the infant is considered a ward of the court." *Kent's Comm.* vol. ii. part iv. lec. xxx. n. 228.

(1) "The contracts of lunatics are generally void from the period at which the inquisition finds the lunacy to have commenced. But the inquisition is not conclusive evidence of the fact, and the party affected by the allegation of lunacy may gainsay it by proof, without first traversing the inquisition." *Ibidem.* vol. ii. part v. lec. xxxix. 1.

(2) "Imbecility of mind is not sufficient to set aside a contract, when there is not an essential privation of the reasoning faculties, or *an incapacity of understanding and acting in the ordinary affairs of life.* This incapacity is now the test of that unsoundness of mind which will avoid a deed at law." *Ibidem*, 452.

(3) "In the case of *Baxter*, v. *the Earl of Portsmouth*. . . . . the inquisition of lunacy was not admitted to form any defence, on the ground that the goods furnished by the tradesman were suitable to the condition of the defendant, and that he had no reason to suppose that the defendant was a lunatic." Ibidem.

(4) "A contract made by a person so destitute of reason as not to know the consequences of his contract, though his incompetency be produced by intoxication, is void." *Ibidem.*

(5) Vide Purdonis digestum, art. *Drunkard.*

Digitized by Google

dare, si nullam habuerit intentionem contrahendi, pretium tamen acceptum restituat oportet. Quod si venditio coram tribunali probetur, frustra plerumque allegabit se animo contrahendi caruisse, nisi ex adjunctis plane pateat.

8. *Error* vel dolus circa rei substantiam, vel qualitatem quæ in substantiam redundat, consensui obstat, quippe qui circa ignotum non versatur.[1] Hinc si quis acetum pro vino, vitrum pro gemma vendat, contractus nullus est. E contra si error respiciat qualitatem accidentalem, contractus valet, saltem nisi error ei causam dederit, adeo ut, errore sublato, contractus initus non fuisset.[2] Quapropter qui vinum aliud pro alio emit, absque ulla vendentis fraude, tenetur plerumque contractu. Si vendentis dolo contigerit ut vinum aliud emptori daretur, poterit hic contractum rescindere, et pecuniam suam repetere: venditor autem fraudis sibi conscius tenetur ad compensandum damnum, si vinum vilius majori pretio dederit.[3]

9. Error in demonstratione, si respiciat substantiam aut personam, vitiat contractum: secus si sit circa accidentia.[4] Hinc si quis alteri agros vendat quos uterque censet agris quos jam possidet alter adjacere, contingat autem alios agros describi instrumento, nullus erit

(1) "It would seem to be sound doctrine, that a substantial error between the parties concerning the subject matter of the contract, either as to the nature of the article, or as to the consideration, or as to the security intended, would destroy the consent requisite to its validity." *Kent's Comm.* vol. ii. part v. lec. xxxix. 471.

(2) "By the *civil code of Louisiana*, art. 2496—2519, a redhibitory action is provided for the avoidance of a sale, on account of some vice or defect in the thing sold, which renders it either absolutely useless, or its use so inconvenient and imperfect, that it must be supposed that the buyer would not have purchased it, had he known of the vice." *Ibidem, Note.*

(3) Vide *ibidem*, n. 478.

(4) "If the object of the contract be present, an error in the name does not vitiate it; as, if A, gives a horse to C, (D being present,) and says to him, (C,) D., take this horse, the gift is good notwithstanding a mistake in the name; for the presence of the grantee gives a higher degree of certainty to the identity of the person than the mention of his name. So, if the error consists in the demonstration, or reference, and not in the name of the thing, — as if A, grant to B, his lot of land called Dale, in the parish of B., in the county of D., and the lot lies in the county of H., yet the falsity of the addition does not affect the efficacy of the contract. Many other cases to the like effect are put by Lord Bacon, and given by way of illustration of the rule, that *præsentia corporis tollit errorem nominis, et veritas nominis tollit errorem demonstrationis.*" Ibidem, 556.

Digitized by Google

contractus; secus si alteruter falsò putet agros esse feraciores. Si quis cum homine, tamquam medico, contrahat, qui tamen medendi scientiam falsò profitetur, non tenetur ad solvendum impensas: secus si medicum quemdam minus peritum accersat, quem putat esse alium ejusdem nominis fama celebrem.

10. "Metus definitur, quod sit 'instantis, vel futuri periculi causa, mentis trepidatio.' Dividitur metus in *gravem*, seu justum, et levem. Dicitur *levis* metus illius, qui leve malum timet, vel timet quidem malum grave, sed ex causa levi et improbabili. Metus verò gravis dicitur illius qui timet malum grave ex causa valde probabili. Communiter censentur mala gravia mors, mutilatio membrorum, enormia verbera, durus carcer, exilium, servitus, magna infamia, proscriptio bonorum, ablatio instrumentorum artis suæ, sine quibus non potest victum sibi laborando quærere, &c. In cæteris pensanda est gravitas vel levitas metus, præsertim ob diversam indolem, et personarum qualitatem; pueros enim et mulieres vehementer concutit, quod viros ne leviter quidem tangit." . . . "Dico, quod metus non causat involuntarium *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*, quod idem est ac dicere, quod quæ fiunt per metum, sive levem, sive gravem, sunt *simpliciter voluntaria*, involuntaria tantum *secundum quid*." . . "Res clare patet in exemplo projectionis mercium in mare propter imminens uaufragium."[1]

11. Metus gravis injuste incussus ad extorquendum consensum justam præbet causam a contractu resiliendi: qui enim injuriam est passus poterit, contractum rescindendo, se ipsum indemnem reddere, præsertim judicis accedente auctoritate: "Quæ metu et vi fiunt, debent in irritum revocari."[2] "Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari."[3] Quidam contractus ipso jure sunt irriti, quoties ex metu gravi initi fuerint, nempe matrimonium,[4] dotis promissio, seu solutio,[5] professio

(1) S. Alphonsus, l. v. art. ii. §. ii. xx. xxi.

(2) Cap. ii. *de iis quæ vi metuve fiunt.* "If the contract be entered into by means of violence offered to the will, or under the influence of undue constraint, the party may avoid it by the plea of duress." Kent's Comm. vol. ii. n. 453. "If a person be under an arrest for improper purposes without a just cause, or where there is an arrest for a just cause, but without lawful authority, he may be considered as under duress." Ibidem.

(3) Leg. ult. cod. *de his quæ vi.* (4) C. v. *de Sponsalibus.*

(5) *Si mulier*, §. 3. *Si dos*, ff. L. xxi. *Quod met. causa.*

Digitized by Google

religiosa,[1] promissio vel traditio rerum Ecclesiæ,[2] jurisdictio metu gravi extorta,[3] electio prælati.[4] Sunt etiam qui dicunt contractus gratuitos ex metu gravi initos, esse ipso naturæ jure nullius roboris: quapropter donatio vel promissio liberalis ex metu factæ vi carent. Aliis plerisque placet contractus omnes, sive onerosos sive gratuitos, ex metu initos per se valere, rescindi tamen posse, etiam absque judicis auctoritate, ab illo qui metu egit, injuriam enim est passus. Hinc viator potest recedere a promissione facta latroni pecuniam ei dandi. Metus *reverentialis* quo filii parentes, fideles episcopum, prosequuntur, aliquando fit gravis, accedentibus minis. Levis metus non tollit vim contractus.[5] Metum passus poterit rem suam sibi vindicare, licet ad alium qui metum ei non incussit pervenerit, nam "in hac actione non quæritur utrum is qui convenitur, an alius metum fecit. Sufficit enim hoc dicere, metum illatum."[6]

12. Contractus quatuor modis solent perfici: nonnulli quidem *solo consensu*, ut emptio, locatio, etc. Ut scripto fiant, ad probationem magis quam ad substantiam pertinet;[7] nisi contrahentes suspenderint consensum donec scriptum fuerit exaratum.[8] Nonnulli contractus verbis perficiuntur: v: g: stipulatio: nonnulli scripto, ut census; nonnulli traditione, ut mutuum, donatio, depositum, pignus..

§. IV. Quæ contractibus insit vis.

13. Obligatio *mere naturalis* ex contractibus oritur quoties in conscientia vim obtinent, quamvis in foro externo non valeant: sic stipulatio absque ullo teste facta conscientiam ligat, quamvis nequeat probari. Obligatio *mere civilis* ea est quæ apud tribunalia civilia agnoscitur, quamvis conscientiam non liget. Sic scriptum instrumentum quo quis bona sua alii tradit, ob pecuniam quam falso dicitur accepisse, obligationem mere civilem parit, deficiente fraudis quam passus est probatione. Obligatio *mixta*, seu plena, et integra, oritur ex contractibus omnibus justis, qui et conscientiam ligant, et in foro probari valent. Omne pactum quod per se valet, nec jure

(1) Cap. i. *de iis quæ vi.* (2) Cap. *de jurejurando.*
(3) L. ii. ff. *de judiciis.* (4) Cap. Periculum §. Cæterum, *de elect.* in 6.
(5) L. v. et vi. ff. *Quod metus causa gestum erit.*
(6) L. xiv. §. 3. eod tit.
(7) §. Un. Inst. *de obl. ex consens.* et L. v. c. *de Trans.*
(8) L. *Contractus*, c. *de fide instr.*

Digitized by Google

declaratur irritum, obligationem naturalem parit et ligat conscientiam, etsi in foro externo non detur actio. Si nuda pacta firmentur juramento, jus civile, judice Lessio, non intendit ea irritare, sed relinquit in suo vigore quem habent, præciso jure positivo. Contractus illi quos jus declarat irritos tamquam bonis moribus, vel publicæ utilitati repugnantes, nullam obtinent vim etiam in conscientia: "Pacta quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est."[1] Hinc pupilli non obligantur contractibus quibus sua dissipant bona in legis fraudem, et sui detrimentum. Contractus alii quorum vis in tribunalibus civilibus non agnoscitur ob quarumdem solemnitatum defectum, si absit omnis fraus, vim in conscientia obtinent, juxta plurium theologorum sententiam,[2] aliis contradicentibus. S. Alphonsus, cui assentimur, possessori favendum opinatur: quapropter si hæres nolit solvere ea quæ testamento invalido sunt legata, eum haud damnamus, quum jus civile ei faveat: si legatarius legatum sibi sumat, eum ad restituendum non censemus obligari: "procul tamen dubio, tenetur possessor stare sententiæ judicis si damnetur ad restituendum."[3] Ipsum jus civile nonnullos effectus contractuum quibus vis naturalis inest agnoscit, quod scilicet possit creditor rem sibi debitam, si oblata fuerit, accipere, neque eam deinceps reddere teneatur.[4]

14. Si juramentum accesserit pacto invalido, servandum erit ob divini nominis reverentiam, nisi peccatum, vel alterius damnum, vel bonorum morum eversio inde oriatur: "non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum,"[5] "juramentum enim non est

(1) L. Cod. *Pacta* c. *de pactis*. "Contracts are illegal when founded on a consideration *contra bonos mores*, or one against the principles of sound policy, or founded in fraud, or in contravention of the positive provisions of some statute law. If the contract grows immediately out of, or is connected with an illegal or immoral act, a court of justice will not enforce it." *Kent's Commen.* vol. ii. part v. lec. xxxix. 466.

(2) "Cum jus civile tantum non assistit, nil plane detrahit de firmitate obligationis naturalis.... Cum vero leges improbant plane, atque irrita volunt esse acta illa, e quibus alioquin naturalis obligatio nasceretur, tum ipsa legum vi naturalis ea obligatio, quæ aliter locum habuisset, plane perimitur ac tollitur, idque ex ipsa æquitate naturali"... quæ non "patitur ea aut licita censere quæ jure prohibentur, aut valida quæ jura valere nolunt." Gerdil Compendium Instit. civil. l. iii. De obligationibus. p. 374. vol. vii.

(3) S. Alph. Theol. Mor. l. iii. n. 711.

(4) L. *Naturales*, ff. de act. et oblig.

(5) Reg. lviii. in 6.

Digitized by Google

vinculum iniquitatis."[1] Sic pupillus jurans se contractum impleturum, legis beneficio neglecto, tenetur ad eum implendum, si rem respiciat per se bonam et utilem: quod si ita juraverit, ut subsidia quibus indulgeret cupiditatibus compararet, et rem dissiparet familiarem, bonis moribus adversum juramentum illud noscitur. Juramentum dolo, vel vi, vel metu gravi injuste incusso extortum vim nullam tribuit pacto, nam relaxari potest ob injuriam illatam.[2] In foro externo, juxta jus civile, firmatur pactum solo jure positivo irritum, si jurans libere illud se servaturum pollicitus fuerit, et in aliorum detrimentum non cedat: cæterum non hanc habet vim jusjurandum jure communi nostro. Hinc nulla habetur ratio juramenti latroni mortem minanti præstiti: quod tamen Catholicus servare decet ob Dei honorem, nisi dispensationem ob metum incussum a præsule acceperit.

§. V. Conditiones appositæ.

15. Conditiones quæ contractibus aliquando adnectuntur variæ sunt; aliæ quippe sunt de præsenti, aliæ de præterito, aliæ de futuro, sive necessario, sive contingenti. Aliæ sunt impossibiles, aliæ honestæ, aliæ turpes. Quæ bonum impediunt, vel priori adversantur obligationi turpes habentur. Hinc turpis censetur conditio legato puellæ facto apposita, ne nubat, quum impediat nuptiarum bonum, quæ in reipublicæ utilitatem cedunt. E contra honesta est conditio si de vidua agatur, nam cum utilitate prolis mariti prioris vel decore familiæ connectitur.

16. Conditio de præsenti, vel de præterito, contractum non suspendit, si enim existat, statim valet contractus; si non existat conditio, contractus nullus est.[3] Sic si quis dubius utrum alius jam non comparaverit merces quasdam, eas emit, ea tamen conditione ut si invenerit merces jam fuisse aliunde comparatas, contractum nullum esse habendum, ex hujus rei notitia pendebit contractus executio; qui nullus est ab initio, si revera merces ita sint ab alio comparatæ. Conditio de re necessariò futura tamquam præsens habetur.[4] Si quis se ad aliquid obliget, si sol postero die oriatur, tenetur

(1) Cap. xviii. *de jurejurando.*
(2) Panorm. cap. cum contingat, *de jurejurando.* cap. xxviii. *de jurejurando.*
(3) L. *Cum ad præsens,* ff. *ne certum pet.*
(4) L. *Si pupillus* ff. *de novationibus.*

Digitized by Google

jam contractu, quum sol certò oriturus sit. Conditio de futuro contingenti: v: g: de navis appulsu ad littus, vim contractus suspendit, donec res evenerit: non licet tamen ante tempus conditionis implendæ a contractu resilire, nisi in specialibus quibusdam casibus. Sic qui cum mercatore init contractum, ut certo pretio comparet frumenti copiam quam navi deferendam expectat, tenetur ad illam, navi adveniente, eo pretio sumendam: nec poterit contractum rescindere ante tempus definitum.

17. Conditio impossibilis de præsenti, præterito, vel futuro, irritat contractum; indicium enim est deesse consensum. Sic si quis alteri polliceatur pecuniam, dummodo per aerem volet, ludere, haud contrahere, merito censetur. Conditio turpis de futuro obstat ne valeat contractus, nemo enim ad iniquum aliquid potest se obligare: quapropter qui pollicitus est alteri centum nummos, si hominem occiderit, debet quantocyus revocare promissionem; nec tenebitur ad solvendum nummos, si, post revocationem, alter homicidium patraverit. Quod si quis rem fecerit turpem ob mercedem promissam, plerique censent theologi mercedem reddendam, quia onere impleto, licet per flagitium, merces ex justitia debetur. Sic meretrici pecunia promissa stricto jure debita censetur.[1] Cæterum jure communi "ex turpi contractu actio non oritur."[2] Ita et jus civile: "generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti."[3] "Ob turpem causam ex stipulatione contra bonos mores interposita denegandas esse actiones."[4] Tamen legimus alibi: "sed et quod meretrici datur, repeti non potest: quia licet turpiter faciat quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit cum sit meretrix."[5] S. Thomas ait: "Aliquis illicite dat: quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita: sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Unde et mulier potest sibi retinere quod ei datum est. Sed si superflue aliquid per fraudem vel dolum extorsisset, tenetur eidem restituere."[6] Contradicit tamen Gerdil.[7]

(1) Consentit Jeremias Taylor, *Ductor Dubitantium*, l. ii. c. i. Rule viii.

(2) "No person, even so far back as the feudal ages, was permitted by law to stipulate for iniquity." *Kent's Comm.* vol. ii. part v. lec. xxxix. n. 466.

(3) L. *general.* ff. *de verb. signif.* (4) L. *Merced.* c. *de condict.*

(5) L. xliv. ff. *de condit. ob turp. caus.*

(6) S. Thomas, 2. 2. qu. lxii. art. v. *Ad secundum.* Vide et Paley, *Moral Philosophy*, l. 2. c. v.

(7) Compendium Instit. civ. L. iii. *de verborum obligationibus.*

Digitized by Google

18. De matrimoniali contractu tenendum est conditiones impossibiles et turpes contractui matrimonii adjectas, debere propter ejus favorem pro non adjectis haberi, ac proinde non irritare contractum matrimonii: exceptis iis quæ sunt contra substantiam conjugii. Hinc si duo inter se contrahere consentiant, adjecta conditione prolem impediendi, matrimonium non valet, quia repugnat matrimonii substantiæ.[1] De dispositionibus ultimæ voluntatis, quæ testamento exprimuntur, idem statuitur; nulla scilicet habenda est ratio turpis conditionis vel impossibilis appositæ.[2] Si quis leget alicui pecuniam, vel agros, ea conditione ut hæresim profiteatur, vel filios hæresi imbuat, legatum valebit, licet impiam illam conditionem implere negligat.

19. Contractus ad diem certum statim parit obligationem, implendam tamen die illo adveniente. Si dies fuerit incertus: v: g: quando nupseris, habetur tamquam conditionalis.

20. Contractus sub modo valet etsi modus non servetur, nisi expresse dicatur nullam obtenturus vim, modo neglecto.[3] Hinc legatum annuum alicui factum, ut pauperibus subveniatur, solvendum est, licet munus illud charitatis non impleatur: sed insistendum erit juris remediis ut fiat.[4]

(1) Cap. ult. *de conditionibus.*

(2) L. v. et vi. *de condit. instit.* et. §. *impossibilis, instit. de hær. inst.*

(3) L. *Mev.* ff. *de manum. test.*

(4) "Though an estate be conveyed, it passes to the grantee subject to the condition, and laches are chargeable upon the grantee, even though such grantee, or his assignee, be an infant or feme covert, for non performance of a condition annexed to the testate." *Kent's Comm.* vol. iv. part vi. lec. lvii. n. 126.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE CONTRACTIBUS GRATIOSIS.

21. *Promissio* gratuita definitur deliberata et spontanea fidei obligatio facta alteri eam acceptanti de re bona et possibili. Deliberata sit obligatio necesse est, si enim leviter et temere ex errore circa substantiam, vel causam finalem, quis fidem obligaverit, ea non tenebitur. Si quis pecuniam pollicitus sit ad ædificandam ecclesiam, putans eam Catholico cultui dicandam, promissione non tenetur, si domus sectæ alicui inservitura sit. Spontanea quoque debet esse promissio, nam "obligatio qua quis obligatur homini cui aliquid promittit, tollitur per coactionem:"[1] non ita tamen ut nemine suadente, vel rogante, fiat, dummodo libertas voluntatis plena maneat. Qui ficto animo promittit, non tenetur ad rem implendam, juxta theologos; debet tamen damnum, si quod ortum sit, reparare.[2] Fides obligata censenda non est quoties quis se aliquid alteri daturum dicit; propositum enim simplex verbis hujusmodi aliquando enuntiatur; sed animus se obligandi ad promissionem requiritur. Quum nemo ad peccatum, vel ad impossibile teneatur, promissio non ligat quæ rem malam, vel moraliter impossibilem respicit:[3] "quia promittendo peccavit, mutando autem propositum bene facit."[4] Nec juramentum promissionem hujusmodi firmat, quum non sit vinculum iniquitatis. Ante acceptationem semper revocari potest promissio, salva saltem justitia.[5]

22. De gravi vel levi obligatione quæ promissionem sequitur, non conveniunt theologi: sunt enim qui quamlibet promissionem de re

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxxix. a. 7, *ad tertium*.

(2) Placet illud Paley: "the promise is to be performed in that sense in which the promiser apprehended at the time that the promisee received it." *Moral Phil.* l. ii. c. 5.

(3) Cap. ult. *de pactis*. Cap. *Nemo potest*. De reg. juris in 6. Ita et Paley loc. cit.

(4) S. Thom. 2. 2. qu. cx. art. iii. *ad quartum*.

(5) L. i. ff. *de pollicit*. "Where the promise is beneficial, if notice be given, acceptance may be presumed." Paley, *Moral Philosophy*, l. ii. c. 50.

Digitized by Google

gravi ex justitia obligare sub peccato lethali putant; alii levem tantum culpam promissionis violationi inesse plerumque censent, quum fidelitas, non autem justitia, violari videatur: alii gravem vel levem agnoscunt culpam pro animo promittentis, qui graviter, vel leviter, se voluit obligare. Jus Anglicum, quod et his in regionibus obtinet, nullam vim tribuit promissioni verbo tantum factæ,[1] vel prorsus gratuitæ, quæ scilicet nulla æqua causa nititur, vel opera præstita, vel generis propinquitate, vel alia gravi ratione.[2] Nobis pleræque promissiones gravem obligationem haud inducere videntur, quum vix adsit animus eam contrahendi: quod si quis serio et graviter præstiterit fidem de re aliqua donanda, (quod plerumque fit gravem ob causam,) eum graviter obligari censemus. Sic gravis est obligatio solvendi donum quingentorum nummorum quod quis pollicitus est in Ecclesiæ erectionem, præsertim si fuerit hujusmodi promissio causa cur aliquis æs alienum contraxerit. Non ita censemus de promissione jactando facta, cui alter non admodum fidit. Si fiat promissio stipulatione, certa scilicet verborum formula: (v: g: spondes te mihi centum nummos daturum; spondeo), gravis plerumque inde oritur obligatio. Cæterum materia gravis in promissione non eadem censetur ac in furto, sed quadruplo major, nonnullorum sententia.

23. Promissiones contra bonos mores per se nullæ sunt, quamvis impleto onere ex altera parte, videantur obligare. Jure civili irritæ declarantur promissiones quæ bono repugnant publico. Sic si quis promiserit se testamentum haud facturum, vel nullum instituturum hæredem nisi talem, promissio est irrita.[3] Jure canonico irrita est promissio beneficii nondum vacantis.[4] Cessat promissionis obligatio, si alter juri suo cedat, vel si rerum fiat notabilis mutatio, quæ si prævisa fuisset, promissio non fuisset facta. Sic si quis opibus abundans promiserit se suo ære ædificaturum ecclesiam, vix tenebitur, si subita rerum mutatione ad eam conditionem devenerit, in qua absque aliquo sui discrimine impensas adeo graves haud valet tolerare. "Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit," inquit S. Thomas,

(1) "A parol promise to pay money as a gift is not binding, and the party may revoke his promise." *Kent's Comm.* vol. ii. part. v. lec. xxxviii. n. 439.

(2) "A valuable consideration is one that is either a benefit to the party promising, or some trouble or prejudice to the party to whom the promise is made. Any damage, or suspension, or forbearance of a right, will be sufficient to sustain a promise. Ibidem, lec. xxxix. n. 465.

(3) L. *Pacta*, cod. *de pact.* (4) Conc. Lat. iii. c. viii.

Digitized by Google

"requiritur quod omnia immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo: quia promisit quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus. Nec etiam est infidelis non implendo quod promisit: quia eædem conditiones non extant. Unde et Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quo se iturum esse promiserat: ut dicitur II. ad Corinth. 1. Et hoc propter impedimenta quæ supervenerunt."[1]

24. *Donatio gratuita* dicitur rei aut juris alicujus gratuita concessio. Debet esse deliberata, spontanea, et acceptata. Dicitur *realis* quando res ipsa traditur; prout exigit jus Anglicum:[2] *verbalis* quando res postea tradenda dono datur. Ex illa jus in re oritur: ex hac jus ad rem. Pure liberalis est, si donans nullo prorsus titulo, ne gratitudinis quidem, ligatus fuerit: remunerationis loco est, si alter de donante bene sit meritus. Donatio inter vivos vocatur, quando etiam donatore vivente, res donatarii fit: donatio *mortis causa* nonnisi post donatoris mortem rem ad alterum transfert. Vetat jus civile ne conjuges donationes gratuitas sibi invicem faciant, quum sic facile suis se spoliarent bonis cum filiorum damno, vel alias nimio affectu bona temere transferrent: firmantur tamen juramento hujusmodi donationes, vel donatoris morte, dummodo non obstent filiorum portionibus.[3] Apud nos fieri possunt contractuum instar certis adhibitis solemnitatibus, et salvis creditorum priorum juribus. Sic vir potest aliquibus tradere sua bona in uxoris usum, æquam ob causam; et mulier si seorsum interrogata se libere agere declaret, potest viro sua bona donare.[4] Donatio patris in filium nondum emancipatum potest ad arbitrium patris revocari:[5] nisi fuerit juramento firmata. Vim etiam obtinet patre moriente. Tutores et curatores a pupillis donationes accipere nequeunt. Donatio omnium bonorum præsentium et futurorum a jure civili reprobatur.[6]

(1) 2. 2. qu. cx. art. iii. *ad quintum.*

(2) "The necessity of delivery has been maintained in every period of the English law." *Kent's Comm.* vol. ii. part v. lec. xxxviii. 1. "If the thing be not capable of actual delivery, there must be some act equivalent to it. The donor must part, not only with the possession, but with the dominion of his property." Ibidem, n. 439.

(3) L. *cum hic status* ff. *donat. inter vir. et uxor.* L. ii. ff. *de inoff. donat.*

(4) *Kent's Comm.* vol. ii. part iv. lec. xxviii. n. 166, 167.

(5) L. i. cod. *de inoff. donat.*

(6) *Stipulatio* ff. *hoc modo*; de *verb. oblig.*

Digitized by Google

25. Donatio quæcumque ante acceptationem revocari potest: si autem acceptata fuerit, donatio inter vivos revocari nequit, nisi ob tres causas; scilicet, *ob ingratitudinem donatarii*, si donatorem graviter lædat, vel inopia laborantem non alat; *ob prolem postea susceptam;* vel *eo quod sit inofficiosa*, et privet filios parte *legitima*, quæ nempe lege debetur, hæreditatis.[1] Donatio mortis causa ante mortem revocari semper valet. Ab eo qui solvendo non est donatio facta in creditorum fraudem non valet: qui autem bona fide accepit donum haud magni momenti, antequam judicis auctoritate donator declaratus sit impar solvendo, non videtur ad restituendum teneri. Jus nostrum non eas admittit revocationis causas quæ jure cæsareo traduntur, sed irritas habent donationes in creditorum fraudem.[2] Donationes verò causa mortis jure cæsareo prorsus reguntur, si testium numerum exceperis, nec enim quinque jure nostro exiguntur.[3]

(1) L. viii. cod. *de revoc. donat.* l. i. cod. *de inoff. donat.*

(2) "When the gift is perfect, by delivery and acceptance, it is then irrevocable, unless it be prejudicial to creditors, or the donor was under a legal incapacity, or was circumvented by fraud." *Kent's Comm.* vol. ii. part v. lec. xxxviii. n. 440.

(3) "The English law on the subject of this species of gift is derived wholly from the civil law."—"By the civil law they were reduced to the similitude of legacies, and made liable to debts, and to pass for nothing, and to be returned, if the donor returned, or revoked the gift, or if the donee died first." *Ibidem*, n. 445.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE TESTAMENTO.

26. "*Testamentum* est voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit." Ita Modestinus in jure cæsareo.[1] Hæredis institutio jure illo adeo erat necessaria, ut ea omissa nullum haberetur testamentum.[2] *Olographum* testamentum illud est quod totum propria testatoris manu descriptum est: *solemne* testamentum est quod ritu a lege præscripto confectum est: scripto plerumque fit: *Nuncupativum* dicitur testamentum verbis tantum prolatum. *Privilegiatum* est quod ex legis favore valet, consuetis solemnitatibus omissis. Sic nautis aliisque in mari versantibus, et militibus stipendia facientibus concedunt leges pleræque privilegium disponendi de rebus mobilibus absque consueta solemnitate.[3]

27. *Codicillus* vocatur ultimæ voluntatis dispositio, qua circa testamentum aliquid explicatur, aut addendo, vel demendo, immutatur. *Legatum* est ultimæ voluntatis dispositio, qua donum ab hæreditate demptum alicui relinquitur. Si legatum sit universale, *falcidia* lex (a Falcidio tribuno plebis dicta,) jubet ut hæres præter legitimam suam portionem quartam hæreditatis partem sibi sumat. Apud nos id non obtinet, sed fisco *taxæ* nomine plerumque cedit pars quædam legati, si testator prolem haud reliquerit.

28. *Fideicommissum* est ultimæ voluntatis dispositio qua testator fidei alicujus aliquid committit, v: g: agros, quorum fructus in usum quendam impendat.[4] Si fideicommissum sit universale, jure cæsareo licet hæredi fiduciario quartam partem hæreditatis, (quæ *Trebellianica* a Trebellio consule dicitur) sibi sumere. Non id locum habet

(1) Dig. xxviii. 1. 1. (2) §. *Ante hæred.* instit. *de legat.*

(3) Vide *Purdonis digestum* tit. *Wills*, et *Revised Statutes of New York*, vol. ii. 60. sec. 22. Ibid. 63. sec. 40.

(1) "*Uses* and *trusts* are in their original of a nature very similar, or rather exactly the same.... The *fideicommissum*, which usually was created by will, was the disposal of an inheritance to one, in confidence that he should convey it or dispose of the profits at the will of another." Blackstone's Comm. l. ii. n. 328. Vide et Kent's Comm. vol. iv. part vi. lec. lxi. n. 302.

Digitized by Google

jure nostro; sed fideicommissarii pro labore mercedem a curia ex testatoris bonis aliquando recipiunt.

29. *Olographum* testamentum a testatore subscriptum loco et tempore designatis, nihilo interscripto aliena manu, jure civili valet absque testium subscriptione.[1] Ita lege provinciæ Louisianæ statutum est. In Virginia etiam valet.[2] Testamentum *solemne* jure civili septem exigit testes mares, puberes, et capaces ad recipiendum ex testamento, cui etiam subscribere debent.[3] Ad testamentum ad pias causas sufficiunt duo testes, quibus etiam deficientibus, si constet de testatoris voluntate, valet in foro interno, quum illi ad probandum tantum requirahtur.[4] Ad codicillum quemcumque sufficiunt quinque testes etiam non rogati.[5]

30. Legibus Americanis plerisque exigitur ut testamentum de bonis immobilibus scripto fiat, et a testatore subscribatur, vel ab eo suum esse agnoscatur coram duobus saltem testibus, qui et subscribant.[6] Tres testes in nonnullis provinciis exiguntur. In provincia Viridismontis sigillo illud muniatur necesse est. In Pennsylvania si testes nulli adhibeantur, vel præsto non sint, probari potest testamentum aliorum, qui testatoris scripturam norunt, testimonio.[7]

31. *Nuncupativum* testamentum quod scilicet ore testatoris absque scripto fit, valet, juxta leges Neo-Eboracenas, et Novæ Jersææ, si fiat a nautis vel militibus; juxta aliarum quarumdam provinciarum leges, valet a quocumque factum, etiam de bonis immobilibus, servatis quibusdam conditionibus. Quod apud Anglos vocatur de fraudibus statutum, 29. Caroli II. anno latum, lege Pennsylvaniæ

(1) Novella ii. de Testamento. "The law of Louisiana, in respect to last wills is peculiar. Wills, under the code of that state, are of three kinds; nuncupative or open, mystic or sealed, and olographic. They are all to be in writing. . . The third, or olographic testament, is one entirely written, and signed by the testator, and subject to no other form, and may be made out of the state." *Kent's Comm.* vol. iv. part vi. lec. lxviii. 520.

(2) "In Virginia two subscribing witnesses do not seem to be indispensable, provided the will has been wholly written out, and signed by the testator." Ibidem, n. 514.

(3) L. *Hac consultissima*, de test. (4) C. *Relatum*, de test.

(5) L. fin. §. fin. cod. *de Test.*

(6) Kent's Comm. vol. iv. part vi. lec. lxviii. iv. n. 514.

(7) "In Pennsylvania, a devise of lands in writing will be good, without any subscribing witnesses, provided the authenticity of it can be proved by two witnesses; and if the will be subscribed by witness, proof of it may be made by others." Ibidem.

Digitized by Google

etiam sancitum est,[1] ut scilicet a duobus quos rogavit testator suæ voluntatis testes fore, probetur, dummodo factum sit tempore ultimi morbi, et in sua domo, aut in alia in qua per decem dies antequam testamentum illud fecerit, moratus fuerit, aut in qua ipse morbo correptus fuerit, adeo ut ad suum domicilium reverti non posset. Hoc autem tantum valet de rebus mobilibus, quæ *personales* legibus nostris designantur.[2]

32. In Louisiana *nuncupativum*, seu apertum vocatur, quod coram notario fit, tribus vel quinque adstantibus testibus, qui et subscribunt, testatore pariter subscribente. *Mysticum* dicitur quod a testatore jam subscriptum et obsignatum, notario coram septem testibus exhibetur tamquam ejus testamentum, cui sua nomina inscribunt.

33. "Ambulatoria est testantis voluntas usque ad extremum vitæ spiritum:"[3] idcirco revocari potest, vel mutari testamentum, quamdiu testator inter vivos est. Testamentum posterius factum revocare censetur prius testamentum quoad bona mobilia, quæ propterea executori, tamquam fideicommissario, a lege traduntur, nisi de iis in posteriori testamento aliter dispositum fuerit. De bonis immobilibus valet posterior dispositio, quæ tamen adjunctum habere debet expressam prioris testamenti revocationem. Cæterum jure communi posterius testamentum revocat prius quoad omnia de quibus aliter disponit.[4] Quæ acquiruntur post testamentum factum bona immobilia jure communi non transeunt ad legatarium generalem, sed ad hæredes legitimos: attamen speciali Pennsylvaniæ lege testamenti dispositio generalis ea etiam complectitur, quoties de testatoris mente constat.[5]

34. Executor testamenti, qui scilicet illud executioni demandet, designandus est. Leges Ecclesiæ non vetant clericum ad hoc mu-

(1) "The regulations in the several states differ in some unessential points; but generally they have adopted the directions given by the English statute of frauds, of 29 Charles II." Kent's Comm. vol. iv. n. 514.

(2) Vide Purdonis digestum, art. *Wills*.

(3) L. iv. ff. *de adimendis*.

(4) "A second will is a revocation of a former one, provided it contain words expressly revoking it, or makes a different and incompatible disposition of the property. Unless it be found to have contained one or the other, it is no revocation of a former will." *Kent's Comm.* vol. iv. part vi. lec. lxviii. n. 528.

(5) "The real estate acquired by a testator after making his will, shall pass by a general devise, unless a contrary intention be manifest on the face of the will." Act of 8th April, 1833, §. x.

Digitized by Google

neris designari: sed *fratres minores* ab eo retrahuntur instituto suo speciali.[1] Si nullus executor testamento designatus sit, hæres jure civili id exequitur;[2] lege autem Anglica et Americana designatur a curia administrator, *cum testamento annexo*, qui scilicet debet munere suo fungi juxta testamenti conditiones. Administrator simpliciter designatur, quando quis absque testamento decesserit. *Inventarium* omnium bonorum debet quamprimum facere tum executor, tum administrator. Debita solvenda sunt, ordine quem præscribunt leges servato.

35. In testamentis interpretandis testatoris mens præsertim attendenda est, quæ tamen legi subest: nihil enim potest privatus quisquam contra leges.[3] Sunt etiam certæ juris regulæ in iis interpretandis adhibitæ a quibus non facile recedendum est.

36. Nequeunt testamentum conficere amentes, aut furiosi, nisi lucida habeant intervalla, in quibus si testamentum fecerint, jure civili valet.[4] Impuberes nequeunt testamentum facere.[5] Mutus et surdus a nativitate testandi jure carent:[6] mancipia pariter:[7] capitis damnati:[8] prodigi.[9] Filiusfamilias de bonis adventitiis disponere non valet, etiam ex patris consensu; de bonis castrensibus, absque eo, disponit, si sit pubes.[19] Hæc ex jure civili deprompta sunt. Jure communi puberes de mobilibus possunt disponere testamento; non ita de immobilibus. Lege Neo-Eboracena octodecim annos nati de mobilibus disponunt testamento: lege Pennsylvaniæ viginti et unum annos explevisse oportet.[11] Amentes autem jure ipso naturali a testando excluduntur: mancipia sua conditione et gentium jure com-

(1) Clem. *Exivi* §. *Utrum etiam.* (2) Cap. Si hæredes; *de test.*

(3) "The intention of the testator, to be collected from the whole will, is to govern, provided it be not unlawful, or inconsistent with the rules of law." *Kent's Comm.* vol. iv. part vi. lec. lxviii. n. 536.

(4) §. i. Inst. *quibus non est perm. fac. test.*

(5) L. *qua ætate* ff. *qui test. fac. poss.*

(6) L. x. Cod. *qui test. fac. poss.* (7) L. *filiusfamilias* ff. *de test.*

(8) L. viii. eodem tit. (9) L. Item prodigus, *de test.*

(10) L. *qui non potest*, de test. L. fin. ff. eodem.

(11) "Testament of chattels may be made by infants of the age of fourteen, if males, and twelve, if females. This is the English rule. The laws of the several states are not uniform on this point, and by the *New York Revised Statutes*, the age to make a will of personal estate is raised up to eighteen in males, and sixteen in females." Kent. vol. iv. n. 506. Vide et Purdonis digestum, art. *Wills.*

Digitized by Google

muni. Capitis damnati in his provinciis bona sua non amittunt, ideoque de iis testamento disponere valent; prodigi etiam testandi habent facultatem, licet bonorum administratio iis subducta, et alteri commissa fuerit. Alienigenæ plerumque bona immobilia comparare, vel testamento legare nequeunt: leges tamen plerisque in provinciis fœderatis eam faciunt facultatem iis qui juramento probaverint animum in iis commorandi semper, et quæ ad civitatis privilegia acquirenda necessaria sunt facere cœperint: imo alicubi alienigenis plena datur facultas, nulla apposita conditione.[1] Fœminæ conjugatæ testari nequeunt, nisi bona habeant a mariti potestate penitus libera; vel sibi reservaverint jus de suis bonis disponendi, pacto ante nuptias inito.[2]

37. Utrum testamento invalido formæ defectu quis uti possit, vel eo teneatur, gravis est controversia. Qui putant totam testandi potestatem ex legibus derivari, contendunt testatoris voluntatem nullum prorsus jus tribuere, quoties quæ a lege præscribuntur accurate non servantur.[3] Cæterum jus testandi adeo consonum est rerum divisioni, quæ legibus civilibus prior est, ut illud ab his non adeo pendere censeamus, quamvis obtineant vim in foro, uti aiunt, externo. In re dubia, possessori favendum, post S. Alphonsum, jam diximus, adeo ut qui rem sibi certò legatam habet, absque legis adminiculo, ad eam hæredi tradendam non teneatur; nec e contra teneatur hæres ad solvenda legata quæ testamento invalido continentur. Pia tamen legata necessariò solvenda sunt, quum ita exigat Religionis studium, et lex Ecclesiæ.[4]

(1) "In Louisiana, Pennsylvania, Maryland, Illinois, and Ohio, the disability of aliens to take, hold, and transmit real property, seems to be entirely removed." *Kent's Comm.* vol. ii. p, iv. lec. xxv. n. 70.

(2) "The wife may dispose by will, or by act in her lifetime, of her separate personal estate, settled upon her, or held in trust for her, or the savings of her real estate given to her separate use. *Ibidem*, lec. xxviii. n. 171. "Equity will carry into effect the will of a feme covert, disposing of her real estate in favour of her husband or other persons than her heirs at law, provided the will be in pursuance of a power reserved to her in and by the antenuptial agreement with her husband." Ib. n. 172.

(3) "The devisee under the Will, who, by concealing this flaw in it, keeps possession of the estate, is in the situation of any other person, who avails himself of his neighbour's ignorance to detain from him his property." Paley, *Moral Philosophy*, l. iii. c. 23.

(4) Vide Laymann, l. iii. de just. tract. v. c. ii. n. 3. cor. ii.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE DEPOSITO, MANDATO, ETC.

38. *Depositum* est contractus quo res custodienda traditur alteri, ab eoque suscipitur, ut reddatur eadem.[1] *Sequestrum* est contractus quo res de qua est controversia alteri tertio custodienda traditur, ut postea reddatur cum fructibus ei cui adjudicabitur. Depositarius tenetur eam curam adhibere in re custodienda quam homines diligentes in suis rebus similibus adhibere solent.[2] Uti nequit re deposita,[3] nisi præsumatur domini consensus. Hunc adesse jure meritoque præsumitur, si res alioquin deterior futura sit. Sic licet aliquando equo vehi apud se deposito, ne diutius in stabulo manentis pedes tumeant. E contra uti non licet pecunia deposita, nisi certus omnino sit se aliam pecuniam habiturum quando ea fuerit deponenti opus. Suscipi cura depositi censetur ab aurigis, nautis, stabulariis, aliisque ex officio obligatis ad res custodiendas, quoties ipsis videntibus res in domo, curru, vel navi deponitur.[4] Reddendum est depositum domino petenti: excusatur tamen qui reddere differt domino eo abusuro: v: g: pecuniam ei qui eam ebrius insumpturus est.

39. Si depositum pereat ex culpa lata et dolo depositarii, ea scilicet neglecta rei cura quam homines ejusdem conditionis plerumque adhibent, ipse ad damnum reparandum tenebitur:[5] imo ex leviori culpa, si mercedem curæ recipiat; non autem ex levissima, seu ex omissione illius curæ quam homines diligentissimi tantum adhibent.

(1) In adnotationibus in Blackstonii commentaria legitur: "*Depositum* or deposits, where the property bailed is to be kept by the bailee, for no particular purpose, without recompense." Note 23. in l. ii. n. 451.

(2) L. xxxii. ff. *depos.* (3) L. iii. Cod. *depos.*

(4) L. i. ff. *nautæ.* Vide et Blackston. l. ii. n. 451. cum adnotationibus.

(5) Paulo aliter Blackstonius: "The law seems to be settled that a general bailment will not charge the bailee with any loss, unless it happens by gross neglect, which is an evidence of fraud: but if he undertakes specially to keep the goods safely and securely, he is bound to take the same care of them, as a prudent man would of his own." Blackstone, l. ii. n. 452. Vide et Kentium, vol. ii. n. 560.

Digitized by Google

40. Hæc quidem de contractibus generatim tradunt plures theologi: si in solius dantis vergant utilitatem, recipiens non tenetur nisi ex culpa lata, vel dolo: si in utriusque utilitatem tendant, tenetur ex culpa levi, seu ea omissa cura quam diligentiores adhibent: si in recipientis tantum commodum fiant, tenetur ex culpa etiam levissima.[1] Ex quasi contractu quis ad restituendum obligatur de culpa lata et dolo, etsi mercedem non recipiat; de culpa levi si receperit mercedem; non autem de levissima, nisi rei natura summam exigat diligentiam, vel eam se adhibiturum sancte pollicitus sit. Sunt tamen insignes theologi qui docent restituendi obligationem gravem nonnisi ex culpa gravi theologica oriri.

41. De casu fortuito plerumque depositarius non tenetur: si autem depositum reddere distulerit culpa sua, et forte aliqua pereat, meritò damnum ipse subibit.

42. *Commodatum* dicitur contractus quo res ad solum usum gratuito conceditur usque ad determinatum tempus, ante quod repeti non potest.[2] *Precarium* autem dicitur quando rei usus conceditur ad nutum concedentis revocabilis. Commodans tenetur rei vitium, si periculosum sit, aperire: nec potest rem repetere ante tempus statutum, nisi gravis supervenerit causa. Alter re uti non debet nisi ad usum sibi concessum.[3] Hinc si quis equum commodatum acceperit quo vehatur, nequit eum plaustro ducendo submittere; et tenetur de damno, si quid provenerit. Tenetur rem commodatam ea cura servare qua homines diligentissimi solent. Tenetur etiam eam tempore statuto reddere, et damnum ex culpabili mora proveniens resarcire: sed si absque culpa reddere distulerit, de damno haud teneri videtur. Tenetur ad impensas modicas et necessarias ad rei commodatæ conservationem: v: g: ad pabulum equi, non autem ad magnas: v: g: ad curationem equi cum magno pretio. "Cum gratia sua tantum," ait Gregorius IX., "quis commodatum accepit, de levissima etiam causa tenetur."[4] Non autem tenetur de casu fortuito, nisi aut pactum speciale, aut mora culpabilis præcesserit, vel res perierit dum ipse ea ad usum non concessum uteretur. Quod si

(1) Inst. l. iii. tit. xv. §. 3. c. unic. *de commod.*

(2) "More care is due from the bailee in this species of bailment . . . because he is the only party benefited, and he is liable if the property be stolen." Blackston. l. ii n. 451. Note.

(3) Inst. De oblig. quæ ex delicto.

(4) Cap. unic. *de commod.*

Digitized by Google

precarium fuerit, recipiens nonnisi de dolo et culpa lata restituere tenetur.

43. *Mandatum* dicitur obligatio aliquid agendi in alterius commodum gratis suscepta:[1] quæ ob pretium suscipitur, *locatio operæ* vocatur. "Mandatum nisi gratuitum nullum est, nam originem ex officio vel amicitia trahit; interveniente enim pecunia ad locationem et conductionem potius respicit."[2] Mandans tenetur præbere necessaria ad mandati executionem, et solvere sumptus.[3] Ratum quoque habere debet quod suo nomine prudenter gestum est. Qui mandatum accepit, seu Procurator, debet susceptum negotium diligenter implere: quod si id neglexerit, vel male peregerit, tenebitur ad damna reparanda quæ mandanti obvenerint.[4] Nequit mandati fines, "qui diligenter custodiendi sunt"[5] transire. Qui sine mandato res absentis utiliter gerit, mandatario æquiparatur:[6] absens verò laborem, impensas, et damna illius debet compensare.[7] Ex culpa lata et dolo tenetur mandatarius, seu negotiorum gestor, si gratis egerit; ex levi, si accepta mercede. Cæterum sunt inter theologos qui nonnisi ex culpa mortali theologica obligationem restituendi in mandatario, sicut et in depositario, cæterisque hujusmodi agnoscunt.[8]

44. *Locatio* est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio conceditur: *conductio* est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio comparatur: idem quippe contractus utroque nomine pro contrahentium diversitate vocatur. Locator non debet pretium justo majus exigere: justum autem habetur pretium, quod, habita ratione adjunctorum, et

(1) "*Mandatum* is where the bailee undertakes to do something to, or simply carry the bailment, without recompense." Not. ad Blackston. l, ii. n. 451.

(2) L. i. ff. *mandati*. "This species of bailment comprehends all those cases in which the bailee undertakes to execute work for a sum of money." Not. ad Blackst. *ubi supra*.

(3) C. vi. *de procur*.

(4) L. xxi. cod *mand*.

(5) L. v. ff. *mandati*.

(6) L. xx. cod. *de negot. gest*.

(7) L. ii. ff. *de negot. gest*.

(8) "What is trusted to an agent may be lost or damaged in his hands by misfortune. An agent who acts without pay is not answerable for the loss; for if he gave his labor for nothing, it cannot be presumed, that he gave also security for the success of it. If the agent be hired to the business, the question will depend upon the apprehension of the parties at the time of making the contract; which apprehension of theirs must be collected chiefly from custom, by which probably it was guided." Paley *Moral Phil.* l. ii. c. 12.

Digitized by Google

consuetudinis, rei vel personæ par videtur. Vitium rei quod conductori forsan noceat, debet detegere; alioquin ad damna tenebitur.[1] Tenetur impensas in rei reparationem, v: g: domus restaurationem, necessario factas solvere:[2] item debet onera publica quibus res locata subjacet, subire, nisi aliter inter eos convenerit.[3] Jure cæsareo tenetur etiam minuere, vel remittere pensionem annuam, si ex casu fortuito; v: g: hostium invasione, sterilitate, etc., conductor nullum, aut modicum fructum ex re anno quodam percipiat;[4] "nisi ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari,"[5] vel aliter ab initio convenerit.[6] Jure communi, si pactum speciale sit de solvenda certa quadam pecunia quotannis tamquam pensione, conductor tenebitur eam solvere, etsi fulgur, tempestas, aut incursus hostilis obstiterit, ne rem locatam tranquille possideret.[7] *Locator* nequit rem suam ante tempus statutum repetere. Excipiuntur tamen quatuor casus:[8] 1. Si conductor statuto tempore pensionem non solverit in locato trium aut quatuor annorum; et per biennium omiserit solvere in locato quinque aut decem annorum. 2. Si casus improvisus, v: g: incendium accidat, ob quem res locata domino sit ad suos usus necessaria. 3. Si conductor re locata valde abutatur. 4. Si domus locata egeat refectione, qua non indigebat tempore locationis. Hæ autem exceptiones legibus nostris non admittuntur. *Conductor* tenetur justum pretium persolvere; re locata nonnisi ad usum sibi concessum uti:[9] pensionem statuto tempore solvere, quapropter tenetur locatori de

(1) L. xix. ff. *locati.*
(2) L. lv. ff. *locati.*
(3) L. i. cod. *de annonis et tributis.*
(4) L. xxvii ff. *locati.*
(5) C. iii. *de locato.*
(6) L. ix. *locati.*
(7) Vide Purdon's Digest. tit. *Rents and Replevins.* Notes. Dicit tamen Paley, l. ii. c. ix. "If by the irruption of the sea into a country where it was never known to have come before, by the change of a course of a river, the fall of a rock, the breaking out of a volcano, the bursting of a moss, the incursions of an enemy, or by a mortal contagion among the cattle; if by means like these an estate change or lose its value, the loss shall fall upon the owner; that is, the tenant shall either be discharged from his agreement, or be entitled to an abatement of rent."
(8) L. 3. cod. *de locato.*
(9) "If the horse be hired to take a morning's ride upon, and you go a hunting with him, or leap him over hedges, or put him in your cart, or carriage, and he be strained, or staked, or galled, or accidentally hurt, or drop down dead, whilst you are thus using him; you must make satisfaction to the owner." Paley, *Mor. Phil.* l. ii. c. ix.

Digitized by Google

damno, si distulerit culpa sua:[1] imo absque culpa usuram a die quo solvenda erat pensio, solvit jure nostro.[2] Tenetur rem, vel personam, non dimittere ante terminum constitutum, nisi integra pensione soluta, vel locatoris impetrato consensu. Tenetur ad modicas impensas necessarias ad conservationem rei conductæ. Eam tempore statuto debet locatori in bono statu reddere. Si tamen fulgure, fluctibus, procella, vel incursu hostili domus diruatur, pactum de ea remittenda in bono statu non eum obligat ad eam restaurandam. Si per tres menses post terminum elapsum in domo locata moretur, poterit ejici, juxta leges Pennsylvaniæ, auctoritate duorum quorumlibet magistratuum loci, postquam rem coram duodecim juratis civibus investigaverint. Idem dicendum si nullum certum tempus locationi fuerit adsignatum; poterit enim locator, si tribus mensibus ante anni terminum monuerit conductorem, eum e possessione ejicere ea quam explicavimus ratione. Hæc non requiritur monitio quando certus terminus fuit locationi appositus, eo enim impleto, novit conductor se debere rem dimittere. Conductor tenetur domino de culpa levi, non tantum sua, sed etiam famulorum, et aliorum quibus ipse ædium partem locavit.

(1) L. xvii. cod. *de locato.*
(2) Vide Purdon. Digest. art. *Rent and Replevin, Notes.*
(3) L. xxv. ff. *locati.*

Digitized by Google

CAPUT V.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

45. *Emptio* est pactio pretii dandi pro merce: *venditio* est pactio mercis dandæ pro pretio. Pecunia pretii nomine intelligitur, si enim merx pro merce detur, est *permutatio*. Merx rem omnem pretio æstimabilem complectitur. Venditio solo partium consensu perficitur, quamvis ultimum suum complementum traditione accipiat: res autem fictione juris habetur tradita, si numero, pondere et mensura constans, fuerit coram emptore numerata, ponderata, et metata.

46. Omnes fructus rei venditæ et traditæ spectant ad emptorem. Ipsi "fructus pendentes pars fundi videntur,"[1] ideoque ad emptorem pertinent, nisi aliter convenerit inter contrahentes. "Post perfectam venditionem fœtus quidem pecorum emptori, venditori verò sumptus, si quos bona fide fecerit, restitui debere notissimum est."[2] Controvertitur quidem inter theologos utrum fructus rei venditæ et traditæ ad emptorem spectent, si ipse pretium distulerit culpa sua solvere: cæterum his in provinciis vix dubitationi erit locus, quum plerumque perfecta venditione, et re tradita, pretium tantum cum usura lege permissa, juxta contrahentium conventionem, venditor sibi vindicet. Mens igitur eorum est indaganda ex pactis ipsis, et consuetudine.

47. Periculum rei venditæ et traditæ ad emptorem spectat, quum ipse verò sit ejus dominus. Quando res determinata in *specie*, seu *individuo* venditur: v: g: hic equus, hæc domus; periculum ejus etiam ante traditionem, ad emptorem spectat jure Romano: "Cum emptio et venditio contracta sit (quod effici diximus simul atque de pretio convenerit, cum sine scriptura res agitur) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit."[3] Sed si ex dolo, vel culpa levi venditoris res pereat, ipse damnum subire debet; quia in ea custodienda donec tradatur

(1) L. xliv. ff. *de rei vindic.* (2) L. xvi. cod. *de act. empti.*
(3) L. iii. tit. xxiv. §. 3. Inst. *de peric. et commod. rei venditæ.*

Digitized by Google

"exactiorem præstare debet diligentiam, quam in rebus suis faceret."[1] Venditoris etiam periculum fit, si ipse culpa sua rem tradere distulerit, quia "mora sua cuilibet est nociva."[2] Quando res aliqua *ad corpus*, ut aiunt, emitur, scilicet acervatim absque mensura, periculum ejus ad emptorem transit, saltem si aliqua ratione tradatur: "Cum universum quod in horreis erat positum, veniisse sine mensura, et claves emptoribus traditas alleges: post perfectam venditionem, quod vino mutato accidit, ad emptorem pertinet."[3] Si res *ad mensuram* ematur, nec adhuc mensura acta sit, periculum ejus manet penes venditorem. Sic si dolium vini emeris, tot nummis pro qualibet mensura solvendis, periculum ejus non subis, donec te coram mensura agatur. Cæterum præmissa monitione venditor poterit dolium metari absente emptore.[4] In his provinciis periculum rei non videtur unquam transire ad emptorem, nisi ea aliqua ratione ei tradita. Ex mercatorum consuetudine omnia pendent.[5]

48. Justum dicitur mercium pretium quod omnibus rite perpensis earum valori respondet. Lege nonnumquam, vel publica auctoritate pretium determinatur, quod *legale* idcirco audit: *vulgare* est quod communi hominum æstimatione constituitur, spectatis omnibus adjunctis rerum et locorum, nempe copia vel inopia mercium, venditorum impensis, labore, damnis in comparandis et conservandis mercibus.[6] Legale pretium accurate servandum est; ideoque non licet aliquid, quantumvis minimum, ultra exigere, quum auctoritati justæ obtemperandum sit. Vulgare pretium latitudinem quamdam admittit, quum hominum varientur de ejusdem rei valore judicia: "Justum pretium rerum," inquit S. Thomas, "non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistit: ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere æqualitatem justitiæ."[7] *Summum* igitur, *medium*, et *infimum* pretia distinguuntur. Pro rei valore majore major est pretii latitudo: v : g : res quæ centum nummis medio pretio valet, potest summum habere pretium centum quinque

(1) L. iii. ff. eodem.
(2) L. xvii. ff. eodem.
(3) L. ii. cod. *de peric.*
(4) L. iv. ff. eod.
(5) "In justice, as well as in law, what is called the *custom of merchants* regulates the construction of mercantile concerns." Paley Mor. Phil. l. ii. c. 7.
(6) "When there exists no monopoly or combination, the market price is always a fair price, because it will always be proportionable to the use and scarcity of the article." Ibidem.
(7) 2. 2. qu. lxxvii. art. i. *Ad primum.*

Digitized by Google

aut centum decem, infimum nonaginta quinque aut nonaginta : res cujus medium pretium est decem, summum habebit undecim, aut duodecim, infimum novem, aut octo. Qui summum excesserit pretium vendendo, vel infra infimum emerit, injustitiæ reus est, et ad restituendum obligatur. Nec excusatur eo quod ita inter eos convenerit, nisi alteruter sciens prudensque suo renuntiaverit juri, nulla pressus necessitate : naturalis scilicet æquitas dictat ea tantum pacta valere, quæ libere ineuntur, rerum, de quibus agitur, rite intellecta ab utroque conditione. Qui vendidit rem pretio justo, sed infimo, nequit summum pretium sibi comparare, aliquid de pondere, vel mensura, occulte subtrahendo, nam fraus fieret injuriaque emptori : " Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura."[1]

49, Quinque præcipue recensentur causæ quibus rerum pretium augetur. 1. est *lucrum ex alienatione rei certo aut probabiliter cessans, aut damnum emergens*, aut etiam rationabilis affectus erga rem quæ venditur in gratiam alterius. " In tali casu justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem quæ venditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licite poterit aliquid vendi plus quam valeat, secundum se, quamvis non vendatur plus quam valeat habenti."[2] Sic merces quas in aliud tempus servare statuisti, majus pretium tunc certò, vel verosimiliter accepturus, si statim vendas ad alicui gratificandum, poteris compensationem quamdam accipere, pretium augendo : habenda tamen est ratio laboris et periculi in rebus servandis, et incertitudinis lucri majoris. 2. *est officium mercandi*, qui enim tempus suum impendit rebus conquirendis, comparandis, et servandis, debet moderatum saltem lucrum inde sibi comparare, quo se suosque sustentet, et tot satisfaciat impensis. 3. *labores, pericula, expensæ* in rebus comparandis et conservandis per tempus diuturnum, donec emptor ocurrerit. 4. *Copia emptorum, vel pecuniæ*, et *penuria mercium*. 5. *Modus vendendi in parva quantitate*, major, scilicet, exigitur cura, et majores fiunt impensæ in venditione hujusmodi.

50. Causæ minoris emendi quatuor enumerantur. 1. *Si res sit emptori parum utilis*, quam venditoris gratia tantum emit : 2. *Si pauci emptores reperiantur*. 3. *Si magna sit mercium copia*. 4. *Si emantur in magna quantitate, vel sub hasta publica, vel ultro oblatæ a venditore*. Justum pretium rerum quæ sub hasta, ut aiunt,

(1) Lev. xix. 35.

(2) 2. 2. qu. lxxvii. art. 1.

Digitized by Google

venduntur illud habetur, quod maximum est inter oblata a licitatoribus, seclusa fraude. Si fictus licitator justo majus pretium offerat, et sic alteri præbeat occasionem rem emendi pretio injusto, injuriam emptori facit, quam proinde resarcire tenebitur, excessum pretii compensando. Ipse Tullius dicit: "Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorem venditor, nec qui contra se liceatur, emptor opponet."[1] Sic etiam fraus fit si quis alios ab emendo arte vel precibus abducat. Vetera tribunalium Anglicorum judicia fraudi tribuerunt quod licitator fictus apponeretur, etiam ad justum pretium impetrandum;[2] sed nonnumquam definitum est id licere:[3] recentius tamen ad veterem regulam redierunt judices, quæ et Kentio, jurisperito Americano, probatur.[4] Attamen mos est iis qui res suas sub hasta vendendas exponunt, pretium definire, infra quod vendendæ non sunt; quapropter proxeneta illud aliquando enuntiat, vel res subtrahit, si licitator nullus illud offerat: quod quum omnibus notum sit, fraudi vix haberi poterit. Cæterum manifesta est injustitia licitatores fictos apponere quorum opera res pretio nimio veneat.

51. Affectus quem emptor erga rem gerit, vel utilitas quam ex ea est derivaturus, non est ex se justa causa cur pretium augeatur, quum mercis valorem non mutet. "Si aliquis multum juvatur ex re alterius, quam accepit; ille vero qui vendit, non damnificatur carendo re illa: non debet eam supervendere; quia utilitas quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum."[5] Cæterum si ex adjunctis constet rem pluris æstimari communiter ob specialem illam utilitatem quam emptori est allatura, pretium majus licebit petere. Sic nonnumquam agellus, qui per se parum valet, et domino nullam fere utilitatem præbet, maximi valoris est vicini fundi domino; et proinde juste venditur eo pretio quod plerisque videtur æquum, ea re considerata.

(1) De Officiis, l. iii. xv. 61.

(2) Vide apud Kentium, vol. ii. n. 538. (3) Ibidem.

(4) "The original doctrine of the K. B. is the more just and salutary doctrine. In sound policy, no person ought, in any case, to be employed secretly to bid for the owner against the *bona fide* bidder at a public auction. It is fraud in law on the very face of the transaction, and the owner's interference and right to bid, in order to be admissible, ought to be intimated in the conditions of sale; and such a doctrine has been recently declared at Westminster hall." Ibidem, n. 539.

(5) S. Thom. *ubi supra*. Vide et l. *Pretia rerum*. ff. Ad legem *Falcidiam*.

Digitized by Google

52. Pretium non augetur nec minuitur notitia privata quam quis habet rei alicujus mox eventuræ, qua merx rarior aut copiosior futura sit. Hinc mercator qui ex litteris quas accepit, novit futuram magnam mercium, quas apud se habet, copiam, eas illæsa justitia vendit pretio quod vulgo obtinet. Licite etiam comparat parvo pretio merces, quas mox rariores futuras novit, eo animo ut eas deinceps majori, quod tunc obtinebit, pretio vendat.[1] Peccaret autem contra charitatem qui ea uteretur notitia in pauperis alicujus grave detrimentum. Peccant etiam qui falsos spargendo rumores, mercium pretium augent valde, vel minuunt, cum plurimorum jactura.

53. Carius plerumque credito venduntur merces, quam pecunia numerata: quod intra justi pretii latitudinem sane licet, præsertim quum dilatio solutionis periculum quoddam secum ferat, et lucri amissionem. Anticipata solutione res nonnumquam emuntur, v: g: verno tempore quis solvit pecuniam pro frumento ex messe futura. Pretium justum erit quod tempore traditionis obtinebit: vel quod verosimiliter conjicitur futurum; vel aliquanto minus, quum hæc ratio emendi inducat rariores emptores. Cæterum iniquum foret pauperis angustias in sui commodum ita vertere, ut eum pecunia valde indigentem quis sublevet, ea conditione emendi ejus merces pretio quod justo longe minus sit.

54. *Chirographa*[2] pretio viliori licet emere, quando difficultas quædam et molestia in iis recuperandis adest: valor quippe eorum juxta communem hominum æstimationem inde minuitur. Si emptor copiam habeat recipiendi pecuniam promissam, quæ aliis difficilis exactionis foret, sunt qui cum S. Alphonso Maria dicunt eum posse vilius solvere pretium, "quia pretium sumitur a communi æstimatione, non ex circumstantia particularis ementis."[3] Imo plures dicunt chirographa, etiam certa, et liquida, posse minoris emi, quum juxta communem æstimationem minus valeant pecunia numerata.

(1) "In speculations in trade, or in the stocks, if I exercise my judgment upon the general aspect and posture of public affairs, and deal with a person who conducts himself by the same sort of judgment; the contract has all the equality in it which is necessary; but if I have access to secrets of state at home, or private advice of some decisive measure or event abroad, I cannot avail myself of these advantages with justice, because they are excluded by the contract, which proceeded upon the supposition that I had no such advantage." Paley, *Mor. Phil.* l. ii. c. 8.

(2) *Promissory Notes.*

(3) L. iii. n. 829.

Digitized by Google

Cæterum excusari haud possunt qui inopia alicujus abutuntur, ut chirographa longe viliori pretio emant. Quoties chirographa communiter venduntur pretio viliori, potest plerumque inferri ea minus valere; quod in hac regione facile contingit, quum res sint incertæ, plurimique qui videntur ditissimi sæpe fidem fallant. Sed fatendum hanc negotiandi et lucrandi rationem specie mala et periculo haud carere.

55. Res quæ non sunt communi convictui necessariæ, nec pretium habent a lege, vel æstimatione vulgari determinatum: v: g: gemmæ quædam, canes insignes, aves Indicæ, picturæ singulares, maximam admittunt pretii latitudinem; imo juxta aliquos vendi possunt quantum emptor consenserit dare. Verosimilius tamen est arbitrio prudenti pretium rerum hujusmodi esse determinandum.

56. Si famulus, vel proxeneta, (qui scilicet rem pro altero vendendam suscipit[1]) vendat supra pretium sibi a domino adsignatum, vel emat infra, nequit excessum sibi retinere, quum stipendium ei detur ad domini negotia utiliter gerenda, ejusque nomine, haud suo, agat. Id pro certo habetur:[2] controvertitur autem utrum alii res alienas vendentes supra pretium adsignatum, vel infra ementes, possint sibi retinere excessum. Pauci affirmant; plerique negant, quorum sententia vera videtur S. Alphonso, pretium quippe adsignari contendunt, ut venditoris vel emptoris arbitrio certi quidam præfigantur limites, quin juri suo renuntiet mandans, reique dominus. Cæterum sunt casus nonnulli in quibus licet excessum retinere: v: g: si dominus tacite consenserit: si res tua industria facta sit melior; si specialis quam adhibuisti diligentia excessui par sit. Sartores qui mercatorum quorumdam frequentant officinam, pannos ab iis emunt aliquando viliori pretio. Si constet mercatores aliquid sibi de pretio remittere donationis nomine, ut eos alliciant ad suam officinam, damnandi haud videntur ob consuetum pretium quod a domino exigunt. Nec tamen facile credendum mercatoribus, qui id sæpe falsò asserunt. Natalis Alexander contendit numquam licere aliquid hoc prætextu lucrari.[3]

57. Merx duobus vendita, et neutri adhuc tradita, priori emptori tradenda est, nam "qui prior est tempore, potior est jure."[4] Si secundo jam sit tradita, ejus dominus fit, nisi prior emptor in eam ha-

(1) *Auctioneer, Commission Merchant, Agent, Clerk.*
(2) S. Alphonsus, l. iii. n. 825.
(3) *Tract. de Pec.* c. v. art. v. Regul. xvii.
(4) *Reg. Jur. in* 6.

Digitized by Google

buerit hypothecam,[1] vel nisi prius vendita sit Ecclesiæ, aut causæ piæ, quæ, jure cæsareo, dominium absque traditione acquirit.[2] Habet prior emptor actionem in venditorem, ut damna ex contractu violato ei compenset: potest etiam rem a secundo emptore evincere, si conscius prioris contractus emerit. Si secundus emptor venditorem induxerit ad sibi vendendum, causa damni priori emptori fuit, et ad illud reparandum obligatur.

58. Qui merces adulterant, (v: g: aquam vino immiscent,) nequeunt pretium exigere, quod pro iis puris solvitur. Illud tamquam injustum exprobrat vates Hierosolymis: "Vinum tuum mixtum est aqua."[3] Quod si rem noxiam misceant, vel alias reddant merces perniciosas, vel inutiles, graviter peccant, et ad damna inde orta resarcienda tenentur. Hinc gravioris peccati sunt rei, qui quærentibus vinum ad Missam celebrandam, illud adeo adulteratum præbent, ut de sacrificii valore sit dubitandum, ob substantiam vini deficientem. Vitia hæc rerum quæ perniciem afferunt, vel eas inutiles reddunt, venditor debet emptori detegere, ne damnum inde oriatur: "Venditor autem" inquit S. Thomas, "qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, quod rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum, vel periculum incurrere possit."[4] Sed plerumque non tenetur ad alios aperiendos mercium defectus, si pretium dumtaxat justum accipiat, resque inserviant usui ad quem petuntur.

59. Emptor mercis virtutem sibi notam, venditori verò ignotam, non tenetur detegere: sed satis est si pretium infimum solverit. Si rei virtus vulgò ignoretur, non videtur culpandus qui eam emit quanti apud plerosque æstimatur, etsi ipse et alii pauci eam magni valere noverint. Sic qui librum veterem, vel picturam absque dolo viliori pretio emit, excusatur.

60. Venditor non tenetur de evictione, (evictio dicitur rei quamquis emit ab eodem abductio per sententiam judicis) nisi rem quam novit esse alienam vendiderit. In agris vel ædibus transferendis venditor aliquando obligat se ad titulum contra omnes tutandum: quo casu de evictione tenetur.[5]

(1) L. *Si creditor*, §. fin. *de distract. pign.*

(2) L. fin. de *S. eccl.*

(3) Isaiæ i. 22.

(4) 2. 2. qu. lxxvii. art. iii. *Resp.*

(5) *Covenant of General Warranty.* Plerumque est specialis obligatio tutandi titulum contra omnes qui ab ipso venditore se jus derivare contenderint. Dicitur *Special Warranty.*

Digitized by Google

61. Venditio cum pacto retrovendendi, aut redimendi, in favorem venditoris, vel emptoris, per se licitus est: v: g: quis vendit equum centum nummis, et paciscitur se eos redditurum recepto equo, si emptorem contractus pœnituerit: vel quis vendit domum agrosque, facultate tamen sibi servata ea sibi redimendi quum voluerit, pretio restituto. Aliquando autem usura hujusmodi contractu velatur in iis regionibus in quibus leges districtius eam vetant, quippe abest animus vendendi. Contractus *Mohatra* apud Hispanos audit, qui initur, dum quis vendit merces credito pretio summo, ea adjecta conditione ut eas statim deinceps emat pretio infimo. Hic etiam adinventus est usuræ contegendæ causa, ideoque merito damnatus ab Innocentio XI.: "Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri."[1] Seclusa autem intentione hac, si venditione jam perfecta, emptorem pœniteat, velitque ipse mercem vendere, qui eam prius vendidit, poterit eam minori pretio sibi comparare, quum infimo pretio liceat illi, sicut et aliis emere, nec teneatur juri ex venditione orto, absque quadam compensatione, renuntiare.

62. *Retractus gentilitius* dicitur jus proximo venditoris consanguineo concessum infra certum tempus rescindendi, et ad se revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio quo res illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo fuit empta. Jus hoc legibus nostris non conceditur.

63. *Negotiatio* dicitur emptio rei ex animo eam integram et non mutatam vendendi lucri gratia. Licita per se est, quamvis sæpius sit peccatorum occasio, quapropter in jure canonico dicitur: "mercator vix aut unquam potest placere Deo," quia scilicet "negotiatio nimis communiter exercetur cum mendacio et perjurio."[2] "Negotiator avidus aequirendi," inquit Augustinus, "pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur et pejerat. Sed hæc vitia hominis sunt, non artis, quæ sine his vitiis agi potest."[3]

64. *Monopolium* fit dum unus, vel plures efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant. Publica auctoritate aliquando conceditur privilegium vendendi quæ quis suo ingenio excogitavit. Hoc certe licet, quum in artium profectum cedat, cum magna omnium utilitate. Illi-

(1) Prop. xl. inter damnatas anno 1679.
(2) Cap. *Ejiciens*, dist. lxxxviii.
(3) In Ps. lxx.

Digitized by Google

citum monopolium fit 1. quando vi, metu, aut fraude mercatores impediunt ne merces advehantur, ut suas magno pretio vendant. 2. Quando unus aut pauci merces fere omnes emunt, ut caritate inducta, eas postea enormi cum lucro venales exponant.[1] 3. Quando inter se mercatores conveniunt de mercibus haud vendendis, vel emendis, nisi pretio injusto.[2]

65. Licere constat res haud necessarias ad vitam, et ad communem reipublicæ statum, v : g : gemmas pretiosas, equos generosos, mulierum ornatus, sibi comparare, ut raritate inducta eas magno cum lucro quis vendat: utitur quippe jure suo absque detrimento communi, quum nemo teneatur eas deinceps emere. Licet quoque emere frumentum, vinum, aliaque ad vitam sustentandam necessaria, eaque servare, ut postea vendantur pretio communi, etsi tempore venditionis longe excedat pretium antea solutum. Sic etiam licet ea quæ quis ex suis agris collegit in tempus illud servare, lucri majoris causa. Sed quæritur utrum violent justitiam qui omnia illa ad vitam requisita emunt, ut postea, raritate inducta, quamplurimi vendant. Sententia communis et vera, judice S. Alphonso, affirmat, docetque eos ad restitutionem teneri, si pretium exigant summum excedens, quod obtinuisset si nullum præcessisset monopolium.[3] Eis convenit quod in Proverbiis legitur : " Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis."[4] Intra illud si steterint, nec caritatem graviter lædi plures affirmant, quum jure tantum suo utatur qui divitiis potens eas sic impendit, majus lucrum obtinendi intuitu. Jus tamen commune inter delicta hanc agendi rationem recenset, mulcta et carcere puniendam.[5]

66. Constat mercatorum pactum de mercibus haud vendendis nisi pretio quod summum excedat, iniquum esse; et restituenda esse quæ sic injuste sunt accepta. Iniquum pariter est artificum pactum de non locanda opera sua nisi pretio quod summum excedat. Controvertitur autem utrum idem dicendum sit, si intra limites summi pretii se continuerint. Affirmant graves auctores " tum quia *ex l. un. c. de Monop.* hoc graviter prohibetur sub privatione omnium bonorum, et perpetuo exilio; tum quia hujusmodi mercatores

(1) " Engrossing"—*that is,* " the getting into one's possession, or buying up large quantities of corn, or other dead victuals, with intent to sell them again." Blackstone Comm. l. iv. n. 159.

(2) Ibidem, n. 160.

(3) L. iii. n. 815.

(4) Prov. xi. 26.

(5) Vide Blackston. *ubi supra.*

Digitized by Google

per medium iniquum cogunt alios emere pretio illo supremo."[7]. Negant tamen Lessius aliique plures, qui pacta iniqua esse fatentur, utpote juri civili adversantia, haud tamen injusta, quum emptores libere emant, et pretium dumtaxat summum sit. "Hinc," inquit S. Alphonsus, "posita probabilitate hujus secundæ sententiæ, probabilius est hos venditores non teneri ad restitutionem." Nuperrimè in Pennsylvaniæ quadam curia definitum est, pactum esse illicitum quo mercium vectores per canalem inter se convenerunt de pretio licet justo, quamvis vim nemini intulerint, juramento tamen adstricti intra illud pretium merces se non vecturos. Cœtus autem opificum in quibus de justa mercede saltem infima exigenda convenit, per se licent, quum vix alias possint se ab aliorum artibus iniquis tueri: sed magna habent pericula. Fiunt plane iniqua, quando vi adhibita alios ut ad normam et exemplum eorum se componant, cogere volunt. Gravissime peccant qui minore danda mercede, sæpe nonnisi mercibus magno pretio comparandis solvenda, opifices in hanc gravissimam tentationem conjiciunt.

67. Mercatori monopolii non participi licere merces vendere pretio per monopolium constituto nonnulli affirmant, justum enim habetur pretium quod apud cæteros obtinet. Negat tamen S. Alphonsus cum aliis, "quia illud pretium per injustitiam adauctum semper, et per se injustum est, et ad justitiam reducendum." Cæterum si raritas mercium ex monopolio provenerit, probanda videtur P. Thomæ a Charmes sententia, qui existimat monopolii haud participem posse ea ratione majus percipere lucrum.[2]

(1) S. Alph. l. iii. n. 817. (2) *Tract. de virt. append.* ii.

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE USURA.

§. I. Quæ sit usuræ natura.

68. *Mutuum* est contractus quo res numero, pondere, vel mensura constans transfertur in alterius dominium cum obligatione aliam ejusdem speciei, et bonitatis, post lapsum temporis restituendi. Filiifamilias minoresque si acceperint muutum, obligatione restituendi a jure habentur immunes, quum in sui detrimentum vergat: "pupillus," inquit Justinianus, "mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligatur."[1] Cæterum "pupillus naturaliter obligabitur in quantum locupletior factus est."[2] Si mutuum quis dans eum "patremfamilias esse credidit, quia publice paterfamilias plerisque videbatur,"[3] erit etiam restituendi obligatio. Item "si pecuniam in rem patris vertit" filiusfamilias.[4] "Si studiorum causa absens mutuum acceperat."[5] "Si sciente patre creditum sit filio."[6] Mutuum dans debet monere sumentem de rei vitio si noxium sit; mutuumque non debet repetere ante tempus statutum; vel si nullum tempus statutum fuerit, ante tempus quod judicio prudenti æquum videatur. Mutuum sumens e contra mutuum reddere tempore statuto debet, aut alias judicio prudenti.

69. *Usura* pro usu aliquando sumitur; pro fructu etiam, dicit enim Tullius: "terra nunquam sine usura reddit quod accepit."[7] A theologis eo nomine vocatur generatim lucrum ex mutuo proveniens; sed plerumque intelligitur illicitum lucrum vi mutui præcise acceptum. *Interesse* apud theologos vocatur quidquid mutuum dans patitur, vel amittit ratione mutui; apud jurisperitos An-

(1) L. liii. ff. de *oblig.* et *act.*
(2) L. v. ff. de *auctor. et consensu. tutor.*
(3) L. iii. ff. *de Senatuscon. Maced.*
(4) L. vii. §. xii. ff. eodem.
(5) L. vii. §. xiii. ff. *eodem.*
(6) L. xii. ff. eodem.
(7) L. *de senectute.*

Digitized by Google

glos et Americanos ita designatur usura lege sancita.[1] De usura in Epistola Encyclica Benedicti XIV. *Vix pervenit*, legimus: "Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum, ideoque ultra sortem, lucrum aliquod ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est."

70. Usura *aperta* vocatur quæ ex contractu mutui percipitur cum pacto expresso aliquid supra sortem accipiendi. Usura *palliata* quando illud alio nomine, pallio alterius contractus veluti obtectum, recipitur. Sic aliquando actiones credito venduntur magno pretio, statim iterum vendendæ minori, ut pecunia habeatur, adeo ut mutuum venditionis et emptionis contractu obtegatur.

71. "Omne lucrum ex mutuo, præcise *ratione mutui*, uti loquuntur theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium, atque omni jure, naturali scilicet, divino, et ecclesiastico, illicitum esse, perpetua fuit, et est Catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium conciliorum, patrum, et theologorum unanimi consensione firmata." Ita Benedictus XIV.[2] Et quidem in veteri Testamento legimus usuram inter maxima crimina recenseri: "ad usuram dantem, et amplius accipientem: numquid vivet? non vivet; cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur."[3] "In novo autem Testamento Lucæ vi. illis Christi Domini verbis: 'mutuum date, nihil inde sperantes;' præceptum tradi, seu verius naturalem legem iterum inculcari, nihil prorsus lucri ex mutuo ab ullo sive paupere, sive divite exigendi, non solum docet D. Thomas, 2. 2. *quæst.* lxxviii. *art.* 1, ad 4. sed concors fuit conciliorum, patrum, summorumque pontificum sententia, præcipue Urbani III. in cap. *Consuluit, de usuris*, qui præfati textus auctoritate omnem, quantumvis minimam, usuram universim vetitam pronunciavit: explicans enim præfata Christi Domini verba, iis prohiberi ait omnem usuram, et superabundantiam.' Dicere autem summos Pontifices, et concilia prædicti textus verum et genuinum sensum non esse assequuta,

(1) "Custom has now distinguished between usury and legal interest; and appropriated the term usury to that which exceeds the interest determined by statute." Rees's New Cyclopædia, vol. xxxix. art. *Usury*.

(2) De Syn. Dioec. l. x. c. iv. (3) Ezech. xviii. 13.

Digitized by Google

quod aliquos mussitare non puduit, et temerarium, et fere hæreticum est."[1]

72. Patrum et conciliorum documenta hac in re congerit sapientissimus hic Pontifex. TERTULLIANUS ita explicat Ezechielis locum: "Pecuniam, inquit, suam fœnori non dedit, et quod abundaverit, non sumet, fœnoris scilicet redundantiam, quod est usura."[2] S. BASILIUS, allegato pariter Ezechielis loco, ait: "Ezechiel id in maximis malis recenset, si fœnus, et quidpiam ultra sortem accipiatur."[3] S. AMBROSIUS, "Et esca usura est, et vestis usura est, et quodcumque sorti accedit, usura est."[4] S. HIERONYMUS, "Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt usuram appellari et superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint."[5] S. AUGUSTINUS, "Si fœneraveris homini, id est mutuam pecuniam dederis, a quo aliquid plusquam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid, plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si, plusquam dedisti expectas accipere, fœnerator es."[6] Concilium Agathense relatum a Burchardo:[7] "Usura est ubi amplius requiritur quam datur, v: g: si dederis solidos decem, et amplius quæsieris."

(1) L. x. de Syn. c. iv. De textus illius sensu disserit inter alios Mastrofini in opere dicto; "*Le Usure, libri tre. Discussione dell' Abate Marco Mastrofini, Roma* 1831." L. i. c. iv. Græcus textus habet: δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες. De verborum vi fuse agit; sed ad Vulgatæ versionis sensum, a quo discedit, critici acatholici accedunt. Rosenmueller interpretationem Ariæ Montani, quæ Mastrofini arridet, rejicit: "Nonnulli vertunt: *non desperantes*, scilicet de retributione. Sed antecedentibus magis convenit vertere: *nihil inde sperantes—sine spe compensationis.*" *In locum.* Bloomfieldius dicit: "The true interpretation seems to be the one generally assigned by ancient and modern Commentators, hoping for nothing again." Bloomfieldio asserenti ne quidem sortem sperandam ex Christi monito, assentiri non possumus: tunc enim haud dixisset *mutuum date*, sed *largimini*, *donate*, vel quid hujusmodi. Quod dicunt nonnulli præceptum hoc pauperum gratia latum esse, verum est; sed verbis generalibus est enuntiatum ut tolleretur radix malorum cupiditas lucrum ex pecunia mutua data referendi. Equidem constat pauperes æque ac alios solvere usuram ubicumque consuetudo eam accipiendi legibus moribusque invaluit, adeo ut quod ipsi usuræ patroni fassi sunt divinitus præcipi, nempe mutuum dare pauperibus gratis, prorsus negligatur.

(2) L. iv. contra Marcionem, c. xvii. (3) In Ps. xiv. t. i. op. p. 107.

(4) L. unic. de Tobia, c. xiv. n. 49.

(5) In Ezech. l. vi. c. xviii. t. v. op. col. 210.

(6) In Ps. xxxvi. Serm. iii. n. vi. (7) L. ii. c. 126.

Digitized by Google

73. His pauca testimonia aliunde desumpta libet adjicere. LACTANTIUS scribit: "Pecuniæ, si quam crediderit, non accipiat usuram, ut et beneficium sit incolume, quod succurrat necessitati. Plus autem accipere quam dederit, injustum est; quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate prædetur."[1] S. AMBROSIUS in hæc verba: *pecuniam tuam non dabis illi in usuram;* scribit: "Generaliter hæc sententia omne sortis excludit augmentum."[2] VENERABILIS BEDA, in verba: qui pecuniam suam non dedit ad *usuram;* scribit: "Id est, nulli ut plus inde acciperet, accommodavit pecuniam suam."[3]

74. His validissimis testimoniis nititur Pontifex in laudata sua Constitutione, ex qua alia etiam, veluti certissima principia, citanda duximus: "Neque vero ad istam labem purgandam ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo quod id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat: nec datam sibi summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus."

75. Cum his adversa fronte videntur pugnare quæ Maffei, Rossignol,[6] De La Luzerne,[7] Mastrofini,[8] aliique de locatione pecuniæ in usus commercii disseruerunt; hanc toto cœlo a mutuo distingui contendentes. Discrimen quidem in eo apparet quod pecunia negotiationi inservitura sit, potius quam pauperum levamini; sed quoties jus ad sortem recuperandam, quolibet in rerum eventu, retinetur, mutui natura adesse videtur, ideoque quum justitia erga omnes servanda sit eadem, nihil ultra sortem est exigendum. Haud recte dicitur *locari*[9] pecunia, quum nullum sit periculi consortium, sed ipsa

(1) Instit. l. vi. c. xviii.

(2) In Tobiam, c. xv. (3) In Ps. xiv.

(4) Non statim abjecerunt novatores Catholicam de usura doctrinam: "In the reign of Edward VI. religious zeal prohibited all interest." Rees' New Cyclopædia, vol. xx. p. 1. art. *Interest.* "It seems to have been the opinion of the makers of divers acts of Parliament since the reformation, that all kinds of usury are contrary to good conscience. 1 Haw. 245." Ibidem, vol. xxxix. art. *Usury.*

(5) *Impiego del danaro, Verona,* 1745.

(6) *De l'Usure par M. L'Abbe Rossignol, à Turin* 1803.

(7) *Prêt de Commerce.*

(8) *Le Usure, libri tre, par l'Abate Mastrofini,* Roma 1831.

(9) Jam ea loquendi ratio passim usurpatur: "*to hire money.*"

Digitized by Google

in mutuantis potestatem transeat, pro suo arbitrio impendenda. Ludere verbis videntur, qui, hac vocum instituta distinctione, quæ totam latuit vetustatem, severissimas Ecclesiæ sanctiones quibus usuræ acceptio vetita est, irritas faciunt et inanes. Utique si locetur pecunia, quadam sortis societate inita, licebit etiam et lucri fieri participes: quapropter qui *actiones* emunt mensæ nummariæ publica auctoritate constitutæ, percipiunt quosdam annuos fructus, quos vocant *divisiones*, tum quia jus ad sortem repetendam non habent, tum quia sors ipsa discrimini objicitur: quod tristi rerum eventu plurimi hodie apud nos norunt.

76. Mastrofini contendit titulum justum in contractu de quo agitur esse venditionem usus pecuniæ, quem ab ipsa pecunia distingui et pretio æstimari affirmat. At usus pecuniæ necessariò datur vi mutui, quum tota ejus proprietas et dominium detur, uti omnes hactenus intellexerunt.[1] "Quædam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio: sicut vinum consumimus, eo utendo ad potum: et triticum consumimus, eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet seorsum computari usus rei a re ipsa; sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res: et propter hoc in talibus, per mutuum, transfertur dominium.". . "Pecunia autem principaliter est inventa ad commutationes faciendas. Et ita proprius et principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio, sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur. Et propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur usura."[2] Equidem si absque ulla mutuum sumentis culpa, tota pecunia brevi amitteretur, ipse teneretur parem summam reddere tempore statuto: quod ostendit ipsum dominum ejus agnosci; res enim domino perit.

77. Theologi tenent omne onus quod pretio æstimari queat mutuanti impositum usuram redolere:[3] tollit enim gratuitam beneficii naturam. Si quis igitur alteri mutuam det pecuniam, ea conditione adjecta quod merces nonnisi ab eo emat, vel quod certam pecuniæ summam apud ipsum impendat, usura erit:[4] Secus si alias debeatur ex justitia, v: g: ut æs alienum diu debitum solvatur. Sic potest quis alteri proponere se mutuam daturum pecuniam, dummodo alter

(1) Vide S. Alphonsum de Ligorio, l. iii. n. 759.
(2) S. Thomas, 2. 2. qu. lxxviii. art. i. *Resp.*
(3) S. Alphonsus, l. iii. n. 774.
(4) Ibidem, n. 780. Vide et Busembaum, apud S. Alph. n. 791, 12, 16.

Digitized by Google

chirographo includat quod antea ei debuerat: vel potest aliquis mutuam dare pecuniam eo pacto, ut alter injustam quam instituerat litem deserat. Quod si res deberetur ex charitate tantum, usura videtur eam exigere, tamquam mutui conditionem: est enim onus pretio æstimabile: ex: gr: si medico imponeretur onus pauperem ægrotantem invisendi.[1] Posset quis absque usuræ labe alterius colere amicitiam mutuo dando; si tamen exigeret ut alter ei impetraret munus quoddam, esset usura, gratia enim, qua quis valet apud aliquem, uti in alterius utilitatem, pretio æstimari potest.[2]

78. Usuram sapit obligatio imposita mutuanti mutuum aliud in posterum dandi, est enim onus, quod gratuito beneficio derogat. "Licet simul mutuanti unum, aliquid aliud mutuum recipere: non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum."[3] Ita S. Thomas.

79. Mutuum dans potest exigere ut res ei reddatur in eadem specie et quantitate, si ipse eam servaturus esset ad id temporis, deducta tamen æstimatione periculi, vel expensarum in re servanda. Sic si agricola alteri det frumentum quod servaturus erat donec annonæ caritas foret, (haud tamen sua arte seu culpa inducta,) potest exigere ut eo tempore reddatur: nam in alterius utilitatem se privat illa lucrandi occasione. Sic etiam si dubium sit utrum majoris vel minoris pretii futuræ sint merces, possunt contrahentes pacisci ut eædem reddantur, quia quum res sit incerta, uterque pari lucri vel damni conditioni subjicitur. Sed si certò noveris rem pluris valituram certo quodam tempore, non licet exigere ut ea tunc tibi reddatur, quum alias non fuerit in animo eam in id usque temporis servare. Si mensæ alicujus chirographa præstes, poteris ab initio pacisci ut ejusdem mensæ chirographa tibi reddantur.

80. Mutuos danti argenteos vel aureos nummos licet pacisci ut simili pecunia ei satisfiat, quia pertinet ad æqualitatem. Non licet e contra mutuam danti monetam papyream exigere ut argentei vel aurei reddantur, licet tempore mutui eos esse paris valoris contingat: nam onus est monetam alterius speciei reddere debere.[4] Cæterum leges nostræ exigunt ut æs omne alienum solvatur auro vel argento, si ita postulet creditor; quapropter absque ullo pacto jus illud consequitur: sed injustum plane foret mutuas dare chartulas nummarias

(1) S. Alphonsus, l. iii. n. 777.
(2) Ibidem, n. 779.
(3) 2. 2. qu. lxxviii. art. ii. ad. 4.
(4) S. Alphonsus, l. iii. n. 782.

Digitized by Google

quæ minus valent, et exigere ut reddatur aurum, vel argentum, veluti ac si ejusdem forent valoris.

81. Exigere auctarium tamquam gratitudinis ergo, usura est, uti constat ex propositione damnata: "Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum."[1] Cæterum, docente S. Thoma, si quis "recipiat aliquid hujusmodi non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit."[2] Si quis igitur, nullo prævio pacto, sortem cum auctario reddat in grati animi testimonium, nil vetat hoc accipere, quum gratitudo, sicut et beneficentia, virtus sit. Mutuam dare pecuniam ea præcipue spe et fiducia plerisque videtur usura,[3] quum spes lucri a Christo sit vetita. Cæterum non quælibet expectatio, sed ea, qua sublata non daretur mutuum, vetita censenda est: si enim quis det mutuum, spem fovens aliquid sibi gratitudinis ergo donandum, qui tamen daret indigenti, licet spes illa non affulgeret, vix posset violati præcepti reus argui. Quandoque contingit gratitudinis nomine ornari quod datur ne quis promissis deesse videatur, vel ne ei mutuam deinceps petituro pecuniam denegetur: quod præsertim de auctario nimio dicendum est. Quoties vi pacti datur, usura est: non ita si ex suæ utilitatis et commodi studio detur, nisi ex adjunctis merces et pretium videatur. Si homo, qui ex pecunia aliena mutua accepta magnum derivavit lucrum, offerat auctarium, grati animi nomine, poterit alter accipere donum, licet suspicetur eum ideo dare largiter, quia sperat se postea beneficium aliud mutuando accepturum. Quod si noverit alium auctarium præbere, ut illum ad mutuum dandum alliciat, non poterit absque usuræ vitio illud acceptare.

82. Discrimen inter pecuniam numeratam et numerandam per se nullum est, sed sæpe fit permagnum, quando lucri datur occasio. Cæterum ob nimiam latitudinem meritò proscripta est propositio: "Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest cre-

(1) Prop. xlii. *inter damnatas ab Innoc. XI.*
(2) 2. 2. qu. lxxviii. art. ii.
(3) S. Alphonsus de Ligorio, l. iii. n. 762.

Digitized by Google

ditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari."[1]

§. II. Qui sint tituli ad auctarium.

84. Sapientissimus pontifex in prælaudata Constitutione subjungit: "Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet naturæ mutui minime innatos, et intrinseeos forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda."

85. Præcipui tituli theologorum omnium judicio, ob quos aliquid ultra sortem exigi potest sunt *lucrum cessans*, seu *damnum emergens*. Si ex mutua danda pecunia, lucrum quis amissurus sit, quod ex negotiatione licita derivetur, vel detrimentum passurus, potest monere alterum, et rem in pactum deducere, et pro magnitudine lucri amissi, vel damni quod emergit, exigere æquam compensationem, prout fuerit certum, vel verosimile. Utrum autem monitio illa necessaria sit, ut liceat eo titulo auctarium exigere, quærunt theologi; plerisque cum S. Alphonso affirmantibus, quum alias mutuans non censeatur se obligare ad damnum resarciendum. Id dicendum censemus de auctario ultra taxam a lege statutam; nemo quippe existimandus est velle ad nimium auctarium se obligare, nisi noverit alium non posse absque suo damno ei subvenire: non ita de auctario legitimo, quum omnes censeantur nosse communes utilitates pecuniæ, et quæ plerumque contingunt damna ex ejus defectu; quibus ipsa lex nixa videtur. Imo ex communi agendi ratione in hac regione vix haberi potest necessaria hæc monitio.

86. In æstimando pecuniæ usu, spes lucri non est tanti æstimanda quanti ipsa lucri certitudo: et incommoda, labores, impensæ in lucro comparando præ oculis habenda sunt, ut de vero lucro æquum feratur judicium. Hinc usuram admittit qui viginti pro centum exigit

(1) Prop. XL *inter damnatas ab. Innoc. XI.*

Digitized by Google

quia putat se posse mercando tantum comparare lucrum, nam rebus omnibus rite perpensis, spes illa sæpe non est æstimanda ultra legis taxam. Nec sola possibilitas lucrandi titulum præbet; sed occasio debet esse parata, vel saltem verosimilis, ut aliquid accipiatur ob facultatem illam sponte abjectam, ut alteri beneficium impenderes.

87. Qui negotiis nequaquam vacant, sed toti sunt in pecunia quam habent utilissime impendenda, mutua ea danda, non possunt quid sibi vindicare, eo nomine quod pecunia possit honestæ negotiationi inservire:[1] quoniam ipsi nihil idcirco amittunt, quum non forent negotiaturi. Igitur nisi legis titulus illis suffragari censeatur, ab usura vix poterunt vindicari. Tutius verò foret pecuniam impendere domibus, vel *actionibus* emendis, ut ex mutuo lucrum quærere contra Christi præceptum non videantur.

88. Auctarium non est ab initio pecuniæ mutuæ datæ subtrahendum, nec enim nisi tempore elapso debetur; et mutuans, si ab initio subtrahatur solvit illud pro summa majori ea quam vere accepit. "Si mutues centum, et pro lucro cessante accipias decem, non jam mutuas centum, sed nonaginta."[2] Attamen mos est in mensis nummariis receptus, ut auctarium ita ab initio deducatur; qui communi omnium consensu et usu quum probetur, forsan hac ratione excusari posse videtur. Idem fit quoties pecunia pro chirographo a privatis datur.

89. Plerique jam *periculum sortis*, titulum præbere ad auctarium accipiendum putant; si enim creditor facile possit evadere, vel bona sua celare, vel molestiam plurimam repetenti mutuum creare, compensatio quædam deberi videtur ei qui tanto discrimini ultro se objicit. Hinc quum apud Sinenses lex triginta pro centum permitteret, hujusmodi periculo nixa, præcepit S. Congregatio de Propaganda Fide anno 1645, "non esse inquietandos eos qui recipiunt aliquid supra sortem ratione periculi probabiliter imminentis:"[3] quod decretum Innocentius X. mandavit districte servandum.[4]

(1) Vide Constitut. Benedict. XIV. sæpius laudatam.

(2) S. Alphonsns, l. iii. n. 770. *Quamvis autem.*

(3) Vide apud S. Alphons. l. iii. n. 765.

(4) Quamvis Blackstonius theologorum dicta hac in re exsufflet, eodem tamen fere recidit quod ipse post Grotium tradit: "if the compensation allowed by the law does not exceed the proportion of the hazard run, or the want felt, by the loan, its allowance is neither repugnant to the revealed nor the natural law: but

Digitized by Google

90. Utrum lex civilis justus sit titulus aliquid supra sortem exigendi, controvertitur. Plerique theologi omnino negant, nam quum lex naturæ tantum postulet ut reddatur quod acceptum est, et lex divina præcipiat nihil ultra sperandum, liquet civilem auctoritatem nonnisi abusu manifesto potestatis quid aliud decernere. Irrita igitur et vana æstimant quæ alias fuerint statuta, cum divinæ legis, et justitiæ dispendio; qua de causa emendatas esse et improbatas cæsareas ea de re leges monet Benedictus XIV., in opere suo diœcesano, et in ipsa sua Constitutione satis innuit opinionem theologorum lucrum ex mutuo negotiationis vindicantium, quod sit moderatum, et *patriæ legibus definitum*, haud sibi probari.

91. Holden, Pichler, Zech, et plerique professores universitatis Ingolstadiensis sæculo elapso, et alii non pauci in Germania, Batavia, Anglia, Hibernia, Gallia, America, legis civilis titulum justum esse aliquid supra sortem accipiendi contendunt. Censent altum quod habet respublica in civium bona dominium posse in eo exerceri, ut cuilibet mutuanti detur facultas moderatum quoddam lucrum percipiendi, quum commercii utilitates id postulent, et innumeris tricis artibusque fœneratorum emendicatos titulos ad usuras enormes percipiendas fingentium sic ponatur modus. Jus illud quod in præscriptione sancienda exercetur, quoad usuras moderatas valere existimant.

92. Iis cogimur assentiri qui legis titulum non agnoscunt, eum enim Gregorius XIII. videtur olim rejecisse, ad ducem Bavariæ de contractu Germanico rescribens, eumque theologi fere omnes post D. Thomam impugnarunt. Quod attinet ad altum dominium reipublicæ, exerceri quidem potest pro salute et utilitate omnium, sed salvis legis christianæ sanctissimis principiis: quamvis autem agnoscamus plurima commoda mercatoribus aliisque ex lege moderante usuras fluere, attamen suspicamur cum damno pauperum et eorum qui subsidiis ad tempus indigent, fieri, ut jus tribuatur aliquid ultra sortem percipiendi, ubi titulus a lege diversus id non exigit. Inde fit ut ære alieno gravati, commodo ad tempus percepto, fœnore plerumque opprimantur. Præterea non constat id legum latoribus propositum ut jus quoddam tribuant; sed censendi sunt modum ponere hominum cupiditati, eam adjudicantes usuram quæ regionis

if it exceeds those bounds, it is then oppressive usury; and though the municipal laws may give it impunity, they can never make it just." *Comm.* l. ii. n. 456.

Digitized by Google

adjunctis et commercii ordine spectatis, damno emergenti vel lucro cessanti respondet, quin de conscientiæ judicio, utrum res ita se habeat, sint solicitiores.[1]

93. Cæterum diffiteri non possumus eam esse rerum conditionem hisce temporibus,[2] et maxime hac in regione, ut tituli externi ad auctarium persæpe adsint: vix enim ullus pecuniam apud se servat otiosam; sed vel emit actiones, quarum fructus legitimus agnoscitur, vel alias eam cum sui lucro impendit; et periculum vix unquam abest, tanta est rerum nostrarum incertitudo. Igitur inquietandos non censemus fideles qui intra legis limites se continent: eo magis quod S. Congregationes Romanæ plurimis decretis recens emissis,[3] statuerint eos qui bona fide legis nituntur titulo non esse inquietandos, dummodo parati sint S. Sedi parere, quæ nullam hactenus de hac controversia protulit definitionem.

94. Quoties auctarium titulo aliquo cohonestatur, si culpa mutuantis non solvatur, videtur per se licere auctarium in sortem referre: nam haberi poterit veluti pecunia mutuò data. Equidem id non solet a fidelibus fieri, quum enim ab usura aliqua sancienda adeo abhorruerint veteres, ab usura usurarum, veluti a re nefanda, ipsi qui usurarum legitimarum patronos se exhibuerunt, fuerunt plerumque alieni. Cæterum semel admissis titulis quibus usura cohonestatur, æquum videtur ut qui in mora est culpabili solvendi, utilitatem inde derivandam compenset. Leges civiles id non permittunt ex prævio pacto fieri; sed postquam usura solvenda fuerit, nil vetat eam ex consensu referri in sortem.[4]

(1) "By a Statute of James the 1st, interest above eight pounds per cent was prohibited, (and consequently under that rate allowed) with this sage provision that this statute shall not be construed or expounded to allow the practice of usury in point of religion or conscience." *Paley, Mor. Phil.* l. ii. ch. 10.

(2) Bergier dicit: "Depuis que le commerce maritime et la banque sont établis dans toute l' Europe, et assujettis à des reglemens très multipliés, l' argent a une valeur qu' il n' avait pas autrefois; il est devenu une marchandise, et non un simple signe des valeurs." Dict. de Théologie, art. *Usure.*

(3) Resp. S. Officii 3 Julii 1832; et S. Pœnit. 16 Sept. 1830, et alia relata. vol. xvi. Cursus completus Theologiæ.

(4) "Although interest upon interest is in general unlawful, yet there are cases in which interest is considered as changed into principal, and permitted to carry interest, as—where a settlement of accounts takes place after interest has become due,—or an agreement is made *after* interest becomes due, that it shall carry interest. Any agreement for interest upon interest, to be lawful, must be

Digitized by Google

§. III. De auctario nimio.

95. Ad eos quod attinet qui excedunt lucrum a lege definitum,[1] haud facile iis credendum rationes quibus vindicetur, allegantibus. Jus auctarium majus recipiendi, repeti posse existimamus ex libero contrahentium consensu. Patet consensum illum liberum non esse, quoties oritur ex angusta re, et magni damni periculo; quamvis enim quis magna cum animi voluptate mutuum acceptet, quo eripiatur, illud facit, necessitate qua laborat adactus. Aliud videri posset quando lucri majoris intuitu læto animo accipit mutuum, nulla rei familiaris angustia cogente. Equidem sæpe ex utraque parte liber est consensus; sed pactum videtur contra bonos mores, et leges, ideoque reprobandum. Quod si de plena voluntate contrahentium constet, præsertim post negotia transacta, qui usuram accepit vix est ad restitutionem cogendus; consensus enim vitium tituli sanat. Sic aliquando contigit colonum accepisse a mercatore cui mutuam dedit pecuniam, sortem cum decem pro centum, post annum: deinceps, confessario suadente, eum adiisse, et excessum auctarii obtulisse; quem alter noluit accipere, se libere dedisse affirmans, et fidem fallere probro ducens.

96. Temporis dilatio inter justos titulos aliquid supra sortem accipiendi recensetur, quoties cum discrimine aliquo vel jactura conjungitur: sed quum in omni mutuo quædam dilatio sit, meritò damnata est propositio affirmans universim licere, ob obligationem haud repetendi sortem usque ad certum tempus, auctarium exigere: "Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non

made after the interest has become due; and must be *prospective*, that the interest *then* due, shall carry interest. An original agreement, that if the interest is not paid at the time it shall be due, it shall carry interest, though it would not amount to usury so as to render the contract connected with it illegal and void, yet the party cannot recover such interest either at law, or in equity." Purdon's Digest of the laws of Pennsylvania, art. *Interest. Notes.*

(1) Jeremias Bentham apud Anglos contra leges quibus nimia vetatur usura disseruit, opere quod anno 1816 iterum prodiit, ut demonstraret eas in pauperum gravamen, commercii detrimentum, et usuræ palliatæ augmentum cedere. Plurimi in hac regione eas tolli cupiunt, quæ revera vix prosunt, quum plerumque negligantur. Cæterum eatenus inserviunt ut damnum vel lucri amissio probabiliter æstimetur ex eo quod communiter contingit.

Digitized by Google

repetendam sortem usque ad certum tempus."[1] Cæterum disputatur utrum hujusmodi obligatio ad diuturnum tempus, puta ad triennium, sit titulus ad auctarium, omni jacturæ discrimine procul. Affirmantibus favet S. Alphonsus, quia illa obligatio ad mutui naturam non pertinet, et incommodum quoddam secum fert, quum mutuum dans interim de pecunia sua nequeat disponere. In mensis nummulariis pecunia mutua plerumque datur post sexaginta dies solvenda: quod si quis sex mensium petat dilationem, conceditur aliquando majori accepto auctario: sed ne lex violari videatur, actiones venduntur pretio majori, quod emens post sex menses soluturus est; vel chartæ nummariæ, quæ minus valent, tribuuntur. Usuram plane sapit hæc agendi ratio: utrum autem mensa aliunde habeat titulum majoris auctarii accipiendi, quod pecunia discrimini majori objiciatur, vel quod lucri amittatur occasio, dicere non possumus.

97. Titulus ad auctarium majus accipiendum desumi aliquando potest ex incerta rerum conditione. Equidem ea hactenus per plures annos fuit apud nos mensarum publicarum legumque de re monetali incertitudo, ut fides fere nulli, etiam ditissimo, constaret, quippe qui aliorum casu posset solvendo fieri impar, vel legum auxilio nectere moras, vel chartas nummarias, quæ minus valerent, reddere; leges enim quæ aurum vel argentum jubent solvendum, nequibant executioni demandari. Hinc factum ut ob rerum angustias nummi mutui quærerentur passim, oblato auctario duorum singulis mensibus pro centum, quod usuræ enormis speciem quidem præsefert: sed quum id contigerit non unius alteriusve fraude, vel ex necessitate qua premebantur pauci, totius civitatis conditione urgente, non audeo damnare eos qui nummos dabant mutuos, auctario quod plerumque dabatur accepto; quamvis fatear rem non carere mali specie, et ipsam rerum conditionem longe a recta negotiandi regula abhorrere.

98. Episcopus S. Ludovici non ita pridem Sedem Apostolicam consuluisse dicitur de iis qui usuram, ultra legis sancitum, accipiunt, eo quod debitor inde lucrum magnum comparaturus sit, et quod facile possit aufugere, et molestias creare repetenti pecuniam: cui responsum est *eos non esse inquietandos*.

99. Inquirit S. Alphonsus "utrum, si quis bona fide ineat contractum usurarium, et lucrum exigat; re postea cognita, possit illud retinere, si vere poterat contrahere ex justo aliquo titulo, nempe ra-

(1) Prop. xlii. damn. ab Alex. VII.

Digitized by Google

tione periculi, lucri cessantis &c.?"[1] Veriorem autem putat negantem sententiam, quia quum justus ille titulus nequaquam menti obversatus fuerit, non fuit in pactum deductus, ideoque non potuit lucri præbere rationem; neque enim mutuatarius in eum consensit, ne quidem implicite. Ponamus aliquem ab altero petere pecuniam mutuam, oblatis viginti pro centum quotannis. Alter tanto auctario allectus, nihilque de solutione dubius, avide amplectitur propositionem. Re jam peracta intelligit mutuantem esse dubiæ fidei, et verosimilem putat mutui jacturam, adeo ut periculum manifestum et insolitum vix tanto auctario redimatur. Si contingat eum sortem absque difficultate recuperare, non potest auctarium nimium retinere, quum pactum fuerit usura infectum: nec potest titulo ex periculo uti, quum ignotum ei foret, ideoque haud esset contractus conditio.

§. IV. Usuræ restitutio.

100. Usura, quum sit peccatum contra justitiam, non transfert dominium, ideoque restituenda sunt quæ ita sunt accepta, uti docet in laudatis litteris encyclicis Benedictus XIV.: "Contra mutui siquidem legem, quæ necessariò in dati atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione justitiæ, quam commutativam appellant, et cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam et sancte servare, et non servatam exacte reparare." Quæcumque igitur, absque justo titulo, accepta sunt mutui occasione, sunt dominis restituenda cum fructibus naturalibus, non autem qui ex industria utentis sunt derivata. Cæterum damnum reparandum est quod ex pecunia subtracta domino legitimo obvenit. Res quidem difficillima est hæc sanissima principia in usum deducere: ideo si constet aliquem usuras accepisse, absque titulo sufficienti, erit monendus restitutionis faciendæ, divinæ illius sententiæ memor. "Quid enim prodest homini, si mundum universum lucratur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?"[2] Quod si præjudicia moresque obstent ne injunctum sibi munus expleat, oportebit nonnumquam ad consensum eorum quorum interest recurrere, ad eum onere eximendum.

(1) L. iii. n. 773. (2) Matt. xvi. 26.

Digitized by Google

Poterit ipse, instituto cum iis colloquio, impetrare oneris remissionem, quam si libera plenaque voluntate præstent, nihil obstabit ut ad sacramenta accedat. Quotiescumque autem conscientia peccati hac in re quis non tenetur, nec male audit apud alios, nec aliquis de injustitia sibi facta queri noscitur, non videtur inquietandus, quum bona fide, et communi agendi et sentiendi ratione, possit excusari: et alioquin vix speretur fructus ex correptione; nec enim confessario in re hujusmodi facile assentietur.

101. Hæredes fœneratorum tenentur ad restitutionem quam hi neglexerunt faciendam, juxta illud: "Filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui."[1] Cæterum pro rata suæ portionis, "in quantum ad eos pervenit,"[2] eos teneri, non autem in solidum plures dicunt.[3] Id verò censemus, hæredes non debere instituere examen, vel judicium, de ratione agendi quam servavit defunctus; nec usuras ab eo acceptas suspicari, nisi res sit satis manifesta, reclamantibus ipsis quibus injuria facta est. Equidem tot possunt esse lucri tituli, præsertim habita ratione adjunctorum, ut nemo teneatur alterius actus scrutari et damnare.

102. Utrum dans consilium pro usuris teneatur ad restituendum quæritur; contingit quippe nonnumquam advocatum clienti consulere ut pecuniam alteri mutuam det, lucrum inde magnum relaturus. Sæpius id evenit campsoribus, aliisque mutuam quærentibus pecuniam, quam clientibus suis, mercede ob beneficium accepta, tradunt. Quoties in gratiam mutuantis id fit, non tenetur ad restitutionem,[4] quia ex pleno ejus consensu rem gerit. Quod si suadeat alicui ut mutuam accipiat pecuniam, cum auctario nimio reddendam, tenebitur ad restituendum, quia est causa contractus injusti, quo læditur qui consilium pravum secutus est. Excipiendus videtur casus in quo magna utilitas mutuanti ex mutuo provenit. Quoties usura legitima accipitur, campsores pecuniam quærentes vel dantes mutuam, excusari poterunt, quatenus præsumunt titulum adesse: non item quando nimia est, nam constare eis debet justum esse titulum limitem a lege positum transgrediendi, antequam suam præstent operam rei alioquin illicitæ.

103. Præbens pecuniam fœneratori ut fœnus exerceat, peccati ar-

(1) C. *Tua nos.* 9. *de Usur.* (2) L. i. c. *de delictis defunct.* l. iv. tit. 17.
(3) S. Alphons. l. iii. n. 790.
(4) Ita communis sententia apud S. Alphons. l. iii. n. 785.

Digitized by Google

guitur, utpote proxime ad usuras cooperans, quapropter et ad restitutionem teneri plerisque videtur. Quod si agat in gratiam mutuantis, excusat eum Lugo: S. Alphonsus insuper excusatum eum habet, si non posset pecuniam denegare "sine damno superioris ordinis, quam esset mutuatarii damnum."[1] Si det pecuniam alteri ut suo nomine detur mutua, utique ipse eam dare censendus est, ideoque damnum debet reparare. Quod si campsor, aliusve, aliena utens pecunia, lucri partem sibi retineat, dans pecuniam tenetur ad restituendam partem auctarii nimii quæ ei obvenit: non autem quam alter, pecunia ejus utens, comparavit, quum non videatur causa efficax damni. Porro campsor partem illam clam subductam reddere debet, quum nihil juris habeat ultra industriæ suæ præmium, lege vel consuetudine definitum.

104. Principes, judices, et advocati qui sunt causa ut usuræ solvantur, tenentur ad restitutionem, juxta theologorum placita; imo jure canonico anathemate feriuntur:[2] Clemens V. quippe in concilio, Viennensi, anno 1311, statuit ut communitatum potestates, capitanei, rectores, consules, judices, consiliarii, aut alii quivis officiales, alios ad solvendas usuras scienter compellentes sententiam excommunicationis incurrant. Cæterum quamvis statuta communitatum quorumdam locorum occasionem præbuerint huic decreto, quæ intra tres menses jussit pontifex revocanda, qui legem suprema civili auctoritate latam exequuntur, in nullam pœnam incidere censentur. Quod si quis scienter compulerit alium absque justo titulo ad usuras ultra legis taxam solvendas, utique peccat, et ad restituendum tenetur, quidquid de excommunicatione sit, quam consuetudine sublatam verosimile est. Quid vero censendum sit de advocato, qui judiciorum more expetit nomine clientis æris alieni solutionem, chirographo, velalio instrumento suffragante, quo tamen usuras includi novit? Non videtur peccare, quum clientis nomine sortem præcipue quærat; et creditoris sit vitium usuræ, si adsit, ostendere.

105. Ministri præcipui fœneratorum peccant, et ad restituendum tenentur, saltem qui efficacem præstant operam ut exigantur ab invitis. Sic campsoris, vel alterius pecuniam mutuam dantis, præcipuus minister, qui de auctario nimio paciscitur, quique illud invito extorquet, reus est, et ad restituendum ligatur: est enim efficax injuriæ causa. Quod si ministri vel famuli tantum scribant rationes

(1) L. iii. n. 785. (2) Clem. *Ex gravi*, de Usuris.

Digitized by Google

juxta jussa campsoris, vel numerent pecuniam, vel similem adhibeant operam, a restitutione, et plerumque a peccato excusantur: nec enim hujusmodi actiones proxima sunt damni occasio. In mensis nummulariis et officinis omnibus publicis, scribæ et ministri juxta certas regulas sibi præscriptas agentes, non videntur culpandi, licet de quibusdam negotiis vereantur ne adsit usuræ labes: nec enim censentur suo uti judicio in rebus hujusmodi, quæ totæ pendent ex rectorum voluntate.

§. V. Pœnæ usuræ.

106. Pœnæ gravissimæ usuræ in jure, tum canonico, tum civili, decernuntur. Infames habentur utroque jure.[1] Privantur communione altaris et ecclesiastica sepultura.[2] Nequeunt absolvi antequam de usuris satisfecerint, vel cautionem dederint idoneam; quibus neglectis eorum testamenta sunt irrita.[3] Contra clericos qui moniti non desistunt ab usuris exercendis, decernitur suspensio ab officio et beneficio ferenda; et contra laicos excommunicatio item ferenda.[4] Hæ omnes pœnæ usuras certas et notorias respiciunt, non autem contractus quos theologi probabiles ab ea labe eximunt, licet alii contradicant. Ad pœnas ecclesiasticas quod attinet, nullæ apud nos in hac re vigere noscuntur, quum pleræque sint ferendæ sententiæ, nec facile constet de usura, ob rationem agendi communiter servatam, et titulos speciosos quibus auctarium vindicatur. Igitur in sacro pœnitentiæ tribunali præcipue de usura judicandum, et repellendi ab eucharistia qui usuras manifestas exercent, nisi excessum restituant. Cæterum episcopis silentibus, nullus presbyter debet de contractibus consuetis inter probos viros publice ferre judicium, vel aliquem usurarii nomine facile notare, vel ecclesiasticam ea de causa denegare sepulturam. Pœnæ civiles usuræ fere nullæ sunt in plerisque fœderatis provinciis, vel vim nullam obtinent, quum, omnibus conniventibus, locus evadendi detur. Equidem lege Pennsylvaniæ si quis sex nummorum auctarium excedat in obligationibus scriptis "*bonds*" vulgò dictis, seu contractibus, sortem integram amittet, re probata, et dimidium cedet accusatori, alterum dimidium fisco.[5] Eadem lex

(1) Cap. *Infames*, causa 3. qu. 7. et L. *improbum*, Cod. *ex quibus causis irrog. infamia.*

(2) Cap. iii. *de Usuris.*

(3) C. ult. *de Usuris* in 6.

(4) Cap. vii. *de Usuris.*

(5) Purdon's Digest, art. *Interest.*

Digitized by Google

in Delavaria viget.[1] In Nova Jersæa chirographa, cambialia, obligationes, hypothecæ; contractus, pacta, et cætera instrumenta irrita sunt quoties nimium auctarium exigitur.[2] In statu Mississippiensi si quis plusquam decem pro centum nummis mutuis vere datis, vel octo pro centum alias debitis exigat, nihil ultra sortem recuperare poterit.[3]

(1) Vide *Laws of Delaware*, art. *Interest*.
(2) *Elmer's Digest*, art. *Interest*. (3) Act June 25, 1822.

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE MONTIBUS.

§. I. De montibus pietatis.

107. *Montes* dicti sunt acervi pecuniæ, frumenti, vel rerum aliarum: *montes pietatis* sunt acervi hujusmodi in pauperum levamen. Ut modus poneretur enormibus Judæorum usuris, instituti sunt publica auctoritate montes hujusmodi, ex quibus mutua dabatur pecunia pauperibus, pignore accepto, adjecto etiam onere denarii singulis mensibus solvendi, ut impensis ministrorum, et custodiæ pignorum satis fieret. Si intra annum pecunia non redderetur, vendebantur publice pignora, et pretii ultra sortem et impensas excessus reddebatur domino pignoris, vel pauperibus, si ille non reperiretur. In Urbe Veteri primum instituti sunt, et a Pio II., anno 1463, Bulla muniti:[1] variæ tamen excitatæ sunt quæstiones de modica illa pecunia quæ sorti adjiciebatur; sed æquitas, justitia, et humanitas hujusmodi montium adeo claruerunt, ut conciliis Lateranensi V. et Tridentino fuerint probati. Per plerasque Italiæ urbes pii hi montes erecti sunt, civibus ditioribus pecuniam simul conferentibus, vel republica eam largiente ut mutua pauperibus dari posset. Montes *profani* deinceps instituti sunt, pecunia in necessitates publicas privatasque collecta. Conferentes pecuniam nihil ultra sortem sibi olim comparabant; sed in montibus qui dicuntur *mixti* modicum auctarium tribuitur ratione damni emergentis, vel lucri cessantis. "Adducit P. Concina litteras Pauli III., Julii III., et Pii IV. in quibus id conceditur, sed cum his limitationibus, ut deponentes pecuniam id faciant zelo charitatis erga pauperes, et alias paratas habeant emptiores, ex quibus licite lucrari possent."[2]

108. Apud nos qui pignore accepto mutuam dant pecuniam, montes eatenus imitantur; sed pro modico auctario usuram magnam accipi-

(1) Vide montium originem et naturam fuse explicatam a P. F. Zech. e S. J. *Dissert.* ii. *De Montibus Pietatis.*

(2) S. Alphonsus l. iii. n. 765.

Digitized by Google

unt, quæ tamen lege plerumque definita est.[1] Rationes quibus lex nititur plures recensentur, quod scilicet magno incommodo munus hoc exerceatur, rerum plerumque minutarum, vel facile terendarum, custodia assumpta, et quod in magnam cedat pauperum utilitatem. Quamdiu intra limites lege vel consuetudine legitima constitutos se continent pignoris custodes, non audemus eos damnare; sed qui eos prætergrediuntur, usuræ vitii, cum magno pauperum detrimento, rei fiunt.[2] Pretii excessum, quando pignora vendere contigerit ob mutuum haud redditum, dominis reddere oportet: quod si hi non compareant intra tempus lege definitum,[3] non videtur licere eum retinere; non enim constat potestatem civilem alto dominio ea in re usam esse. Alioquin pactum quod *legis commissoriæ* dicitur,[4] quo

(1) Leges plures Anglicæ hac de re latæ sunt; "By stat. 29, Geo. iii. c. 57, confirmed by stat. 31, Geo. iii. c. 52, and 33, Geo. iii. c. 53, pawnbrokers are allowed the following rates of profit for interest and warehouse room. For every pledge upon which there has not been lent above 2s. 6d., one half-penny, for any time during which the said pledge shall remain in pawn, not exceeding one month, and the same for every month afterwards, including the current month in which such pledge shall be redeemed; for 5s. one penny; for 7s. 6d., one penny half-penny; for 10s., two pence; for 10s. 6d., two pence half-penny; for 15s., three pence; for 17s. 6d., three pence half-penny; for 1*l.* four pence, and so on progressively and in proportion for any sum not exceeding 40s; and for every sum exceeding 40s. and not exceeding 10*l.* at the rate of 3d., and no more for the loan of every 20s. of such money lent by the month; and so in proportion for any fractional sum. A party applying for the redemption of goods pawned, within seven days after the expiration of any month, may redeem them without paying any thing for the seven days, and applying after seven days, and within sixteen days pays the profit for one month, and the half of another month, but after the expiration of the first fourteen days, the pawnbroker may take for the whole month." Rees' New Encyclopædia, vol. v. art. *Brokers*.

(2) "Pawnbrokers are regulated in their dealings by the 39 and 40, Geo. iii. c. 99; which fixes the rate of interest to be taken by them, and prescribes the mode of disposing of the bailments when not claimed within the year. The taking more interest than the statute allows is an offence cognizable by a magistrate. 12 East. 673." Chitty's Blackstone, Note 23, l. ii. n. 451.

(3) "The Statute provides, that upon the sale of property above the value of ten shillings, according to the act, the surplus beyond principal, profit, and reasonable expenses of the sale, shall be paid to the pawner, or his legal representative, upon being claimed at any time within three years." Chitty's Blackstone, Note 23, l. ii. n. 451.

(4) Vide Kent's Commentaries, vol. ii. n. 583.

Digitized by Google

scilicet pignus in pœnam solutionis dilatæ cedit custodi, lege Constantini sublatum est: nec facile censendum est jure nostro sancitum.

§. II. De montibus profanis.

109. Mensæ publicæ nummulariorum, *banks* vulgò dictæ, montibus profanis adsimilantur, quatenus plurimis *actiones*[1] ementibus, ea fit pecuniæ copia, qua mercatoribus subveniatur, et publicis necessitatibus nonnumquam consulatur.[2] Initur hac ratione societas omnium, qui quum pecuniam repetere non valeant, emunt sibi censum annuum incertum, scilicet partem illam fructuum pecuniæ quam *rectores* mensæ singulis sex mensibus adjudicaverint. Habent quidem jus vendendi actiones; sed non ideo tollitur societas, vel damni periculum, quum actio majori vel minori pretio veneat, pro conditione florentiore, vel minus prospera, mensæ, et emptor in societatem actionis translatione adscitus, socii, qui recedit, occupet locum.

110. Juxta constitutionem Statuum Fœderatorum nihil præter aurum et argentum potest ex lege alicujus Status in æris alieni solutionem valere;[3] sed instituta est olim mensa nummaria Statuum Fœderatorum congressus auctoritate, quamvis quo jure disceptetur, tributa potestate chirographa emittendi; et in singulis Statibus plurimæ mensæ hujusmodi in dies eriguntur, adeo ut vix numerus iis constet. Fines autem præcipui ob quos mensæ instituuntur sunt se-

(1) Vox hæc usurpata est a mensa Vindobonensi: "The shares in that bank consist of *actions* delivered to those who have furnished funds, and which actions bear interest." Rees' New Encyclopediæ, vol. iii. art. *Bank of Vienna.*

(2) Origo mensarum hujusmodi ab earum conditione præsenti aliquantum diversa fuit: "Bank, or Banco *of Venice*, commonly called *banco del guira*, was established in the middle of the twelfth century.... It is properly a board of public credit and interest, or a general and perpetual purse for all merchants and traders, established by a solemn edict of the commonwealth, which enacts that all payments of wholesale merchandise, and letters of exchange shall be in banco, or banknotes; and that all debtors and creditors shall be obliged, the one to carry their money to the bank, the other to receive their payments at banco; so that payments are performed by a simple transfer from the one to the other... Venice may boast of having given the first example to Europe of an establishment altogether unknown to the ancients, and which is the pride of the modern commercial system." Ibidem, art. *Bank.*

(3) "No State shall... make any thing but gold and silver coin a tender in payment of debt." *Art.* 1. *Sect.* x. 1. *Const. of United States.*

Digitized by Google

curitatis causa, ut mercatorum civiumque cæterorum pecunia apud eam deponi possit; et commercii fovendi ergo, pecunia mutua data, deducta legitima usura; et cambia moderandi. Nihil auctarii deponentibus pecuniam datur, quum eam pro arbitrio retrahere possint: in usura exigenda legis norma attenditur: cambia autem ex rerum conditione, quæ in dies variatur, pendent. Peccant mensarum rectores qui deposita pergunt accipere postquam se impares solvendo norunt; nam fidem deponentium fallunt cum gravi eorum detrimento. Peccant emittendo chirographa ultra limites in lege designatos: sic enim lucrum quærunt ex charta monetali absque legitima auctoritate emissa, et faciunt ut ipsa vilescat. Peccant exigendo usuram nimiam, legis præcepta variis artibus in irritum mittentes. Peccant exigendo lucrum majus eo quod fert campsorum generalis consensus.

111. Fraus admittitur si actiones mensæ ab initio clam vendantur, quum lex jubeat eas palam vendi, loco et tempore definitis. Qui eas occultò comparant, privilegio gaudent cum aliorum injuria, quum omnibus sit facultas eas emendi, quas nonnisi pretio majori sibi comparare deinceps poterunt. Cæterum difficile est restitutionem injungere; nec enim constat, quis damnum passus sit, vel quousque. Peccant plane contra justitiam qui emptis actionibus falsos spargunt rumores, et inanem spem præbent lucri, ut actiones plurimi veneant: vel qui ejusmodi artibus earum minuunt pretium, eas sibi comparaturi. Quoties constat pretium inique auctum, vel minutum, excessum oportebit compensare, singulis quibus injuria facta est, satisfaciendo, vel si de iis non constet, pauperibus elargiendo subsidia.

112. Contingit nonnumquam chirographa mensarum alienarum in mensam publicam conferri, vel in solutionem æris alieni, vel depositi loco, quæ si a quopiam e vulgo offerantur, vel non accipientur, vel minoris habebuntur, prout apud plerosque valent: sed oblata ab amico præcipui nummularii, vel ab aliquo e mensæ rectoribus, recensebuntur auri vel argenti instar, quia erit nummulario copia in rebus gerendis integrum recipiendi valorem. In ea agendi ratione injustitia manifesta est, nisi specialis causa occurrat discriminis: quæ forsan reperiri poterit in beneficiis mensæ collatis ab eo qui hoc inde percipit commodum, v: g: quod pecuniam plurimam in ea deposuerit, nullam inde relaturus usuram. Quæ autem clam geruntur a scribis in sui vel amicorum utilitatem, vel quæ aliquis ex rectoribus, privatis suis commodis studens, facit ut lucretur, ex nummorum mutatione, fraudis labe non carent.

Digitized by Google

113. Tenentur mensæ rectores ad chirographa sua redimenda auro vel argento: sæpe autem contingit ob plurima emissa id fieri non posse, quapropter *suspensio* hujusmodi rationis solvendi fit. Quoties id factum est ex eo quod limites a lege statutos præterierint, nimia chirographorum emissione, injustitia admittitur, quum nummi valor una cum fide mensæ minuatur. Qui igitur apud mensam aurum, vel argentum, vel chirographa paris valoris deposuerunt, damnum grave patiuntur, chirographis quæ minus valent iis redditis.

114. Qui pecunia deposita utuntur ad suas utilitates promovendas, vel actiones in alienis mensis emendo, vel alio quocumque pacto, præter eam rationem quam mensæ leges admittunt, peccant, quia fiducia creditorum vel sociorum mensæ abutuntur, et magno se discrimini objiciunt damnum gravissimum iis inferendi. Equidem tota quæ penes mensam est pecunia est ita impendenda, ut negotiis legitimis augeatur res communis cum sociorum lucro: subtracta igitur pecunia, quædam injuria his fit, et gravioris detrimenti causa temere ponitur.

115. Præter montes hos profanos in quibus societas quædam initur, est arca quædam[1] in plerisque urbibus, in quam opifices famuli aliique pecuniam conferunt, modicam quandam usuram, quatuor scilicet pro centum nummis, inde derivaturi. Pecunia sic collecta impenditur a cœtu virorum qui actiones emerunt, vel societatem inierunt, instar aliarum mensarum nummariarum, quique eam mutuam dant, hypotheca in bona immobilia accepta, vel alias lucrum inde quærunt. Sex quidem nummi pro centum recipiuntur ab arcæ curatoribus qui pecuniam sibi creditam dant mutuam; quatuor collatoribus dantur; duobus in impensas, et damna quælibet retentis. Quum plerique qui pecuniam sic deponunt nullam aliam habeant lucrandi ex ea rationem, dubitari potest utrum liceat usuram illam modicam accipere, nec enim societas ab iis initur, certum quippe jus retinent, in omni rerum eventu, sortem cum usura repetendi. Legis titulo admisso facile vindicatur hæc agendi ratio; quæ alioquin magnas affert utilitates opificibus, famulis, aliisque minus divitibus, quorum pecunia conservatur et augetur, ut senectæ, et valetudini afflictæ consulatur. De similibus arcis monetalibus, quæ in Galliis habentur, S. Pœnitentiaria interrogata, eas approbavit: sed non constat eas ejusdem prorsus generis esse, sors quippe in iis alienari dicitur.

(1) *Saving funds Institution.*

Digitized by Google

§. III. De actionibus universim.

116. Actionum nomine uti supra indicavimus, placuit vocare jus quod quisque sortitur ad lucri partem, collata pecunia in mensam publicam: quotquot scilicet certam pecuniæ summam dant, socii fiunt mensæ, et lucri sicut et damni participes: ex eorum numero electis quotannis, communibus omnium suffragiis, qui res gerant, mensæ *rectores* ideo nuncupati. Bis in anno subducuntur rationes, et lucri divisio fit, servata quadam portione ut casibus inopinatis non desint subsidia. Actiones has comparari posse, et lucrum percipi absque peccato liquet, quia est societas quædam, periculo sicut et lucro communi: quapropter actiones minori vel majori pretio veneunt, et lucri divisio variatur pro mensæ conditione. Crucem alicui figere potest quod plurima fiant a mensæ rectoribus, vel ab officialibus, quæ usuræ labe infici videri possunt. Cæterum quum ipsa mensæ institutio cum magna omnium utilitate sit conjuncta, et plurimæ suppetant rationes lucri honesti ex cambiis, et negotiatione alia monetali, socii possunt tuta conscientia rectorum et officialium permittere conscientiæ et judicio, quid in unaquaque re liceat.

117. Præter mensas nummarias initur societas hujusmodi ad vias ferreas extruendas, ad canales fodiendos, et ad omnia fere rerum publicarum genera: quam licere manifestum est, quum magnam afferat utilitatem civibus universis, et haud sine discrimine suæ pecuniæ ab unoquoque ineatur. Equidem raro contingit eos qui actiones hujusmodi comparant lucrum inde derivare.

118. Aliquando Gubernium, sæpius municipium, mutuam quærit pecuniam, usura quadam oblata, nonnisi post aliquot annos recipiendam. Constat licere usuram hanc accipere, quum onus sit pretio æstimabile sua pecunia tamdiu carere, et alioquin actionum valor possit minui ex rerum vicibus prout sæpe contingit.

119. Ad rem nostram animadvertit recens scriptor Gallus:[1] "licitam esse negotiationem actionum quæ constituuntur in pontibus, canalibus, viis ferreis, foliis diurnis, libris edendis, officinis industrialibus, publicis diversarum regionum campsis, etc; hæ actiones nihil aliud sunt quam jus ad emolumenta ex prædictis institutionibus provenientia certo quodam pretio acquisitum; porrò tale jus sane pluris

(1) D. Lyonnet, Tract. *de contractibus*, in cursu completo Theologiæ, vol. 16.

Digitized by Google

vel minoris vendibile est prout emolumenta sunt majora et certiora, vel minora et incertiora; ergo. . . . Licitas esse varias pecuniarum collocationes quæ fiunt in arcis gallice dictis *caisses d'epargne*, *banque de prévoyance*, *agences de placemens*, et similibus quæ cum emptione censuum aut actionum coordinantur; ratio, quia istæ societates nomine collectivo emunt ex pecuniis sibi creditis census publicos, aut actiones quorum redditus distribuunt inter pecuniarum collatores proportionate ad contributionem cujuslibet, adeo ut quisque pecuniam conferens in prædictis arcis aut campsis sortem prorsus alienet. . . D. Dufetre, vic. gen. Turonensis, mihi ostendit responsum quod S. Pœnitentiaria direxerat 17 Decembris, anno 1832, ad Parochum diœcesis Claromontanæ in confirmationem et approbationem prælaudatarum campsarum. Igitur tuta conscientia agunt qui eam eligunt viam ad lucrandum ex pecunia."

§. IV. De re monetali.

120. Olim apud plerasque gentes auro et argento pecunia constabat, cupro etiam ad valorem inferiorem exhibendum usurpato: quæ consuetudo in Europa adhuc late viget. Quoties metalla hæc, juxta communem hominum æstimationem, valori externo, qui regia, vel alia suprema auctoritate definiebatur, respondebant, vix ullus erat quæstionibus locus: sed nonnunquam in rerum angustiis vilius metallum pretioso immiscebatur, vel ponderi aliquid detrahebatur, quin pecuniæ valor externus minueretur: unde factum ut plurimæ nascerentur difficultates de solvendo ære alieno, utrum scilicet metallorum ipsorum habenda foret ratio, vel edicti regii et valoris eo definiti. Sic etiam quum in regnis diversis valor pecuniæ non eadem ratione decerneretur, non adeo facile nummorum commutatio fiebat absque justitiæ læsione. De his erudite disseruit P. Paulus Laymann e S. J.[1] qui iis temporibus floruit in quibus sæpius nummorum valor mutatus est. Censuit ipse populi consensum, præter causam gravissimam, plerumque requiri, ut monetarum valor mutetur, omnium enim interest, et "quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet."[2] Mutatione autem facta, contractus prius initi perficiendi videntur valore metallorum per se spectato, qui enim centum aureos mutuos

(1) De Justitia Tract. iii. par. i. cap. v. *De monetæ falsatione ac mutatione.*
(2) Reg. xxix. in 6.

Digitized by Google

accepit, satisfacere censendus non est, si pecuniam tanti valentem ex regio edicto, sed per se inferiorem, reddat; jus quippe habet creditor ad nummos quales dedit accipiendos: nam aliud pro alio, invito creditore, solvi non potest. Hinc jurisconsultus "Paulus respondit, debitorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit."[1] Cæterum si de monetæ specie reddenda inter contrahentes convenerit, mutati valoris non habetur ratio, sed nummi promissi dandi sunt, quidquid sit de valore: quia "contractus ex conventione legem accipiunt:"[2] Quoties de monetæ specie non convenit, et valor legitima auctoritate immutatus est, hic spectandus est, sive auctus sit vel imminutus, adeo ut pecuniæ summam reddere debeat creditor, nummis prout jam valent computatis: secus si "improba fœneratorum et campsorum consuetudine, populo reliquo non consentiente, sed improbante,"[3] valor sit mutatus, nam nulla est hujus ratio habenda, in solvendis debitis, præsertim antiquis.[4]

121. Jam verò ad rerum apud nos conditionem ut veniamus, auri et argenti copia quum desit, chirographis mensarum nummulariarum commercium plerumque geritur. Nummi aurei pondus aliquatenus imminutum est, præside Andrea Jackson; sed hujus rei vix habetur in negotiis ratio: chirographorum autem valor in dies mutatur, prout fides mensarum vacillat, vel viget, ipsis legibus pro partium studio fixis et refixis.

122. Unicuique licet aurum vel argentum a debitore exigere, quum constitutio Statuum Fœderatorum nullam aliam agnoscat legitimam solutionem: quod si quis acceperit chirographa eo tempore quo minus valebant, non potest absque injustitia ad reddendum aurum vel argentum cogi. E contra injuria fit creditori cui chirographa minus valentia dantur, quæ ipse cogitur recipere ne totum quod sibi debetur amittat. Plerumque quæ circumferuntur chirographa mensæ constitutæ in civitate præcipua a civibus ibi accipiuntur in æris alieni solutionem, etsi alibi minus valeant. Qui extra provinciam degunt, loci ubi solutio facienda est, normam in ære solvendo sequuntur.

123. Qui aurum vel argentum custodiæ causa apud aliquem priva-

(1) L. xcix. ff. *de solut.*
(2) L. i. §. 6. *Si convenit*, ff. *depositi*, et reg. xxiii. ff.
(3) Laymann, ubi supra, n. 16.

Digitized by Google

tum deponit, qui emit chirographa quæ minus valent, ut ea ratione lucretur, habet jus exigendi aurum vel argentum præ chirographis, si in mandatis non dederit ea emere. Quod si emptione lucratus sit alter, lucrum poterit retinere, quum sua industria sit comparatum, haud absque sui periculo. Culpandus autem est qui temere de pecunia aliena negotiatur.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

DE CAMBIO ET CENSU.

124. Cambium dicitur permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro campsoris. *Verum* cambium est quando reapse permutatur pecunia: *siccum*, seu fictum dicitur, quando mutui velandi causa fieri fingitur. *Manuale* cambium fit, quando de manu ad manum permutatur pecunia diversi generis: v: g: aurea cum argentea. *Locale* cambium est permutatio pecuniæ præsentis cum distanti: v: g: si quis campsori mille nummos det Philadelphiæ, litterasque cambii recipiat, ut pecunia sibi vel alii, jussu suo, Parisiis solvatur.[1] Cambium *temporale* est illud quo quis dat pecuniam post tempus, vel eodem loco, vel alibi recipiendam. Sic plerumque litteræ cambii dantur triginta vel sexaginta post dies solvendæ.

125. Licet quoddam lucrum ex cambio vero manuali derivare: nam diversæ nummorum species nonnisi labore, impensis, et periculo comparantur, ut campsori præsto sint in publicum commodum; quod si id cum campsoris utilitate aliquando contingat, id bonæ ejus fortunæ tribuendum, quin desinat per se pretio æstimari. Hinc licet nummos aureos vendere eo quo valent pretio, eosque emere, premio quod consuevit a plerisque dari præstito. Ipse campsorum consensus pro rerum in dies varietate normam præbet valoris diversarum monetarum. Idem de chirographis mensarum dicendum, nam valent quanti a plerisque æstimantur pro mensæ conditione: sed peccant qui artibus iniquis et mendaciis eorum valorem augent vel minuunt: vel qui ea emunt venduntque pretio ab eo quod plerumque obtinent diverso, ignorantia et simplicitate aliorum abusi: vel qui ea vendunt, postquam mensa cecidit, vel quam certò norunt mox casuram.

126. Ex cambio locali licet derivare lucrum, nam campsori aliquid debetur ob industriam, qua copiam pecuniæ in longinqua regione

(1) "A Bill of Exchange . . . is an open letter of request from one man to another, desiring him to pay a sum named therein to a third person on his account." Blackston. Comm. l. ii. n. 467.

Digitized by Google

impetravit, ut aliorum commodis inserviret: quod plerumque impensas secum fert et damni periculum. Si utilitas lucrumque ex utraque parte illi proveniat, non ideo jure cadit exigendi mercedem ob rem quæ per se pretio æstimanda est. Eadem verò est norma lucri, communis scilicet campsorum consensus.

127. Cambium temporale aliquando purum putumque est mutuum, ideoque de eo judicandum juxta ea quæ alibi tradidimus: sed quandocumque bona fide fit, potest esse lucri causa, ob rerum vices intra spatium illud temporis quod cambio definitur; eo magis si cum loci varietate, vel monetarum permutatione concurrat.

128. Quoties recusat ille ad quem litteræ cambii diriguntur, eas acceptare et agnoscere, protestatio fit a notario publico, quæ intra quatuordecim dies communicanda est litterarum auctori, juxta leges Angliæ:[1] apud nos autem protestatione opus non est, sed die sequenti vel quamprimum monendus est, sicut et alii per quorum manus traditæ sunt litteræ, quique accepta pecunia iis inscripserunt sua nomina; ut jus sit eam recuperandi.[2] Si acceptaverit litteras, nec tamen tempore statuto solverit, protestatio facienda est, et remedium juris datur contra ipsum, vel auctorem litterarum, vel aliquem ex iis qui prius sua inscripserunt nomina. Nemini autem licet se immunem reddere celandis bonis suis, vel arte aliqua, quum quisque suo nomine inscribendo se obnoxium fecerit. Nec excusatur, licet nihil reapse debuerit; nam onus solvendi sibi assumpsit, aliisque fuit damni occasio.

129. Campsores[3] apud nos operam plurimam impendunt vendendis et emendis *actionibus*; scilicet juribus partem quandam habendi in mensis nummariis, vel in ære alieno Gubernii,[4] et in collegiis ci-

(1) Vide Blackston. Comm. l. ii. n. 469.

(2) "In all cases, whether of an inland or foreign bill, if it be presented and acceptance is refused, prompt notice (within fourteen days will not suffice, but usually the next day to the immediate indorser, and each indorser is allowed a day) must be given to the drawer and indorsers, or they will be discharged from responsibility." Chitty in Blackston. Ibidem. Note 44.

(3) *Brokers, Bankers.*

(4) De debito nationali loquens Blackstonius ait: "A system which seems to have had its original in the state of Florence, A. D. 1344: which government then owed about 60,000*l.* sterling: and being unable to pay it, formed the principal into an aggregate sum, called metaphorically a *mount* or *bank*, the shares whereof were transferable like our stocks, with interest at five per cent., the prices

Digitized by Google

vium quæ vias ferreas canalesve dirigunt. Hæc per se licere jam diximus; sed constat campsores inter se fictis emptionibus aliisque artibus pretium actionum minuere, sæpe vel augere, unde fit ut plurimi damnum patiantur. Justitiam lædi putamus quoties arte quadam valor variatur, saltem ni dolus ejusmodi sit qui a campsoribus, pro consueta agendi ratione, detegi possit. Cæterum adeo consueverunt fingere, et inter se veluti ludere, ut quilibet sibi plerumque caveat, et vix se deceptum queratur. Peccant procul dubio omnes qui, artibus iniquis et rumoribus falsis, actionum valorem in sui commodum augent, vel minuunt; quod fieri dicitur ab ipsis collegiis civium, qui actiones ita sibi comparant minimo pretio, deinceps maximo vendendas.

130. *Census* annuus est contractus quo emitur et venditur jus percipiendi pensionem annuam ex re, vel persona aliena. *Realis* dicitur qui in re fundatur, v: g: agris, ædibus: *personalis* qui personam tantum obligat, nulla re in securitatem præstita: *mixtus* qui solvendus est a quodam ex sua industria, vel pecunia, ædibus vel aliis rebus immobilibus alioquin obnoxiis.[1] Census aliquando servatur solvendus ei qui rem transtulit ad alium, ea conditione apposita; aliquando creatur ab aliquo qui se vel res suas obligat ad eum solvendum. Ad vitam cujusdam nonnunquam constituitur, ejus morte extinguendus;[2] aliquando ad annos quosdam: aliquando perpetuus est. Eum redimendi datur nonnunquam facultas, quando licet venditori censum extinguere reddita pecunia: quod si emptor etiam possit repetere pecuniam, dicitur utrinque *redimibilis*.

131. Licere reservare sibi pensionem annuam, ex re quam quis ad alium transfert, liquet dummodo alioquin conditiones translationis æquæ sint. Licere etiam constituere censum, sive in fructibus prædiorum, sive in pecunia ex prædiis, vel ædibus derivanda, omnes fere

varying according to the exigencies of the state." L. i. Comm. n. 327. Citat Aretinum: "Pro tempore, pro spe, pro commodo minuitur eorum pretium atque augescit."

(1) "Annuity is a thing very distinct from a rent charge, with which it is often confounded; because a rent charge is a burden imposed upon, and issuing out of lands; whereas, an annuity is a yearly sum, chargeable only upon the person of the grantor." Rees' New Encyclopædia, vol. iii. art. *Annuity in Law*.

(2) "The most general division of annuities is into *annuities certain;* and annuities, the payment of which depends on a *contingency;* such, in particular, as the continuance of a life." Ibidem, art. *Annuities*.

Digitized by Google

theologi censent; quamvis enim eo pacto major pecuniæ summa ea quæ data est recipiatur, tamen jus ad eam recipiendam per illa temporum intervalla non videtur pretium excedere: præsertim si damni sit periculum, ædibus dirutis, vel prædiis ad sterilitatem redactis. Hinc, quamvis theologi nonnulli olim dubitarint utrum liceret, quum speciem mutui obvelatam censerent, vicit sententia adversa, quam probarunt Martinus V. et Calixtus III.[1] Censum personalem licere plurimi contendunt, quoties bona fide agitur: eum tamen prohibuit S. Pius V.[2] ob periculum mutui velati: quæ prohibitio in plerisque locis consuetudine contraria abrogata est. Ubique cavendum ne conditiones sint iniquæ, quibus usuræ labes insit.[3] In Anglia lege cautum est ne fraus admittatur; et remedium a curia præbetur.[4] Apud nos non adeo frequens est census contractus, quum tot aliæ lucri suppetant rationes.

(1) In suis Extrav. (2) Constit. *cum onus*.

(3) "If by the terms of the contract, the lender's principal is *bona fide* (and not colourably) put in jeopardy, no inequality of price will make it a usurious bargain." Blackston Comm. l. ii. n. 462.

Digitized by Google

CAPUT IX.

DE SOCIETATE.

132. Contractus *societatis* est duorum vel plurium conventio conferendi aliquid ad lucrum et damnum commune, proportione æqua servata. Conventio hæc fieri potest absque scriptura, vel alia solemnitate, jure cæsareo; sed plerumque scripto initur.[1] Nonnunquam socii omnes pecuniam et industriam suam conferunt: aliquando alius dat pecuniam, alius suam adhibet industriam. Conditiones societatis ex contrahentium voluntate pendent, quæ tamen æquæ esse debent; nec enim licet onus nimium alterutri imponere, etiamsi ipse ex quadam necessitate, vel spe nimia lucrandi, consentiat. "Dum societas contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur."[2] "Societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiat, et hanc societatem Leoninam solitum Cassium appellare leges declarant."[3]

133. Quoties societas initur chartæ publicæ sanctione munita, sociorum singulorum bona non sunt creditoribus obnoxia, sed ea tantum quæ cœtus sunt: cæterum peccant qui temere contrahunt æs alienum, hoc usi præsidio: si desit specialis illa sanctio, sociorum bona omnia obnoxia sunt, licet ex alterutrius tantum culpa æs alienum contrahatur, vel licet alter habeat minimum quoddam lucri vel damni consortium. In Pennsylvania, præter *generales* socios quorum nomine res geruntur, sunt nonnulli qui *speciales* socii dicuntur, qui scilicet certam quandam pecuniæ summam in societatis usum contulerunt, ultra quam non tenentur obnoxii. Eorum nomina instrumento scripto relata, una cum pecunia collata tabulis publicis insinuentur necesse est, et juramentum fiat de rebus ad societatem constituendam gestis.[4] Qui alterius culpa obnoxius factus est creditoribus, vix tenetur ad sponte solvendum, sed potest expectare ut lex executioni demandetur. Qui portionem parvam habuit; v: g: decimam sextam, satis facere videtur, si pro rata parte solvat: cogitur autem lege totum solvere, si valeat.

(1) L. iv. ff. *pro socio.* (2) L. *Si unus est*, ff. eodem.
(3) L. *Si non fuerint.* ff. eodem.
(4) Vide legem 21 Martii 1836, apud Purdonem, art. *Partnership.*

Digitized by Google

134. Peccant socii rebus communibus utentes in privatum sui commodum, aliis invitis; vel privato studentes lucro, dum communi vacare debent. Quoties eas prodigunt, debent damnum aliis illatum resarcire; sicut et debent in commune ærarium conferre quidquid negotiando acquisierint. Si negligant suas partes implere, vel si temere se implicent negotiis quæ felicem exitum vix sunt habitura, sociis satisfacere debent.

135. Magna olim exarsit controversia inter theologos de contractu trino, qui scilicet tres in se complectebatur, quamvis unicus foret. Fiebat data ab aliquo alteri pecunia ad negotiandum, ea conditione ut, in omni rerum eventu, sors illi reddetur integra, cum certo quodam lucro. Societas iniri censebatur, quum alter pecuniam, alter industriam conferret, et negotia gererentur in communem utriusque utilitatem. Cavebat de pecunia socius alter, ea lege ut major pars lucri sibi cederet, qui contractus *assecurationis sortis* dicebatur: et quum lucrum foret incertum, de certo quodam lucro dando paciscebatur, qui erat contractus *assecurationis lucri*. Vix dubitari potest contractus hos diversos iniri posse cum diversis hominibus absque ulla usuræ labe, quum liceat de rebus incertis cum utriusque discrimine pacisci: sed quoties inter eosdem agitur, contendebant plurimi theologi cautionem præstitam de sorte reddenda tollere societatem, et mutuum constituere. Equidem liquet mutuum ea ratione sæpe obtectum, quapropter Sixtus V. contractum hujusmodi damnavit:[1] cæterum non constat eum veluti per se illicitum reprobatum, quapropter ea ratio contrahendi plerisque in locis obtinuit, ubi prohibitio consuetudine mitigata est, seu abrogata. Litis diremptio ex controversia de usura pendet, quæ, quod pertinet ad commercium, adhuc sub judice est.[2] In Pennsylvania lege cavetur ne pecunia in societatem collata a socio speciali ei reddatur, nisi postquam creditoribus satisfactum fuerit. Cæterum permittitur quotannis usuram legitimam accipere, et lucri partem, si quid supersit.[3]

(1) In Bulla quæ incipit *Detestabilis*.

(2) Quamvis pondus auctoritatis adversus sententiam quæ favet usuræ hujusmodi inclinet, attamen libenter agnoscimus nostrum non esse tantas componere lites. "Nous ne prendrons pas sur nous de décider la question célèbre qui est encore agitée entre les théologiens, pour savoir si *l' usure* légale, ou l' intérêt tiré du prêt de commerce est légitime, ou si c' est une injustice qui emporte toujours l' obligation de restituer." Bergier, Dictionnaire de Théologie, art. *Usure*.

(3) Vide *legem supra cit.*

Digitized by Google

CAPUT X.

DE CAUTIONIBUS.

136. *Assecuratio* dicitur contractus quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligatque se ad ejus valorem reddendum, si casu perierit. Sic solent aliqui cavere domibus, rebusque aliis, navibus præsertim: imo et vitæ hominum; seseque obligant ad resarciendum damnum intra certam pecuniæ summam, si incendium contigerit, (dummodo non fuerit tumultuante populo) vel si navis fuerit demersa. Hujusmodi contractus liciti sunt, quum onus suscipiatur prætio æstimabile: sed curandum ut pretium periculo respondeat. Hæc apud nos a cœtibus quibusdam ex legis sanctione, charta scilicet munitis, statuuntur, et justa habenda sunt nisi contrarium constet. Quando assecuratio fit navis ab eo qui pecuniam mutuatur qua merces comparet ad navem onerandam, usuræ labes contrahitur, nam tollitur periculum pecuniæ, ob quod usura magna promissa est.[1] Sed si ille qui pecuniam dat mutuam, etiam præstet cautionem de navis et mercium valore solvendo, si casu aliquo perierit, nil obstat quin premium idcirco accipiat, et usuram pro periculi ratione.

137. Peccant gravissime qui suas incendunt ædes ut pecuniam ultra earum valorem a societate assecurationis accipiant, nihil enim juris habent, sed gravissimis pœnis, capitis scilicet, juxta Angliæ leges subjacent. Injustitiæ quoque rei sunt qui pecuniam damno suo majorem exigunt, incendio casu vel malitia aliena contingente. Peccat etiam nauclerus qui sua incuria naufragio dat causam, vel qui ea celat quæ si innotuissent, cautio præstita nihil juris mercium vel navis domino tribueret.

138. Assecuratio vitæ alicujus fit quando ob premium semel

(1) "Although Respondentia and bottomry are of themselves a species of insurance, yet the lender has an insurable interest in his securities, and therefore may protect himself from the sea-risk by insuring them. However, a policy on bottomry or respondentia cannot be subscribed by the borrower of the money; for if he were to become an insurer, this would be no longer a loan upon bottomry, but a cloak for usury." Rees' New Cyclopædia, vol. xx. art. *Insurance*.

Digitized by Google

datum, vel ob pecuniam quotannis solutam, obligat se societas aliqua, vel vir aliquis, ad certam pecuniæ summam persolvendam, quando quendam mori contigerit. Quando ratio habetur ætatis, valetudinis, et aliorum adjunctorum, et pretium æquum datur, contractus hujusmodi licet; nam discrimen est quoddam ex utraque parte, et damni, sicut et lucri, sors incerta.

139. Hypotheca est contractus quo debitor rem aliquam immobilem creditori obligat ad debiti securitatem. Sic ædes, prædia, passim in hypothecam traduntur. Ea est hypothecæ vis, ut usura legitima solvenda sit creditori quotannis, et sors tempore statuto; quod si negligatur, poterit rei possessionem sibi vindicare, vel eam venalem exhibere, judicii tamen ordine servato. Navis in hypothecam traditur nonnumquam, pecunia mutua accepta eo pacto ut rependenda sit cum usura, itinere feliciter peracto, sed creditor immunis habendus sit si eam demergi, vel alias perire contigerit.[1] Merces quibus navis oneratur etiam in hypothecam traduntur simili adjecta conditione.[2] Magna plerumque exigitur usura, quæ maritima dicitur, ob periculum susceptum, duodecim pro centum, vel plus ex contrahentium pacto: quam licere liquet, quum jus ad sortem, si quid adversi contigerit, amittatur.

140. *Fidejussio*[3] est contractus quo quis suscipit obligationem solvendi debitum alienum, si debitor ipse non solvat. Fidejussor non obligatur strictius quam debitor, nam "accessorium sequitur naturam principalis;"[4] proindeque si contingat debitorem non adstringi ob vitium tituli quo creditor nititur, fidejussor liber erit: non ita, si debitor impar solvendo, beneficio legis utatur; nam fidejussor ligatus

(1) "Bottomry is a contract in the nature of a mortgage of a ship, on which the owner borrows money, to enable him to fit out the ship, or to purchase a cargo for a voyage proposed; and pledges the keel or bottom of the ship (*partem pro toto*) as a security for the repayment. It is moreover stipulated, that if the ship be lost in the course of the voyage, by any of the perils enumerated in the contract, the lender also shall lose his money; but if the ship should arrive in safety, then he shall receive back his principal, and also the interest agreed upon, generally called the 'Marine Interest,' however this may exceed the legal rate of interest." Rees' New Cyclopædia, vol. v. art. *Bottomry*. Vide et Blackston. Comm. l. ii. n. 458, cujus verba fere exscripsit.

(2) "Bottomry is a loan upon the ship, and respondentia upon the goods." Ibidem.

(3) *Bond, Bail-bond, Security, Recognizance.*

(4) §. i. Inst. *de fidejussoribus.*

Digitized by Google

manet. Cessat fidejussionis vis, si quid in obligatione novetur, absque ejus consensu.[1] Si plures simul fidejubeant, singuli pro rata parte tantum tenentur, nisi sese in solidum verbis perspicuis obligaverint: quod plerumque apud nos fit.[2] Fidejussionis obligatio transit ad hæredes.[3] Nequit fidejussor conveniri, nisi prius a debitore principali debitum fuerit petitum, et constet eum non esse solvendo.[4] Si tamen debitor absens sit, nec habeat bona liquida quibus creditori satisfiat, fidejussor obligatur. Fidejussionis instar est quando quis litteris cambii, vel chirographo alieno suum inscribit nomen,[5] ut pecuniam, deducta usura legitima, recipiat, prout fit apud mensas publicas. Si tempore statuto haud solvatur, *protestatio* fit a notario publico,[6] ut constet de solutione petita et neglecta; qua peracta creditor in jus vocat vel debitorem principalem, vel quemlibet ex iis quorum nomina inscripta sunt. Qui cogitur solvere, potest pecuniam et impensas omnes a principali debitore, vel ab alio qui prius suum nomen inscripserat, recuperare.[7] Nemini licet se arte fraudeve ab onere quod fidejussione suscepit eximere, quamvis enim ipse nihil forsan acceperit, et temere in tantum discrimen se conjecerit, ex justitia tenetur obligationem assumptam implere. Qui igitur opifices chirographis ab iis quibus res suas vendiderunt acceptis sua inscripserunt nomina, ut pecuniam a mensa nummaria acciperent, nequeunt pacto aliquo fraudulento sua servare bona, si contigerit creditores deficere. Qui se fidejussores præstiterunt officialibus publicis, nequeunt se immunes præstare, etsi horum fraude magnum eis proventurum sit damnum. Cæterum si familiæ suæ calamitas impendeat, quin reparari valeat damnum, cujus se fidejussores exhibuerunt, non audeo

(1) L. *Novatione facta*, Cod. *de fidejussor.* "If the holder of a promissory note takes upon himself to give further time for payment, or receives a part of the money, and gives time for the rest, the nature of the transaction is essentially changed, and the endorser is no longer responsible." Purdon's Digest, art. *Promissory Notes.* Notes.

(2) "An obligation of two individuals running thus: 'We bind ourselves, our heirs, executors and administrators, and every of them firmly by these presents,' is joint and several, 4 Watts 50." Ibidem, art. *Bonds. Notes.*

(3) §. ii. Inst. *fidejussor.* (4) Nov. iv. cap. i.

(5) *Endorser.*

(6) Id de litteris cambii, vulgo *Bill of Exchange*, intelligendum. "Protest of non payment is not necessary on a promissory note." 1 Dallas 235. 1 Yeates 145, 533. cit. Notes to Purdon, art. *Promissory Notes.*

(7) Lucius III. cap. Pervenit, *de fidejussor.*

Digitized by Google

damnare eos qui sibi suisque consulunt, quoad ea quæ sustentationi necessaria sunt. Qui fidemjusserunt reum sistendum judicio, obnoxii sunt si aufugerit: item qui "fidejussores de pace et legalitate tuenda"[1] dati sunt, obnoxii sunt mulctæ, si pacem legesque violaverit ille cujus vades se præstiterunt: cæterum si bona sua celent, vel alias mulctam cui subjacent solvere evitent, non videntur justitiam violare, nisi de debito, vel injuria prætio æstimanda agatur.

141. Juxta theologos nonnullos licet pretium exigere pro onere fidejussionis suscipiendo, quum sit pretio æstimabile. Id consuevit fieri in Statu Neo-Eboraceno ab iis qui sese aliorum debitis faciunt obnoxios, chirographis sua inscribendo nomina.

(1) Ita in legibus Eduardi confessoris præscribitur. Vide apud Blackston. l. iv. n. 252. "This security consists in being bound, with one or more securities, in a recognizance or obligation to the king." Ibidem, n. 253.

Digitized by Google

CAPUT XI.

DE EMPHYTEUSI.

142. Emphyteusis, quæ vox est Græca, est contractus quo rei immobilis dominium utile transfertur, directo retento, sub onere pensionis annuæ. Tenebatur emphyteuta rem efficere magis fructuosam, nam a serendis arboribus vox sumpta est: eo magis cavere debebat ne deterius prædium evaderet. Si neglexisset per tres annos pensionem solvere, ejiciebatur ex prædio, vel ædibus;[1] imo post biennium, si ecclesiastica esset emphyteusis. Poterat a domino exigere pretium meliorationum, quas Græci dicebant ἐμπονήματα,[2] et si noluerit dare, jus emphyteusis ad alium lege idoneum transferre.[3] Si rei interitus ex calamitate quadam contigerit, ad pensionem solvendam non tenebatur. Apud nos agri aliquando traduntur ea conditione, ut intra quoddam temporis spatium tot jugera fiant culturæ idonea, arboribus excisis, et ut sepibus agri circumdentur, et horreum, ædesque erigantur. Si per anni dimidium pensio non solvatur, potest dominus legis auctoritate bona coloni venditioni exponere, vel si copia eorum non sit ipsum ejicere. Sæpe ex fructibus agrorum quædam portio domino est solvenda: qua in re coloni fides et justitia spectanda est, ne inanibus ductus rationibus rerum veritatem celet.

143. *Feudum* est contractus quo sub onere fidelitatis et obsequii personalis transfertur rei immobilis dominium utile, directo retento. Ea contrahendi ratio medio viguit ævo, agris militibus traditis eo

(1) L. ii. Cod. *de jure emphyteutico.* "By the civil law, if a tenant who held lands upon payment of rent or services, or 'jure emphyteutico,' neglected to pay or perform per *totum triennium*, he might be ejected from such emphyteutic lands. . . The same remedy is in substance adopted by statute II. Geo. II. c. 19. §. 16." Blackston. Comm. l. iii. n. 233.

(2) Anglice: *improvements.* (3) L. iii. Cod. *de jure emphyteutico.*

(4) "When rent is due and unpaid, and when no judgment in a personal action has been had for the recovery of the same, the landlord, upon demand may enter immediately, by himself or his agent, upon the demised premises, and distrain any goods and chattels that are to be found there, belonging to the tenant or others." Kent's Comm. vol. iii. n. 476.

Digitized by Google

pacto ut dominum obsequiis quibusdam prosequerentur, et ad bellum sequerentur.[1] *Vassallus* dicebatur qui feudum obtinuerat, quique juramentum fidelitatis emittebat genuflexus, manibus suis inter domini sui manus positis. *Investitura* vocabatur ritus quo in possessionem feudi mittebatur, qui realis aliquando erat, aliquando signo aliquo constabat v: g : ense tradito, vel annulo. Quædam conditiones inerant feudo, quas qui violasset perduellione, vel graviori aliquo scelere, illo privabatur. Feudum ad alium transferre nequibat absque domini consensu. Plura huc pertinentia recensere non vacat, quum alius sit rerum apud nos ordo. Quæ possidebantur omni onere immunia, et jure absoluto dicebantur *allodia*. Hujusmodi censentur esse omnia in fœderatis provinciis, vel saltem ad eorum naturam accedere.[2]

(1) "The better, and the prevailing opinion, is, that the origin of the feudal system is essentially to be attributed to the northern Gothic conquerors of Europe. It was part of their military policy, and devised by them as the most effectual means to secure their conquests. The chieftain, as head or representative of his nation, allotted portions of the conquered lands, in parcels, to his principal followers, and they, in their turn, gave smaller parcels to their sub-tenants, or vassals, and all were granted under the same condition of fealty and military service." Kent's Comm. vol. iii. n. 493.

(2) "The distinction in this country, between feudal and allodial estates, either does not exist at all, or has become nearly nominal." Ibidem, n. 489.

Digitized by Google

CAPUT XII.

DE LUDO.

144. *Ludus* est contractus oblectantium animum, et deponentium aliquid cessurum victori. Alius regitur fortuna sola, ut ludus aleæ; alius industria sola, ut ludus pilæ; alius fortuna et industria simul, ut ludi chartarum. Licet ludere; quum enim unusquisque possit res suas donare, potest etiam eas discrimini objicere, easque victori cedere. Cæterum ludendi consuetudo facile graviorem inducit culpam, malaque innumera; peccant quippe qui, cum sui suorumque gravi detrimento, magnam pecuniæ summam ludendo exponunt; vel inde se reddunt impares debitis solvendis, vel qui ludis vacant, omissis suis muneribus; vel qui rixis, blasphemiis, aliisque peccatis ludendo se inquinant.

145. Qui ludendo lucratur aliquid ab eo qui pecuniam alienam discrimini objicit, nequit illud retinere, quum nemo possit alteri dare jus quo ipse caret. Hinc qui nummos lucratus est a scriba mercatoris, quos suos non esse novit, debet eos domino restituere. E contra si pecuniam furtivam exponens, ludendo victoriam reportet, nihil potest exigere, et si exegerit, tenetur ad restituendum, quum contractus esset injustus, ipso nihil habente quod jure solveret.

(1) "Now that cards and dice are of themselves lawful, I do not know any reason to doubt. For if they be unlawful, it is because they are forbidden, or because there is in them something that is forbidden. They are no where of themselves forbidden: and what is in them that is criminal or suspicious? Is it because there is chance and contingency in them? There is so in all human affairs; in merchandise, in laying wagers, in all consultations and wars, in journies and agriculture, in teaching and learning, in putting children to school, or keeping them at home, in the price of the market, and the vendibility of commodities. I know nothing else that can be pretended to render the nature of these things suspicious, and this is perfectly nothing: and as for the evil appendages which are so frequently attending upon these kind of games, besides that they also are as near to other exercises as to these, as to bowling, horse-racing, cock-fighting, the fight of quails and of partridges, bull-baiting, pall-mall, billiards, and all other games for money and victory, to some more, and to some less, besides this, I say, the evil appendages are all separable from these games." Jer. Taylor, *Duct. Dub.* l. iv. c. i. vol. 2. p. 473.

Digitized by Google

146. Qui alterum ad ludendum injuste coegit, tenetur, juxta plures theologos, ad restituendum quidquid ex eo lucrifecerit: quod quidem certum videtur de eo qui peritia ludorum pollens imperito vim fecit. Si uterque fuerit peritus, probabilius S. Alphonso de Ligorio videtur restitutionem non deberi, quum damnum ex infortunio et casu, non autem ex vi voluntati illata oriatur: licet tamen metum passo restitutionem exigere, ut injuria sibi facta tollatur. Preces etiam importunæ quibus quis ad ludendum fuerit inductus, voluntatis libertatem non destruunt, et proinde contractum ludendi irritum non faciunt.

147. "Non tenetur restituere," inquit Busembaum,[1] "qui utitur astutiis illis, quas regula lusus et consuetudo recepta patitur; cum uterque sciat, tales astutias esse solitas, et sic tacite in illas libere consentiat, v: g: Si potiores chartas habens, et securus de victoria augeat sponsionem, vel simulet metum, ut adversarius augeat. 2. Si sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, augeatque sponsionem, ut sic relinquatur sibi, quod erat appositum. 3. Si inspiciat chartas alterius ex sola ipsius negligentia, et absque fraude; secus si ita se collocet, ut possit videre; vel si alium constituat, a quo admoneatur. 4. Si chartas a tergo discat nosse inter ludendum, quas ante non signarat, nec noverat. Qui vero utitur fraudibus non adhiberi solitis, vel colludenti ignotis; v: g: suffuratur chartas, vel signis a tergo notat, vel utitur notatis, aut iis quas ante novit, ignorante socio, vel arte quadam eas componit, etc. tenetur restituere non tantum lucrum, sed etiam quantum alteri valebat spes lucrandi, imo etiam colludendi."[2] Quando quis certò usus est fraude dum luderet, ex qua utrum damnum provenerit, dubius hæret, S. Alphonsus de Ligorio censet eum ad restituendum teneri pro rata dubii. Notat etiam "non teneri lusorem monere alterum de suo errore, puta, si det manum, si numeret pro se minora puncta... quia sic fert communis mos lusorum."[3]

148. Ludos alearum districtim vetat jus civile.[4] "Nulli liceat in

(1) Apud S. Alph. l. iii. n. 882.

(2) "If I gain an advantage by packing the cards, glancing my eye into the adversaries hands, or by preconcerted signals with my partner, it is a dishonest advantage; because it depends upon means, which the adversary never suspects that I make use of." PALEY, *Moral Philosophy*, l. ii. c. viii.

(3) S. Alphons. *ubi supra.*

(4) L. *Alearum.* c. *de rel. et sumptibus fun.*

Digitized by Google

publicis, aut privatis domibus vel locis ludere, aut inspicere; et si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, (*victi scilicet ad solvendum,*) sed solutum reddatur, et actionibus competentibus repetatur ab iis qui dederunt." Consonant leges Pennsplvaniæ.[1] Hæ tamen habentur tamquam mere pœnales, quarum violatio lethalem maculam non inducit. Qui ludendo absque fraude lucratus est, potest lucrum retinere, donec sententia judicis ei fuerit ablatum. Victus tamen legis beneficio uti poterit; ideoque abstinere a solvendo; nam "frustra solvitur, quod statim repetendum est."[2] Si ludentes beneficio legis renuntiaverint, fideque præstita sese obligaverint ad solvendum, quin ullatenus apud judicem repeterent, cessio hæc non valet, quum bono communi repugnet. Cæterum si juramentum accesserit, non poterunt ad legem confugere; divini nominis quippe reverentia exigit, ut juramentum, quod absque peccato servari potest, servetur. Negat etiam S. Alphonsus, cum Lessio, victum posse juramenti relaxationem a prælato petere; nam contractus per se valet, et quod quis ludendo amisit, solvere nulla lege prohibetur. Qui autem solverit, quamvis possit judicio repetere solutum, si juramentum haud intercesserit, nequit tamen occulte sibi compensare, "quia dominium pecuniæ solutæ jam valide translatum est, unde repeti non potest, nisi coram judice."[3] Si victus ficte minitetur se in judicio repetiturum solutum, et victor consentiat transigere, pluribus theologis cum S. Alphonso videtur valere transactio; quidquid enim cedit victor, donat ut victus cedat juri, quo vere pollet, repetendi.

149. Vetant canones ne clerici aleis ludant: "Ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint."[4] Veterum canonum hac in re sanctam severitatem renovavit concilium Tridentinum,[5] contrariis reprobatis consuetudinibus. Cæterum pluribus in locis rigor ille adversa consuetudine mitigatus est: quin idcirco liceat clericis aleatoribus manifestis ea, quæ prava, ac corruptela censenda foret, se tueri.[6] Qui raro, moderate, et privatim, sine scandalo aleis ludunt, recreationis gratia, possunt a culpa vindicari, saltem gravi, in locis in quibus canones non rigide observantur.[7] Multo magis excusantur qui ludos alios, in quibus intervenit industria, ad animum recreandum adhibent. Cæterum scandalum maxime cavendum est,

(1) Vide Digest, tit. *Gaming.*
(2) L. *creditori* 5. *de pactis.*
(3) S. Alph. l. iii. n. 891. dub. 7.
(4) C. Clerici, *de vita et honest. cleric*
(5) Sess. xxii. c. 1.
(6) C. Inter dilectos, de excess. Præl.
(7) S. Alphons. l. iii. n. 899.

Digitized by Google

quod facile evenit, præsertim in his regionibus, in quibus Protestantes qui pietatem affectant, ab omni ludo hujusmodi abhorrent.

150. *Sponsio* est contractus quo duo vel plures de rei veritate vel eventu contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut sit ejus qui fuerit veritatem assecutus. Licet ita spondere, dummodo æquitas ex utraque parte servetur, nec occulta habeatur notitia qua rei veritas jam sit alteri explorata. Qui igitur novit ex certa alicujus relatione rem ita se habere, non potest cum altero id non suspicante, de ea spondere: hic enim putat de re incerta alterum tantum conjicere.[1] At si pertinax adeo sit aliquis ut rem affirmet, altero ei declarante contrarium sibi constare, nil vetat quin pecuniam quam periculo committit alter, sibi comparet, rei veritatem tuendo. Vetatur jure optimo legibus Pennsylvaniæ ne quis de electionum exitu spondeat: ex hac enim spondendi consuetudine fit, ut nimium adhibeatur studium, cum libertatis suffragiorum detrimento.

151. *Transactio* dicitur conventio onerosa qua res dubia et lite incerta componitur. Si jus alterius certum sit, alter nequit absque injustitia eum ad transigendum cum sui damno inducere: ideoque debet ei deinceps satisfacere. At nil vetat aliquem jure suo cedere, præsertim si ex casu fortuito, v: g: ludo, sponsione, ortum fuerit.

Hæc de contractibus diximus pro modulo nostro: ad Religionis virtutem explicandam jam gradum facimus; sicut enim sobrie justeque vivere oportet, ita et pie Deo inserviendum est.

(1) "If I lay a wager at a horse race, founded upon the conjecture I form from the appearance, and character, and breed of the horse, I am justly entitled to any advantage which my judgment gives me; but if I carry on a clandestine correspondence with the jockies, and find out from them that a trial has been actually made, or that it is settled beforehand which horse shall win the race; all such information is so much fraud, because derived from sources, which the other did not suspect, when he proposed, or accepted the wager." Paley, *Mor. Phil.* l. ii c. 8.

Digitized by Google

TRACTATUS XII.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

PRÆVIÆ NOTIONES.

1. Religio ea virtus est quæ in Deo colendo versatur: cultus autem supremus Deo, rerum omnium auctori ac arbitro, debetur. Quamvis circa Deum colendum religio occupetur, non tamen theologica virtus vocatur, quum non recta Deum respiciat, sed cultum ejus, quem dirigit: "non quod actus quibus Deus colitur, ipsum Deum attingant: sicut cum credimus Deo, credendo, Deum attingimus. . . . Affertur autem Deo debitus cultus, in quantum actus quidam quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt: puta sacrificiorum oblationes, et alia hujusmodi. Unde manifestum est, quod Deus non comparatur ad virtutem religionis sicut materia, vel objectum, sed sicut finis. Et ideo religio non est virtus theologica, cujus objectum est ultimus finis: sed est virtus moralis, cujus est esse circa ea quæ sunt ad finem."[1] Inter virtutes morales præcipua est,[2] quum, præ cæteris, hominum mores in re præstantissima, Dei scilicet cultu, componat, et ad Deum ducat. Præcipui ejus actus sunt adoratio, sacrificium, oratio, devotio, laus Dei, gratiarum actio, votum, juramentum, administratio et susceptio sacramentorum. Internis animi affectibus

(1) S. Thom, 2. 2. qu. lxxxi. art. v. *Resp.*

(2) "If by the service of God is meant the virtue of Religion expressed in external action, as saying our prayers, receiving the holy sacrament, visiting churches, sitting at the memorials of martyrs, contemplation, fasting, silence, solitude, and the like, then it is certain that the service of God in this sense is to preferred before many things." Jeremy Taylor, *Ductor Dubitantium*, l. iii. c. 3. vol. ii. p. 181.

Digitized by Google

externos ritus conjungit, Deum mente et corpore colens: "Deo reverentiam et honorem exhibemus non propter seipsum: quia ex seipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adjici potest, sed propter nos: quia videlicet per hoc quod Deum reveremur, et honoramus, mens nostra ei subjicitur: et in hoc ejus perfectio consistit. . . . . Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis, quasi signis quibusdam, mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Et ideo religio habet quidem interiores actus quasi principales, et per se ad religionem pertinentes: exteriores verò actus quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos."[1]

3. Devotio a S. Thoma definitur: "voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum."[2] "Manifestum est autem quod operari ea quæ pertinent ad divinum cultum seu famulatum, pertinet proprie ad religionem."[3] "Causa devotionis extrinseca et principalis, Deus est: causa autem intrinseca ex parte nostra oportet quod sit meditatio, seu contemplatio."[4] "Devotio per se quidem et principaliter spiritualem lætitiam mentis causat: ex consequenti autem, et per accidens causat tristitiam."[5] Equidem divinæ bonitatis consideratio animam lætitia quadam perfundit, quæ tamen perfecta non est, quum nondum Deo fruamur: nostrarum autem culparum cogitatio, et pericula quibus objicimur, tristitiam ingerunt, quæ veniæ et auxilii superni fiducia temperatur.

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxxi. art. vii. *Resp.*
(2) Ibidem, qu. lxxxii. art. i. *Resp.*
(3) Ibidem, art. ii. *Resp.*
(4) Ibidem, art. iii. *Resp.*
(5) Ibidem, art. iv. *Resp.*

Digitized by Google

CAPUT I.

De adoratione.

4. *Adoratio*, late sumpta, est actus quo alteri exhibemus reverentiam ob ejus præstantiam. Suprema adoratio Deo tribuitur, quem perfectissimum agnoscimus, cuique nos penitus subjici necesse est. *Latriam* eam vocant theologi: *Hyperduliam* designant inferiorem adorationem Virgini Deiparæ tributam, ob præstantissimam dignitatem et merita: *duliam* eam vocantes quæ angelis sanctisque, ob eximia sanctitatis ornamenta, tribuitur. *Absoluta* est quæ personæ datur, ob dotem qua præditus est: qualis præstatur, non tantum Deo, sed etiam sanctis; hi enim vere possident egregia dona ob quæ honorandi sunt. *Relativa* adoratio tribuitur rebus ob relationem quam habent ad Deum, vel ad sanctos: sic crux, Christi imago, sanctorum imagines et reliquiæ coluntur. Absit invidia verbis, quæ juxta eorum vim adhibemus: illud alta voce prædicantes, solum Deum suprema adoratione et honore dignum esse: "Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies."[1] "Soli Deo, immortali et invisibili, honor et gloria."[2] Catholicam doctrinam a concilio Tridentino[3] perspicue definitam et explicatam, alibi propugnavimus.[4] Id hic animadvertemus, voces Anglicas *adoration*, *worship*, plerumque supremum designare cultum; *veneration* latius sumi; quamvis *venerari Deos* apud Latinos vim eandem ac *adorare* haberet. Cautius igitur adhibendæ sunt quæ ambiguitatem patiuntur, ne hæreticis cavillandi detur occasio opportuna. "Deo debetur reverentia," inquit S. Thomas, "propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur, non secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem. Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam: et alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam."[1]

5. Corpore et mente Deum adoramus, eum utriusque auctorem

(1) Matt. iv. 10. (2) 1 Tim. i. 17.
(3) Sess. xxv. *Decr. de invocatione, veneratione*, etc.
(4) Dogm. Theol. vol. iv. tract. xviii. c. iv. v. vi.
(5) 2. 2. qu. lxxxiv. art. i. *Ad primum.*

Digitized by Google

agnoscentes, et externis indiciis quos animo fovemus sensus prodentes, ut alii ad eum pariter colendum excitentur, imo ut ipsi magis magisque in ejus cultu proficiamus. "Sicut Damascenus dicit in IV. libro, quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem: ut videlicet per signa humilitatis quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo: quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus."[1] Quomodo hæc cum adoratione in spiritu et veritate constet, breviter explicat S. Thomas: "Etiam adoratio corporalis in spiritu fit, in quantum ex spirituali devotione procedit, et in eam ordinatur."[2]

6. Loco autem specialiter ad id officii destinato solemnem Deo cultum exhibemus; quamvis enim mulieri Samaritanæ dixerit Dominus, neque Hierosolymis, neque in monte Garizim, cultum præstitum iri; "Dominus per verba prænuntiat cessationem adorationis, tam secundum ritum Judæorum adorantium in Hierusalem, quam etiam secundum ritum Samaritanorum adorantium in monte Garizim. Uterque enim ritus cessavit, veniente spirituali Evangelii veritate: secundum quam in omni loco Deo sacrificatur, ut dicitur Malach. 1."[3] Nec tamen credimus Deum loco contineri: sed plurimum nobis prodest ut in locum congregemur, ei cultum oblaturi; sic enim fit ut omnes veluti accendamur aliorum exemplis, et ut omnium conjunctis precibus, Deus se facilem præbeat. Quod Christus in cubiculo orandum dixerit, ad insinuandam humilitatem pertinet, quum alioquin suo exemplo publicum cultum deferendum docuerit, adstabat enim Judæorum solemnitatibus.

7. Sacrificium Deo, ex jure naturali, ut videtur, offertur: nam "in qualibet ætate, et apud quaslibet hominum nationes semper fuit

(1) 2. 2. qu. lxxxiv. art. ii. *Resp.* "How grateful must our service needs be, when all that is within and without conspires to it; and whilst the tongue is doing its devotions, the knee is bowing to the Divine Majesty, or (which is the custom of the Jews, and is still of all the Eastern nations,) the whole body, in token of its and the soul's subjection lies prostrate upon the ground?" *Explication of the Decalogue*, by Gabriel Towerson, Rector of Walwynn, p. 86.

(2) Ibidem. *Ad primum.* (3) Ibidem, art. iii.

Digitized by Google

aliqua sacrificiorum oblatio: quod autem est apud omnes, videtur naturale esse."[1] Ipsa tamen natura sacrificiorum plerorumque, quæ animantium interfectione fiebant, vix ad naturæ instinctum potest referri, et ideo ad divinam institutionem primis hominibus innotescentem referenda videtur. Soli Deo sacrificium offerendum est; nam "exteriores actus religionis ad interiores ordinantur: anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut in principio suæ creationis, et sicut fini suæ beatificationis."[2] Quod in honorem sanctorum sacrificia celebrentur, ab Angelico doctore post Augustinum explicatur: "Non constituimus martyribus templa, sacerdotia sacra et sacrificia: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Unde sacerdos non dicit: 'Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule:' sed Deo de illorum victoriis gratias agimus, et nos ad imitationem eorum exhortamur."[3]

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxxv. art. i. *Sed contra.* (2) Ibidem, art. ii. *Resp.*
(3) Ibidem, *ad tertium*, citans Aug. l. viii. *de civ. Dei.*

Digitized by Google

CAPUT II.

DE ORATIONE.

8. Oratio est mentis ad Deum evectio ad beneficia impetranda; latius tamen sumitur pro pio quopiam animi motu in Dei laudem, contemplationem, et amorem. Est actus religionis, nam "omnia illa per quæ Deo reverentia exhibetur pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando se eo indigere, sicut auctore bonorum suorum."[1] Hinc dicebat Psaltes: "Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo."[2] Quod verbis se prodit animi desiderium ut divinam opem impetret, dicitur oratio *vocalis*, quæ præsertim de formulis certis intelligitur: v: gr. de oratione Dominica: quod mente tantum concipitur, vel saltem nonnisi vocibus ex mentis motu sponte effusis pro occasione, *mentalis* oratio est. Hujus perfectio invenitur in Dei contemplanda essentia, animo tranquillo, et in ipso quiescente, magno dilectionis affectu.[3] *Privata* oratio ea est quæ a singulis fit suo nomine, seu seorsim, seu in unum collectis, uti domibus integris contingit, seu privatim, seu in loco publico: oratio enim *publica* ea tantum dicitur quæ fit ab Ecclesiæ ministro, ejus nomine ac auctoritate. Breviarii recitatio privata a sacerdote, vel clerico, ad id muneris obligato, publicæ orationis vim habet.

9. Quomodo orandi Deum utilitas cum certis divinæ providentiæ consiliis consistat, explicat Angelicus Doctor: "Oportet sic inducere orationis utilitatem, ut neque rebus humanis divinæ providentiæ subjectis necessitatem imponamus, neque etiam divinam dispositionem mutabilem æstimemus. Ad hujus ergo evidentiam considerandum est; quod ex divina providentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, et quo ordine proveniant. Inter alias autem causas, sunt etiam quorumdam causæ actus humani: unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxxiii. art. iii. *Resp.* (2) Ps. cxl. 2.
(3) S. Thom. 2. 2. qu. clxxx. clxxxi. et clxxxii.

Digitized by Google

effectus secundum ordinem a Deo dispositum. Et idem etiam est in naturalibus causis. Et simile est etiam de oratione. Non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus: sed ut id impetremus, quod Deus disposuit per orationes sanctorum esse implendum; ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante secula disposuit donare, ut Gregorius dicit in libro dialogorum."[1] Quod autem Deo necesse non sit necessitates nostras, nobis veluti referentibus, innotescere, verissimum est; sed nobis prodest orando eas exponere, ut intimo animo sentiamus unde nobis proveniat auxilium: "Non est necessarium nos Deo preces porrigere, ut ei nostras indigentias, vel desideria manifestemus: sed ut nos ipsi consideremus in his ad divinum auxilium esse recurrendum."[2] Equidem "Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate, etiam non petita: sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem, ut scilicet fiduciam quandam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem. Unde Chrysostomus dicit: 'Considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa; orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare."[3]

10. Quam necessaria sit nobis frequens oratio, ex Christi Domini et Apostolorum verbis, liquet: "Oportet semper orare, et non deficere."[4] "Vigilate omni tempore orantes."[5] "Orate ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma."[6] "Orationi instantes."[7] "Vigilate in orationibus."[8] Oratio idcirco habenda est præcipuum quoddam munus viri christiani, et subsidium ad salutem adultis necessarium: nam ex petitione pendet, ut plura sine quibus salutem non adipiscemur, assequamur: "Petite et dabitur vobis."[9] Quoties autem orandum sit, nulla certe lege definitur: sed pia est fidelium consuetudo mane et vespere preces fundendi, præter eas quas sacro adstantes in diebus festis fundunt. Sæpissime etiam orant qui pietatem colunt, et orationes breves inter quotidianas occupationes ex corde veluti jactas emittunt, more veterum monachorum de quibus scribit Augustinus: "Dicuntur fratres

(1) S. Thom. 2. 2. lxxxiii. art. ii. *Resp.*
(2) Ibidem. *Ad primum.*
(3) Ibidem. *Ad tertium.*
(4) Luc. xviii. 1.
(5) Ibidem, xxi. 36.
(6) Ibidem, xxii. 40. 46.
(7) Rom. xii. 12.
(8) 1 Pet. iv. 7.
(9) Mat. vii. 7.

Digitized by Google

in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodam modo jaculatas: ne illa vigilanter erecta quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio."[1] Qui vult superare tentationes, orare debet, ut veniat illi auxilium ab alto: nec enim solus valet de hoste triumphare. Id certò statui potest, orationis neglectum per tempus diuturnum, periculum manifestum lapsus, et interitus, ferre, et proinde gravi culpa non vacare.

11. De oratione sanctis porrigenda alias disputavimus: hic autem recitare juvat quæ ab Angelico Doctore clare et pulchre dicuntur ad explicandum discrimen inter eam et orationem ad Deum directam. "Oratio porrigitur alicui dupliciter: uno modo quasi per ipsum implenda: alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, secundum illud Psal. lxxxiii. 'Gratiam et gloriam dabit Dominus.' Sed secundario modo orationem porrigimus sanctis angelis, et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat: sed ut eorum precibus et meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apoc. viii. quod 'ascendit fumus incensorum de manu angeli coram Deo.' Et hoc etiam patet ex ipso modo quo Ecclesia utitur in orando. Nam a Sancta Trinitate petimus ut nostri misereatur; ab aliis autem sanctis quibuscumque petimus ut orent pro nobis."[2]

12. Omnia quibus indigemus bona, ea præsertim quæ ad salutem consequendam pertinent, licet orando a Deo, omnium bonorum largitore, petere. Contrariam sentiendi rationem ab ethnicis derivatam feliciter evertit S. Thomas: "Sicut M. Valerius refert, Socrates nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent: quia hi demum scirent quid unicuique esset utile: nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. Quæ quidem sententia aliqualiter vera est, quantum ad illa quæ possunt malum eventum habere: quibus etiam homo potest male et bene uti: sicuti divitiæ, quæ, ut ibidem dicitur, multis exitio fuere: honores, qui complures pessumdederunt: regna, quorum exitus sæpe miserabiles cernuntur: splendida conjugia, quæ nonnumquam

(1) Ep. cxxx. alias cxxii. ad Probam. n. 20.
(2) 2. 2. qu. lxxxiii. art. iv. *Resp.*

Digitized by Google

funditus domos evertunt. Sunt tamen quædam bona, quibus homo male uti non potest, quæ scilicet malum eventum habere non possunt. Hæc autem sunt quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur: quæ quidem sancti orando absolute petunt: secundum illud Psal. lxxix. 'Ostende faciem tuam et salvi erimus.' Et iterum cxviii.: 'Deduc me in semitam mandatorum tuorum.'[1] De temporalibus autem bonis speciatim hæc tradit: "sicut Augustinus dicit ad Probam de orando Deum, 'Hoc licet orare quod licet desiderare. Temporalia autem licet desiderare: non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus, sed sicut quædam adminicula, quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur, et in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum; ut etiam Philosophus dicit, *in* 1 *Ethicorum*. Et ideo pro temporalibus licet orare."[2]

13. Simplicissima et præstantissima orationis formula ea est quam Christus Dominus tradidit, qua Dei gloriam imprimis quærimus, deinceps nobis subsidia vitæ et salutis; et denique liberationem a peccati periculo et ab interitu. "Oratio Dominica perfectissima est, quia, sicut Augustinus dicit ad Probam, 'Si recte et congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione Dominica positum est. Quia enim oratio est quodammodo desiderii nostri interpres apud Deum, illa recte solum orando petimus, quæ recte desiderare valemus. In oratione autem Dominica non solum petuntur omnia quæ recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt."[3] Id autem hic animadvertendum duximus, hanc orationem proferri a singulis veluti omninum nomine, ideoque mendacii non argui, vel peccati specialis, qui orat veniam delictorum, eam quam aliis ex Christi lege exhibemus allegans, quamvis forsan ipse inimicis adhuc non ignoverit.[4]

14. Orationem vocalem Deo probari ex ipsa Dominica oratione liquet; vocibus scilicet in ea exprimuntur cordis desideria et petitiones. Equidem præstantissima orandi ratio ea est quæ in mente consistit; sed et ea quæ verbis enuntiatur, magnas habet utilitates: inservit enim "primo quidem ad excitandum interiorem devotionem qua mens orantis elevetur in Deum: quia per exteriora signa, sive vocum, sive etiam aliquorum factorum, movetur mens hominis, et

(1) 2. 2. qu. lxxxiii. art. v.
(2) Ibidem, art. vi.
(3) Ibidem, art. ix. *Resp.*
(4) Ibidem, art. xvi. *ad tertium.*

Digitized by Google

secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectionem. Unde Augustinus dicit ad Probam: quod verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum, nos ipsos acrius excitamus" ... "secundo, adjungitur vocalis oratio, quasi ad redditionem debiti: ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore: quod præcipue competit orationi, secundum quod est satisfactoria."[1]

15. Attentio, quæ *actu* durat, non requiritur ad orationis vim; sed debet quisque oraturus mentem in Deum dirigere, et dum orat, ejus evagationes, quantum valet, cohibere. "Est autem triplex effectus orationis. Primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri. Et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur quod attentio adsit orationi per totum: sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secundus autem effectus orationis est proprius, quod est impetrare. Et ad hunc effectum sufficit prima intentio, quem Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetrativa: illam enim orationem Deus non audit, cui ille qui orat non intendit; ut Gregorius dicit. Tertius autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritualis refectio mentis. Et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio: ut dicitur 1 Corinth. xiv. 'Si orem lingua, mens mea sine fructu est.' Sciendum tamen, quod triplex est attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi: una quidem qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret: secunda, qua attenditur ad sensum verborum: tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, et ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maxime necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ. Et quandoque in tantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, ut etiam omnium aliorum obliviscatur; sicut dicit Hugo de S. Victore."[2]

16. Orationem diuturnam, ex vehementi desiderio et charitatis affectu provenientem, commendat, post Augustinum, S. Thomas, difficultatem ex Christi verbis, ne multum loquamur orando, sic solvens: "Sicut Augustinus dicit ad Probam, 'non est hoc orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam et de ipso Domino scriptum est, quod per-

(1) 2. 2. qu. lxxxiii. art. xii. *Resp.* (2) Ibidem, art. xiii. *Resp.*

Digitized by Google

noctaverit in orando, et quod prolixius oraverit, ut nobis præberet exemplum.' Et postea subdit: 'Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis: plerumque autem hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur."[1]

17. "Ponuntur," inquit Angelicus doctor, "quatuor conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit: ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter."[2] Ipsi peccatores, ex gratiæ motu orantes, quamvis nihil mereantur, impetrant tamen a divina bonitate quæ humiliter petunt gratiæ subsidia ad plenam animi conversionem, quippe "oratio humiliantis se nubes penetrabit:"[3] sic publicanus misericordiam consecutus est. Quod autem cæcus a Christo Domino visu donatus, dixerit Deum peccatores non exaudire, certam auctoritatem non facit, quum non constet eum fuisse divinitus ea in re illustratum: sed verissimum est Deum peccatores falsò se ejus nomine exhibentes, non exaudire, miracula patrare volentes, quibus auctoritatem, quam usurpant, divinis veluti sigillis obsignent, et muniant: quod verbis illis declaratum est.

18. Rarò peccatur lethaliter ex defectu attentionis, nisi iis in precibus quæ districta lege injunguntur recitandæ. Cæterum frustra orat, et culpa veniali saltem se adstringit, qui negligit animum applicare, et studio quodam et nisu in Deum tendere. Sibi illudit, Deoque videtur injurius, qui verba temere fundit, animum aliò divertens. Externa animi divagantis indicia adeo derogant reverentiæ in Deo colendo exhibendæ, et alios a pietate alienant, ut lethalem culpam quandoque inducant. De hærente et incerti animi homine dicit Apostolus Jacobus: "Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino."[4] Petentes quæ in sui vel aliorum perniciem, et Dei offensionem cessura sunt, peccant, et fructu omni carent: "petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis."[5] Peccatur etiam aliquando graviter ratione scandali in cœtibus publicis, dum externe se produnt evagationes mentis cum quodam mysteriorum divinorum contemptu. Sed et oportet perseverando vim dare orationi, Christus enim viduæ judi-

(1) 2. 2. qu. lxxxiii. art. xiv. *Ad primum.*
(2) Ibidem, art. xv. *Ad secundum.*
(3) Eccl. xxxv. 21.
(4) Jac. i. 7.
(4) Ibidem, iv. 3.

Digitized by Google

cem iniquum precibus fatigantis,[1] et amici amicum ut surgeret pulsando cogentis[2] exemplis, nos docuit orationi insistendum esse. "Nostrum ergo sit," inquit Chrysostomus, "continuis insistere precibus, et non ægre ferre si differatur quod petimus; sed longanimes esse. Neque enim renuens nostras preces differt, sed hac arte sedulos nos efficiens, ad semetipsum attrahere vult."[3]

19. Pro aliis etiam orandum est, hortante Jacobo: "Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua."[4] Sic et Joannes: "Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem."[5] Pro gravissimi sceleris reo, fidei scilicet proditæ et derelictæ, non eam spem objicit, quum non adeo facile venia impetretur: "Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis."[6] "Sed numquid dicis, Apostole, ut quis desperet! Imo gemat, qui illum amat; non præsumat orare, nec desistat plorare."[7] Ita Bernardus.

(1) Luc. xviii. 2.
(2) Ibidem, xi. 5.
(3) Hom. xxx. in Gen.
(4) Jac. v. 16.
(5) 1 Joan. v. 16.
(6) Ibidem.
(7) Cap. ult. de gradibus humilitatis.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE VOTO.

20. Inter supremi cultus actus votum enumeratur, juxta illud Isaiæ de Ægyptiis vaticinium: "colent eum in hostiis, et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent."[1] Equidem nonnumquam Beatæ Virgini, vel sanctis, vel etiam præsulibus vota dicuntur fieri, populari quadam loquendi ratione; quæ tamen ita accipienda est, ut res promissa sit implenda, in Dei honorem, ipso vindice futuro fidei fractæ, si promissionem contigerit violari. "Votum," inquit S. Thomas, "soli Deo fit: sed promissio etiam potest fieri homini. Et ipsa promissio boni quæ fit homini, potest cadere sub voto, in quantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum quo quis vovet aliquid sanctis, vel prælatis: ut ipsa promissio facta sanctis vel prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod sanctis vel prælatis promittit."[2] In Dei autem honorem cedunt vota non tantum ob rem peragendam, sed ob voluntatem penitus adstrictam, qua homo sibi aufert libertatem mutandi propositum.[3] "Subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere: sicut plus daret homo, qui daret arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, ut dicit Anselmus in libro de similitudinibus."[4]

21. Voti nomine venit non quælibet mentis cogitatio de bono exequendo in Dei obsequium; nec solum animi propositum, firmum licet et certum: sed promissio, mente saltem, plerumque voce, facta, qua se quis vult obligare ad aliquid faciendum: "promissio autem procedit ex proposito faciendi: propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ. Sic ergo ad votum tria ex necessitate requiruntur: primo quidem deliberatio: secundo, propositum voluntatis; tertio, promissio, in qua perficitur ratio voti."[5]

(1) Isaiæ xix. 21.
(2) 2. 2. qu. lxxxviii. art. v. *ad tertium.*
(3) Ibidem, art. iv. *Resp.*
(4) Ibidem, art vi. *Resp.*
(5) Ibidem, art. i. *Resp.*

Digitized by Google

22. Votum igitur definiri potest promissio deliberata et spontanea Deo facta de bono meliori et possibili. Promissio autem a proposito distinguenda est, proponimus quippe plura facere, quin ad ea facienda nos promissione obligemus. Peccator, quem delictorum pœnitet, proponit, promittendi voce nonnumquam usurpata, a peccando cavere: nec tamen violati voti reus habendus est, si postea in peccatum labatur, nisi revera vinculo illo se voluerit adstringere, ad minuendam peccandi facilitatem: quod rarius consulendum est. Animi deliberatio plena ad gravem hanc obligationem contrahendam requiritur: nec enim subitaneus animi motus, vel temere usurpata vovendi vox, voti vim sibi vindicat. Cæterum temporis spatium magnum necessarium non est ad vovendum; vovere enim, sicut et peccare, quis potest momento veluti temporis, dummodo satis advertat se votum emittere. Hinc valent vota furente tempestate, vel alio periculo mortis urgente, emissa. Sponte edenda sunt vota: secus non valent; si enim quis metum gravem alio injuste incutiente, voveat aliquid, voti obligatione non tenebitur. Sic etiam haud valent vota ex errore emissa qui substantiam rei spectat, vel adjuncta substantiam afficientia, vel causam finalem: valent autem si error adjuncta haud magni momenti, vel causam quam vocant *impulsivam* tantum, spectet. Bonum necessario respiciendum est in votis: Deo enim irrogaret injuriam qui aliquid mali se facturum ei polliceretur, vel rem nullius momenti. Quod autem Jepthe voverit se Deo immolaturum quicquid ei domum revertenti occurrerit, si de mactatione et morte accipiatur, necesse erit cum Hieronymo dicere. "In vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius."[1] Cæterum sunt qui illud impletum censent, filia virgine dicanda. Melius seu perfectius bonum etiam voventi proponendum est; si enim minus perfectum aliquid quis Deo promittat, perfectiori postposito, divino videtur detrahere honori. Hinc votum nubendi non valet, nisi voventi sit remedium fere necessarium. "Vota vero quæ sunt de rebus vanis et inutilibus, sunt magis deridenda, quam servanda."[2] Possibile denique bonum esse debet quod vovens promittit, frustra enim quis Deo polliceretur quod humanas excedit vires. Non valet igitur votum nullam prorsus culpam venialem patrandi: vel votum contemplationi jugiter vacandi. Si pars materiæ voti fiat impossibi-

(1) Cit. a S. Thoma, 2. 2. qu. lxxxviii. art. ii. *ad secundum.*
(2) Ibidem, *ad tertium.*

Digitized by Google

lis, manet obligatio alteram exequendi partem, nisi tota materia instar unius sit. Sic qui mille nummos se ad ædificandam ecclesiam collaturum Deo pollicitus est, debet quot possit suppeditare, si tanta nummorum copia ei præsto non sit: sed si voverit se ecclesiam suis sumptibus ædificaturum, non tenebitur fundamenta ejus ponere, deficiente pecunia ad eam integre ædificandam.

23. Votum dicitur reale quando rem aliquam: v: g: calicem, fundum, Deo quis pollicetur: personale, quando se aliquid facturum: v: g: suscepturum Hierosolymas iter, promittit. Mixtum dicitur votum quod rem a vovente offerendam respicit: v: g: calicem in templo quodam præsentandum. Absolutum nuncupatur votum quod simpliciter emittitur, nulla apposita conditione: conditionatum verò si conditio sit apposita. *Solemne* habetur votum quod ab Ecclesia in perpetuum acceptatur. Illud emitti a sanctimonialibus in Galliis in præsenti rerum conditione haud probat S. Sedes. *Simplex* quod Ecclesia in perpetuum non acceptavit. Solemnitas igitur votorum non desumitur ex ratione qua emittuntur v: g: coram plurimis in cœtu publico; sed ex Ecclesiæ acceptatione: quapropter vota in probatis ordinibus emissa solemnia sunt, etsi forte aliquis ea emittat in sacello privato, Superiore tantum præsente. E contra vota puellarum charitatis simplicia sunt, etsi contigerit ea in cœtu plurimorum emitti. Simplicia etiam sunt vota Scholarium Societatis Jesu, post biennium probationis emissa, quamvis enim voventes in perpetuum adstringant, ab Ecclesia in perpetuum non sunt acceptata.

24. Ad voti contrahendam obligationem animus vovendi requiritur: qui si dolo desit, dum quis sacros ordines suscipit, vel professionem emittit in Religione probata, grave patratur peccatum. Quamvis autem qui ordines suscepit absque animo castitatem vovendi, voto non ligetur, lege tamen ecclesiastica ad eam servandam tenebitur. In foro exteriori præsumitur etiam vovendi animus adfuisse, dum quis voti formam exterius protulerit; Ecclesia enim de occultis non judicat.

25. Qui dubitat an voverit, ad voti impletionem non censetur a plurimis teneri, si omnibus mature perpensis dubius maneat: possidet scilicet suam libertatem, quamdiu non noverit eam voto ligatam. Cæterum si quis meminerit se rem sibi certo proposuisse faciendam, et censuisse se graviter peccaturum, nisi eam fecisset, jure præsumit se votum emisse.

26. Votorum obligatio arctissima est, et ipso jure naturali et divino

Digitized by Google

nititur; si enim nefas sit violare promissiones hominibus factas, quantum erit scelus quæ Deo polliciti sumus negligere?[1] "Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum."[2] Levis autem vel gravis obligatio pendet ex voventis voluntate; poterit scilicet Deo rem magni momenti sub levis culpæ pœna polliceri, quamvis plerumque pro rei gravitate gravis censenda sit obligatio. Res per se leves sub levi tantum culpa promittuntur, nisi se habeant instar unius, et coalescant.[3] Si quis voverit se quotidie angelicam salutationem recitaturum, levis tantum culpæ arguendus erit, etsi eam penitus negligat. Attamen sunt qui putant gravem esse culpam votum hujusmodi penitus negligere.[4] Si vovisset se obolum quotidie in eleemosynam per annum integrum daturum, idque omnino facere omitteret, gravi culpa inquinaretur. In confessione declarandum est votum prius emissum, si quis illud violaverit; est enim speciale peccatum: quapropter qui post votum simplex castitatis fornicatur, non satisfacit confitendi oneri, nisi votum quo ligatus est exponat. Cæterum pœnitentibus inhibendum quominus vota temere emittant; facile enim nonnullis contingit, dum spiritualibus Christi deliciis fruuntur, vota emittere, quæ postea, fervore minuto, negligunt implere. Viduas juniores quæ voto se ligaverant ad castitatem servandam, gravis peccati, quod interitum secum fert æternum, Apostolus arguit ob fidem, quam Deo vovendo obligaverant, violatam: "Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt."[5] Consuetudine

(1) "Vows are promises to God.... The violation of them implies a want of reverence to the Supreme Being; which is enough to make it sinful.... The few instances of vows which we read of in the New Testament were religiously observed." Paley, *Moral Phil.* l. ii. c. v. Recitato Psalmi 50, 8, de votis reddendis testimonio, animadvertit Trowerson: "If (as Mr. Mede shews) that Psalm be also a prophecy of the times of the Gospel, and the service which should be offered up in them, the making of vows is properly and strictly evangelical." *Explication of the Decalogue*, p. 161.

(2) Deut. xxiii. 21

(3) Vide Mayol, *Expos.* 2. *præc.* qu. art. ii.

(4) Cajetanus, in Summa, v. *Votum* qu. lxxxix. art. vii.

(5) 1 Tim. v. ii. Hanc interpretationem de voto violato probat Bloomfieldius, altera rejecta de defectione a fide christiana. "I am not aware of any example of ἀθετεῖν τὴν πίστιν, or ἀθ. being ever used of *casting off* a religion; which too

Digitized by Google

prava irretitis votum non peccandi remedium est periculi plenum: facile enim iterum labuntur.

27. Magna mora in implendo voto gravem inducit culpam. Ex judicio autem prudentum quæ dilatio magna sit, dignoscendum est. Differre ultra duos vel tres annos jejunia quæ vovit quis se servaturum, videtur grave peccatum, præsertim si tempus vovendo designaverit.

28. Vota *pœnalia*, quibus quis se obligat ad pœnam, si rem quandam fecerit, v: g: si luserit aleis, vel potui indulserit, sancte servanda sunt. Utrum autem pœna subeunda sit prima tantum vice, vel quoties quis a proposito defecerit, ex animo voventis pendet.

29. A votis solvendis liberamur, si voti materia, mutatis adjunctis, fiat illicita: quapropter qui post castitatis votum uxorem duxit, petenti debitum reddere tenetur, ne jus alienum violet: abstinere tamen a petendo ipse debet. Item si superveniat circumstantia, qua prævisa votum certe non fuisset emissum, plures censent voti obligationem desinere. Cavendum tamen ne hæc intelligantur de votis in facie Ecclesiæ emissis; vel de circumstantiis quæ levem animum ad propositum deserendum impellunt.[1]

30. Qui habent potestatem in voluntatem alterius, vota illius possunt irritare: quapropter pater, vel qui patris vices gerit, eo deficiente, v: g: avus paternus, vel tutor, valet irritare impuberis filii vota. Lege veteri puella, patre contradicente, non tenebatur voto.[2] Superior in religioso ordine irritare etiam potest religiosorum vota post professionem emissa; nam "in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet, si suis superioribus placuerit, vel non renitantur."[3] Uxoris vota, saltem si præjudicium suo juri afferant, maritus valide irritat.[4] Puberum filiorum vota irritare etiam indirecte potest pater,

would not necessarily follow their marrying even with heathens, as appears from 1 Cor vii. 14. . . . According to the sense it carries in the second interpretation, it is very apt. And the phrase ἀθετεῖν τὴν πίςιν is frequent in the latter classical writers, and the Septuagint. Indeed the words preceding evidently allude to an *engagement to celibacy*, and therefore to *that* the πίστιν may most naturally be referred. . . . The κρίμα will thus mean *condemnation*, severe censure, and πίστ., a solemn engagement, perhaps by vow." *In locum.*

(1) Vide Cajetanum in Summa, *v. votum*, et apud Mayol. *Exp. Sec. præc.* qu. ii. art. ii. §. 3. *quæres secundo.*

(2) Num. xxx. 6.

(3) S. Thomas, 2. 2æ. qu. lxxxviii. art. viii. *Ad quartum.*

(4) Num. xxx. 9.

Digitized by Google

quatenus scilicet domesticæ gubernationi obstant: reviviscunt autem filio emancipato. Indirecta hæc irritatio, vel saltem suspensio, locum habet quotiescumque res quæ materia est voti, dominio alterius subjecta est. Vota autem personalia religiosorum ante professionem emissa per eam extinguuntur.[1]

31. Commutatio votorum fit quando pro re quæ promissa est, res alia substituitur. In melius commutare vota semper licet; gratum enim et Deo acceptum sit, necesse est. In rem æqualem commutatio exigit, juxta plures, aliis contra sentientibus, ecclesiastici præsulis auctoritatem: "quia commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet prælati."[2] In minus bonum commutare votum certe requirit Ecclesiæ auctoritatem. Cui facultas commutandi vota commissa est, debet opus substituere quod prudentum judicio æquale videatur; nequit enim rem notabiliter minorem alteri substituere.

32. *Dispensatio* votorum dicitur relaxatio obligationis ex iis ortæ, Dei auctoritate facta. Hanc potestatem inesse Ecclesiæ ex promissione Christi, de solvendis in cœlis quæ soluta fuerint ab Ecclesiæ præsulibus in terris, colligimus, sicuti et ex Ecclesiæ traditione et consuetudine. Consonum etiam videtur divinæ pietati sic consuluisse humanæ infirmitati, ne plurimorum salus periclitaretur: nec tamen sic juri naturali, vel divino derogatur, quum Dei auctoritas Ecclesiæ concessa vinculum ex humanæ voluntatis arbitrio ortum solvat. Cæterum Ecclesiæ præsules nequeunt vota pro arbitrio relaxare, sed justas ob causas: v: g: bonum publicum, vel ipsius voventis salutem; frustra enim Dei jura homo temere remittere aggrederetur. Neque possunt vota ex quibus jus ortum est tertio qui ea acceptavit, absque illius consensu, condonare; quapropter vota perseverantiæ in Congregatione Missionis, aliisque piis cœtibus emissa, nequeunt remitti, nisi a Superiore Congregationis, vel Summo Pontifice.

33. Pontifex in votis omnibus dispenare potest juxta plurimos theologos, qui tenent eum posse remittere votum castitatis, quod sacris Ordinibus est annexum: quod et S. Thomæ visum est;[3] qui tamen censuit eum non posse vota solemnia in Religione probata emissa relaxare.[4] Cæterum sæpius relaxata est a pontificibus, præ-

(1) C. Scripturas, *de voto.*
(2) S. Thom. in 4 dist. qu. 1. art. 4. qu. 4.
(3) Vide S. Thom. 2. 2. qu. lxxxviii. art. 11. (4) Ibidem.

Digitized by Google

sertim post rerum in Galliis perturbationem, votorum solemnium obligatio.[1] Episcopi dispensationem suis subditis concedere valent, gravi exigente causa, quoad omnia vota, præter quinque Papæ reservata, nempe castitatis perpetuæ, religionis, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum, Compostellam, et ad terram sanctam. Cæterum episcopis in fœderatis his Statibus solet indulto pontificio concedi, ut in voto continentiæ perpetuæ et religionis dispensent. Nequeunt autem Vicarii Generales in votis dispensare, nisi facultas eis speciali mandato sit concessa: quæ quidem apud nos consuevit impertiri plerisque Missionariis. Cum peregrinis episcopos non posse dispensare in votis, probabilius censet S. Alphonsus de Ligorio, nisi animum habeant morandi in diœcesi saltem per majorem anni partem.[2]

34. Quandocumque quis vovit se ingressurum religionem, obligationis vis ex animo voventis petenda est. "Si ergo vovens intendit se obligare non solum ad ingressum religionis, sed etiam ad perpetuò remanendum, tenetur perpetuo remanere. Si autem intendit se obligare ad ingressum religionis causa experiendi, cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifestum est, quod remanere non tenetur. Si verò in vovendo, simpliciter de ingressu religionis cogitavit, absque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi: videtur obligari ad ingressum religionis, secundum formam juris communis: quæ est ut ingredientibus detur annus probationis: unde non tenetur perpetuò in religione permanere."[3]

(1) Vide Mayol. *Exp. Sec. præ.* art. iv. §. i. not. in *cursu completo Theol.* vol. xiv.

(2) L. iii. Theol. Mor. n. 262.

(3) S. Thom. 2. 2. qu. clxxxix. art. iv. *Resp.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE SUPERSTITIONE.

35. *Superstitio* est cultus vitiosus, sive veri, sive falsi numinis. Falsus si sit cultus, erit maxime superstitiosus, utpote qui mendacio nititur; quapropter Judæi superstitionis meritò arguuntur, quum ritus mosaica lege præscriptos servent, ex errore, quo credunt Christum nondum venisse. Hujus criminis reus quoque est qui falsa prædicat miracula, vel falsas reliquias sciens veneratur, vel falsas venditat revelationes. Cæterum non statim damnandi sunt qui reliquias venerantur, quas vetus loci alicujus traditio sancit, etsi forsan certum, vel verosimile non sit, eas esse genuinas: nam vetus qua nituntur traditio et consuetudo non est temere seponenda. Cultus *superfluus* dicitur, quoties vero cultui accedunt ea quæ nihil ad honorem Dei conferunt, et ab Ecclesiæ moribus sunt aliena. Talis est ceremonia audiendi Missam ante ortum solis cum certo numero, situ, ordine cereorum, etc. Jejunare etiam in die Dominico ex affectata quadam pœnitentia ad superfluum cultum refertur, quum id in Manichæis, Christi negantibus resurrectionem, Ecclesia olim damnaverit.[1] Consultius igitur videtur, et Ecclesiæ menti consonum illud jejunium non injungere pœnitentibus; nec illud facile amplecti.[2]

36. *Divinatio* est occultorum inquisitio ope dæmonis, vel expresse, vel tacite invocati. Expressa fit invocatio, quando quis verbis dæmonis opem implorat, vel aliquid facit animo eam impetrandi. Tacita vero quoties aliquid usurpatur ad occulta detegenda, cum quibus nulla prorsus ratione connectitur. Sic qui invertit cribrum ad detegendum furem, tacite dæmonem invocare censetur.

37. Tres numerantur divinationis species, scilicet *necromantia*, *astrologia judiciaria*, et *sortilegium*. Necromantia fit per apparentem mortuorum resuscitationem. Generali hoc nomine intelligitur quidquid ad dæmonem invocandum dirigitur, quod tamen

(1) C. Sacerdos. causa 26. qu. vii. n. vi.
(2) S. Alphonsus. l. iii. n. 4.

Digitized by Google

speciale pro rei natura sortitur vocabulum. Oraculum vocatur responsio per idola: vaticinium per vatem; pythonismus, si ex umbelico vox reddatur; oneiromantia, si quæratur per somnia cognitio; chiromantia, si per manuum inspectionem; præstigium, si per fictas figuras; auspicium, si per signa in extis animalium; augurium, si per garritus, vel volatum avium; geomantia, si per effectus in terra; hydromantia, si per effectus in aqua; pyromantia, si per effectus in igne; aeromantia si per effectus in aere; omen si per casum, v: g: per occursum funeris, vel per voces fortuitò dictas.

38. Divinatio quæcumque cum dæmonis invocatione conjuncta, etsi nullus inde sequatur effectus, gravissimum peccatum est, ob animum a Deo prorsus aversum. *Implicita* autem invocatio censetur fieri, quando quis rem aliquam facit, ad notitiam, cum qua haud connectitur aliquatenus, assequendam; quæ agendi ratio a gravi culpa nonnumquam, ob simplicitatem, vel ignorantiam, nonnullis videtur excusari. Si effectus verosimilifer videatur cum causa connexus, quamvis tenuis omnino sit verosimilitudo, non auderem damnare eum qui actum eliceret, præmissa protestatione se nolle notitiam habere, si in re lateat aliquid divinæ legi repugnans. De *virga bifurcata* non una est omnium sententia; quamvis enim nonnemo ejus usum vindicaverit, ob affinitatem quæ intercedit inter virgam in manu quorumdam, et aquam sub terra decurrentem;[1] plures tamen cum S. Alphonso eum reprobant;[2] nam aiunt effectum pendere omnino ex animo tenentis virgam, et proinde nulla prorsus ratione naturali niti. Mihi videtur haud levi divinationis suspicione laborare, ideoque fidelibus omnino consulendum ut ab ejus usu abstineant. Cæterum quum certum non sit eum illicitum esse, non auderem damnare eum qui, protestatione præmissa, ea uteretur. "Si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est, superstitiosum, vel illicitum."[3]

39. Divinatio ex somniis plerumque illicita est; quoties scilicet certa eventus fiducia habetur ex somnio, quod nullum divinæ originis prodit indicium; præsertim verò si ad dæmonem quis nexum inter illud et eventum referat. Hinc inter ethnicorum superstitiones meritò recensetur a Moyse; qui Dei nomine jussit populo, ne somnia

(1) Vide Mayol. Ex. i. præc. art. ii. § 9. (2) L. iii. n. 8.
(3) S. Thom. 2. 2. qu. xcvi. art. ii. *Ad primum.*

Digitized by Google

observaret: "Non inveniatur in te . . . qui . . . observet somnia."[1] Verbis D. Thomæ juvat explicare discrimen inter somnia divinitus immissa, qualia nonnulla in Scriptura referuntur, et ea quæ plerumque contingunt. "Divinatio quæ innititur falsæ opinioni, est superstitiosa et illicita. Ideo considerare oportet quid sit verum circa præcognitionem futurorum de somniis. Sunt autem somnia futurorum eventuum quandoque quidem causa: puta cum mens alicujus solicita ex his quæ videt in somniis, inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandum: quandoque verò somnia sunt signa aliquorum futurorum eventuum, in quantum reducuntur ad aliquam causam communem somniis et futuris eventibus. Et secundum hoc plurimum præcognitiones futurorum ex somniis fiunt. Est ergo considerandum quæ sit causa somniorum, et an possit esse causa futurorum eventuum, vel ea possit cognoscere. Sciendum est ergo, quod somniorum causa quandoque quidem est interius, quandoque autem exterius. Interior autem somniorum causa est duplex: una quidem animalis, in quantum scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ ejus cogitatio et affectio fuit immorata in vigilando. Et talis causa somniorum non est causa futurorum eventuum: unde hujusmodi somnia per accidens se habent ad futuros eventus; et si quandoque simul concurrant, erit casuale. Quandoque verò causa intrinseca somniorum est corporalis: nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia, conveniens tali dispositioni: sicut homini in quo abundant frigidi humores, occurrunt in somniis, quod sit vel in aqua, vel in nive. Et propter hoc medici dicunt intendendum somniis, ad cognoscendum interiores dispositiones. Causa autem somniorum exterior, similiter etiam est duplex, scilicet corporalis, et spiritualis. Corporalis quidem, in quantum imaginatio dormientis immutatur, vel ab aere continenti, vel ex impressione cœlestis corporis, ut sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cœlestium dispositioni. Spiritualis autem causa est quandoque quidem a Deo, qui ministerio angelorum aliqua hominibus revelat in somniis, secundum illud Numerorum XII. 'Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.' Quandoque verò operatione dæmonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura revelant his qui cum eis habent pacta illicita. Sic ergo dicendum, quod si quis utatur somniis ad præcognoscenda futura, secun-

(1) Deut. xviii. 10.

Digitized by Google

dum quod somnia procedunt ex revelatione divina, vel ex causa naturali intrinseca, sive extrinseca, quantum potest se virtus talis causæ extendere, non erit illicita divinatio. Si autem hujusmodi divinatio causetur ex revelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc invocantur; vel tacita, quia hujusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere, erit divinatio illicita et superstitiosa."[1]

40. Jam verò, quum rarò vel numquam pacta hujusmodi cum dæmone consultò ineantur, putamus plerosque venialiter tantum peccare, conjecturas ex somniis capiendo; quamvis enim eventus soleant divinare, qui nullum cum somniis habent nexum, ad dæmones tamen id nullatenus referunt, sed vana ducuntur opinione, quin causam sibi vel aliis fingant. Stulta igitur est illa persuasio, quæ ex anilibus præjudiciis fabulisque ducitur; sed vix videtur eam habere malitiam quæ ad culpam lethalem requiritur. Monendi tamen sunt, et acriter aliquando corripiendi, ut superstitionem illam inanem abjiciant.[2]

41. Nullatenus autem peccant qui ex somniis occasionem sumunt aliquid faciendi quod sibi vel aliis prosit: optimum enim est ut utilitatibus nostris, vel alienis, quum possimus, consulamus. Si igitur quis somniaverit se coram tribunali judicis supremi adstare, laudandus erit si inde excitetur ad suos emendandos mores. Si de propinquo vel parente defuncto somnium habuerit, poterit inde occasionem sumere orandi pro ejus anima, quin certò sibi statuat somnium idcirco immissum quod hæc suffragiis indigeret. Qui autem id sibi habuerit persuasum, vano laborat errore, quin culpæ gravioris sit facile arguendus. E contra peccant qui ex somniis occasionem sumunt ludendi cum gravi sui detrimento.

42. Possunt peccare lethaliter exponendo se discrimini cogitationum impudicarum, et pollutionis, qui somnia de sponso futuro quærunt, dulciaria sub pulvillo reponentes: præsertim si hanc sibi facile inde obvenire, jam periculo facto norint. Alioquin hac ratione ludentes non facile damnarem peccati gravis, quum periculum non sit manifestum.

43. Ægyptios, seù ariolos de fortuna consulentes graviter peccant, licet dæmonis opera uti nolint; nam deceptores illos fovent cum magno morum detrimento, et pecuniæ plurimorum dispendio. Notitiam autem, quam quærunt, de rebus amissis, de sponsis futuris,

(1) 2. 2. qu. xcv. art. vi. *Resp.*

(2) Consule Mayol, *Exp.* 1. *præc.* art. ii. §. 6.

Digitized by Google

et de aliis rebus occultis, non possunt sibi polliceri, nisi illicita aliqua ariolorum arte. Quamvis autem demus hos plerumque verborum ambiguitate ludere, vel quæ interrogationibus veluti expiscati sunt, respondere, vel vanas falsasque venditare conjecturas, non ideo culpa sunt immunes qui eos sibi illudere patiuntur. Acriter igitur corripiendi sunt qui huic superstitioni indulgent: "Nec inveniatur in te . . . qui ariolos sciscitetur."[1] Silentio prætermittimus fœda quædam, quibus nonnunquam utuntur, vel quæ docent facienda, ad absentium amorem erga se consulentes attrahendum.

44. *Magnetismus animalis* dicitur quædam mira ratio alteri soporem inducendi, quo totum corpus penitus quiescit, mente aliò veluti translata, et arcana detegente. Sunt qui dicunt id contingere vi quadam naturali, fluido scilicet magnetico, vel mentis viribus, vel occulta inter utrumque, eum scilicet qui inducit soporem et alterum sopore constrictum, communicatione; sed difficile prorsus est mira quæ narrantur causæ tribuere naturali, quum longinqua, et cordis arcana sæpius dicantur enuntiari, jubente illo qui vim illam magneticam exercet. Præterea consensus alterius requiritur, prima vice, ut inducatur sopor, qui proinde ex causa externa et mere naturali totus non pendet: sed neque ex causa mere interna, viribus scilicet mentis, quum sopor nonnisi ab alio inducatur. Inter utrumque nulla videtur fieri communicatio virium, nam aliquando separantur parietibus, vel longiori intervallo. Gravis est igitur ratio suspicandi occultorum notitiam quam produnt *magnetisati* dæmoniaca opera contingere, quam magno consensu tradidere veteres in rebus humanis aliquando intervenire. Id etiam haud prætermittendum soporem tantum induci, ut quiescant prorsus corporis membra, nec valeat vim inferenti resistere quæ sopore est constricta, adeo ut facinoribus pateat occasio. Postquam autem desiit sopor, nihil prorsus eorum quæ dormienti contigerunt, memoriæ occurrit. Hinc puella nequit se tanto morum discrimini objicere. Re sæpius examini subjecta, S. Congregatio Inquisitionis, die 21 Aprilis, 1841, declaravit "usum magnetismi, prout exponitur, non licere." Idem respondit S. Pœnitentiaria, 1 Julii 1841, quærenti: "an confessarius parochusve tuto possit pœnitentibus aut parochianis suis permittere: 1. ut magnetismum animalem, illis characteribus aliisque similibus præditum, exerceant, tamquam artem medicinæ auxiliatricem atque suppletoriam; 2. Ut sese illum in statum somnambulismi magnetici demittendos consen-

(1) Deut. xviii. 10.

Digitized by Google

tiant; 3. Ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetisatas." Singulis quæsitis generali illa responsione satisfactum est.

45. *Astrologia judiciaria*, qua quis liberas hominum actiones ex astris divinare certò se fingunt, omnino illicita est, quum inde non pendeant, sed ex uniuscujusque arbitrio.[1] Hanc tamen non verentur aliqui palam profiteri in ipsa qua scribimus urbe.

46. *Sortilegium* illicitum est, quoties jactis sortibus, a dæmone petitur quid futurum sit, vel etiam a Deo temere id postulatur.[2] Nulla autem admittitur superstitio, si sortes adhibeantur in distribuenda hæreditate, vel alia re determinanda quæ dubitationem animi parit, dummodo effectus præter naturam non expectetur. Non peccat etiam plerisque in rebus qui ad dubitationem animi depellendam divinam opem implorat, et eam demum amplectitur agendi rationem, ad quam sorte determinatur. Sortis tamen usum in electionibus ad officia ecclesiastica perpetua prohibitione damnavit Honorius III.[3] Exemplum electionis Matthiæ non est urgendum, quum ex speciali Spiritus Sancti afflatu sortes speciali illo casu adhibitæ censendæ sint.

47. *Vana Observantia* est superstitio, qua ad finem aliquem adhibentur subsidia quæ nullam habent cum ea proportionem. Variæ sunt ejus species, nempe ars notoria, observantia eventuum, observantia sacrorum, et observantia sanitatum. Ars Notoria dicitur ea qua ad scientiam statim adipiscendam quis potione quadam, vel prece certa, vel figuris quibusdam utitur. *Observantia eventuum* superstitionem redolet, quando ex fortuito casu aliquid minime cum eo connexum futurum nobis persuademus: v: g: si ex pede titubante dum egrediebamur domo, adversi aliquid suspicemur; vel ex canis ejulatu mortem alicujus intra domum expectemus. Huc refertur popularis superstitio, nolle mensæ tredecim hospitum assidere; vel solvi portu die veneris. Hæc inania sunt, et culpanda, quamvis non statim gravi crimini habenda, quum sæpe aliorum præjudiciis mos geratur, vel phantasia vim exerceat, cui haud facile resistitur. De observationibus hujusmodi "auctores docent simplices et mulieres in his ordinarie solum venialiter peccare, ratione ignorantiæ, et bonæ fidei."[4] *Observantia sacrorum* superstitiosa fit, si ex rebus sacris effectum mirum certò

(1) Jer. x. Isai. xlvii. 13. Vide et cap. *Sed et illud*, 26 qu. 2. et Cod. *de episcopali audientia.*

(2) Cap. *Sortes*. 26 qu. i.

(3) Cap. Ecclesia, *de Sortileg.*

(4) Mayol. Ex. 1 Præcept. art. ii. §. 7.

Digitized by Google

proventurum esse confidamus, nulla Dei nixi promissione, nulla Ecclesiæ suffulti auctoritate. Sic superstitionem sapit fulmen se certò evasurum confidere, si palma benedicta in domo sit, vel lumen benedictum accensum fuerit; sicut etiam superstitio esset salutem certò sperare eo solo quod quis habitum quem dicunt scapularem gestet. Cæterum damnandi non sunt fideles, qui ex pio animi motu rebus hujusmodi utuntur, fiduciam omnem in Dei misericordia ponentes. *Observatio sanitatum* fit, quando ad morbos depellendos nomina ignota, vel figuræ, vel certus precum numerus, vel remedia naturalia cum quibusdam adjunctis superstitiosis adhibentur. Sic quos vulgò vocant fidei medicos, ægrotis præscribunt, ut nodos quosdam innectant, certaque proferant verba, aliaque faciant, quæ nihil ad remedium conferunt. Sic etiam nonnemo, ut sanguinis fluxum ex equi naribus sistat, numerum quemdam recenset, dum manum naribus apponit. Qui putant septimum filium posse sanare struma, nonnullis videntur superstitione laborare, quamvis Viva dicat posse in eo dari virtutem aliquam naturalem. Observantia quæcumque superstitiosa ex genere suo gravis culpa est; sæpe tamen fit levis ob simplicitatem, et bonam fidem.

48. *Magia* dicitur superstitio, qua quis ope dæmonis mira operatur. Hæc non exercetur a plerisque circulatoribus, qui, dexteritate quadam usi, ignaris videntur nonnisi dæmonis opera ea efficere quæ oculis exhibentur. Idcirco gravis peccati rei non sunt, qui circulatorum ludis, servata verecundia, intersunt.

49. *Maleficium* vocatur ratio aliis nocendi opera dæmonis. Duplex distinguitur, *amatorium* seu *philtrum*, et *veneficum*. *Philtrum* fit ad amorem carnalem erga se excitandum: *veneficum* nocet alteri, vel rebus quas possidet. Gravis procul dubio culpa est aliquid facere eo animo, ut pravus excitetur in se amor uti faciunt aliquando puellæ, ex semine suo, vel fluxu menstruo aliquid poculo quod porrigunt amatis immiscentes: in eo ariolis obtemperantes.

50. Plerique scriptores Angli quæ de magia dicuntur ad delirantis animi somnia referunt: quibus ne assentiamur obstant plura juris canonici decreta, quæ certum habent, dæmonem nonnumquam suam[1] interponere operam in rebus humanis; quæque rebus gestis et testimoniis Scripturæ consonant: quod et confirmant theologi omnes. Id quidem facile damus, temere judicandum non esse, aliquid supra na-

(1) Vide Append. *de possibilitate et existentia magiæ*, ab editoribus cursus completi Theol. vol. xiv. p. 135.

Digitized by Google

turam ope dæmonis contingere: sed id, Deo ita permittente, nonnumquam contigisse, extra omnem dubitationis aliam positum censemus. Si, re rite explorata, maleficium patratum videatur, orationibus ad Deum, Sacramentorum devota receptione, aliisque pietatis exercitiis, tollendum erit; quin ad inanes superstitiososque ritus recurratur. Hos apud mancipia, aliosque rudes, facile reperire est. Quidquid sit de rei veritate, utrum scilicet habeatur aliquod commercium cum dæmone ab his qui divinationem magiamve profitentur, constat eos fovere superstitionem, ea vulgo injecta opinione, et mores vitiare, quapropter justissime legibus olim coercebantur. Ex impunitate qua gaudent in regionibus Protestanticis fit ut pecunia ancillas emungant, et fœda nonnunquam faciant, vel doceant facienda.[1]

51. *Tentatio Dei* fit, quando quis subsidiis quæ præsto sunt neglectis, divinam opem sibi pollicetur. Hanc vetuit Deus: "Non tentabis Dominum Deum tuum."[2] Tentare autem Deum dicitur, qui miraculum petit, dubius de aliqua Dei perfectione; vel qui temere illud sibi promittit. Sic Judæi tentabant Christum, quum signum e cœlo postularent, jam alioquin satis ejus potestatem edocti: sed et Deum tentare censeretur, qui dæmonis instinctu se e templi vertice præcipitem projiceret.[3] Quæ mediis in sæculis viguerunt *purgationes vulgares*, a nationibus septentrionalibus invectæ, tentationem quamdam Dei præseferebant; nec enim ex duelli eventu, nec ex ferro candente manu prehenso, nec ex deambulatione super ferrum candens, nec ex manu in aquam ferventem demissa, licebat innocentiam, vel culpam dignoscere: prout quærebant et confidebant. Quod igitur purgationes hujusmodi aliquando toleratæ sint, sacerdotibus etiam Missam dum fierent celebrantibus, contigit ex Ecclesiæ prudentia, quæ eas, ex quorumdam bona fide factas, passa est, quod gentes barbaræ ad fidem recentius adductæ non possent simul omni veteri superstitione exui. Eas tamen numquam probavit, sed penitus damnavit.[4] Constat quidem nonnumquam mirum purgationum

(1) "Une preuve que ce ne sont ni ces prières, ni les exorcismes, ni les lois, qui contribuent à entretenir les erreurs du peuple, c' est que chez les protestans qui ont rejeté toutes les pratiques de l' Eglise, en Suisse, en Angleterre, dans les pays du Nord, la divination, la magie, les sortiléges sont beaucoup plus communs que chez les catholiques, parceque ces crimes demeurent impunis parmi les protestans." Bergier, Dict. Théol. art. *Magie*.

(2) Deut. vi. 16. (3) Matt. iv. 7.

(4) *De purgat. vulgar.* tit. xxxi. Vide et S. Thomam, 2. 2. qu. xcv. art. viii. *Ad tertium.*

Digitized by Google

eventum rei veritatem demonstrasse; quod speciali Dei beneficio tribuendum est, qui, vel bonam fidem eorum, qui se purgabant, respexit, vel animum invitum, quo judicia hujusmodi innocentes subibant.

52. Tentatio Dei est gravissima culpa, quoties Dei perfectiones, revelatæque ab ipso veritates in dubium adducuntur: ipsa etiam Dei tentandi species gravi haud caret labe, quamvis bona fides aliquando excuset a tanto crimine. Reus igitur est, qui, absque scientia et animi preparatione, velit, nulla id exigente necessitate, concionari, sibi persuadens Deum Spiritus Sancti lumine eum illustraturum: hoc enim temere sibi pollicetur, qui subsidiis a Deo datis uti neglexerit. Promisit quidem Christus discipulis suis, coram tribunalibus ethnicorum accusatis, Spiritum Sanctum adfuturum, ut quæ oporteret, dicerent, adeo ut opus non esset magna animi solicitudine de defensione cogitare; Apostolis etiam magnam vim dicendi tribuit, ut veritates Evangelicas annuntiarent: sed discendi laborem ex assidua lectione noluit suis ministris sublatum.[1] Tentationis Dei etiam arguendus est, qui gravi laborans morbo remedium omne recusat, divina, ut jactat, ope innixus; quam tamen temere sibi pollicetur, nam "Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa."[2] Tentat quoque Deum, qui absque ipsius Dei instinctu petit absolute, et fidenter sibi, aliisque promittit miraculum ad fidem confirmandam: secus si gravi urgente causa, illud petat, dummodo Dei placito congruat: quod tamen, etiam conditione hac interposita, vix convenit.

(1) I. Tim. iv. 13. II. Tim. iii. 15. (2) Eccl. xxxviii. 4.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE SACRILEGIO.

53. *Sacrilegium* est rei sacræ, vel personæ Deo dicatæ violatio, *Personale* dicitur si persona sacra violata sit, quæ scilicet ordine sacro, vel voto solemni fuerit adstricta. Peccato igitur sacrilegii inquinatur qui sanctimonialem violaverit; qui autem vitiaverit fœminam simplici tantum voto ligatam, etsi pium aliquod institutum professa fuerit, sacrilegium non committit, quum sacra non sit; quamvis, si eam ad votum violandum induxerit, reus in causa violati voti habendus sit. *Locale* sacrilegium dicitur loci sacri, v : g : ecclesiæ, vel cœmeterii rite benedicti violatio. Hoc crimen admittit qui hominem in ecclesia occidit; vel sanguinem vel semen humanum voluntarie fundit; vel excommunicatum, aut non baptizatum sepelit. "Similiter violatur locus sacer, si in eo fiant conclamationes, deambulationes, mercatus, strepitus judiciorum sæcularium, non vero ecclesiasticorum pietatem spectantium."[1] De qua re jussit concilium Tridentinum: "Ab ecclesiis verò musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, ac dici possit."[2] In rem Hieronymus: "Deo non voce, sed corde cantandum. Nec in tragœdiarum morem guttur et fauces medicamine liniendæ sunt, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica."[3] Sacrilegium est hominem ex ecclesia extrahere, quum id sanctitati loci repugnet, qua nititur *jus asyli*, quod reis jure canonico et civili olim tributum est. "Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro."[4] Hinc calicem consecratum e templo, vel ex ædibus privatis furari, sacrilegium foret. Candelabra etiam, vel alia quæ ad

(1) S. Alphons. l. iii. n. 37.
(2) Sess. xxii. decr. *de observ. et evit. in cel. Miss.*
(3) In Eph. v.
(4) C. *quisquis* 17. qu. 4.

Digitized by Google

Ecclesiam pertinent, vel in ejus usum sint commodata, etsi non fuerint benedicta, si quis furto ex ipsa abstulerit, sacrilegii reus agnoscitur, non sacrum de sacro auferendo. Dubitatur autem utrum eo se scelere astringat qui res mere profanas, v: g: divitis crumenam, ex ecclesia furatur. Affirmans sententia probabilior S. Alphonso videtur.[1] Per actus autem mere internos non violatur sanctitas loci; ideoque pravæ cogitationes quibus quis in ecclesia indulsit, sacrilegii malitiam non habent. Qui effringunt ecclesias, et res sacras simul diripiunt, excommunicatione ipso facto ligantur.[2]

54. *Reale* Sacrilegium est rerum sacrarum indigna tractatio. Hoc admittunt qui sacramenta indigne ministrant, vel suscipiunt. Item qui sacra vasa in profano convivio adhiberet, sacrilegii reus foret. Cæterum si res sacræ ad communem materiam reducantur, v. g. calix ad communem massam argenti; videntur posse ad profanos usus converti: eas autem, in propria forma manentes, non licet ad usum, qui sacer non sit, convertere. "Altaris palla, candelabra, et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, male tractari, sed incendio universa traduntur."[3] Sic et ecclesia consecrata, quæ vetustate diruta sit, non est ad profanos usus transferenda, nec vendenda;[4] sed in loco erigenda est crux. Indigna tractatio reliquiarum et sacrarum imaginum sacrilegium est.

55. "Gravius peccatum," inquit S. Thomas, "est sacrilegium quo peccatur contra personam sacram, quam quo peccatur contra locum sacrum. Sunt tamen in utraque sacrilegii specie diversi gradus, secundum differentiam personarum et locorum sacrorum. Similiter etiam et tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum. Inter quas summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur: quorum præcipuum est Eucharistiæ sacramentum, quod continet ipsum Christum: et ideo sacrilegium quod contra hoc sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia. Post sacramenta autem secundum locum tenent vasa consecrata ad sacramentorum susceptionem, et ipsæ imagines sacræ, et reliquiæ sanctorum, in quibus quodammodo ipsæ personæ sanctorum venerantur, et dehonorantur: deinde ea quæ pertinent ad ornatum ecclesiæ et min-

(1) L. iii. n. 39.
(2) C. Conquest. 22. *de Sent. excom.*
(3) C. xxxix. *de consecr.* dist. 1.
(4) C. xv. *de simonia.*

Digitized by Google

istrorum: deinde ea quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive sint mobilia, sive immobilia. Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit."[1] De peccatis sacrarum personarum dicit: "omne peccatum quod sacra persona committit, materialiter quidem et quasi per accidens est sacrilegium. Unde Hieronymus dicit, quod nugæ in ore sacerdotis sacrilegium sunt vel blasphemia. Formaliter autem et proprie illud solum peccatum sacræ personæ sacrilegium est, quod agitur directe contra ejus sanctitatem: puta, si virgo, Deo dicata, fornicetur."[2]

56. Tempus, quo quis peccavit, sacrilegii labem inducere, Lugo cum aliis plerisque negat: excipit tamen S. Alphonsus: "nisi notabilis irreverentia irrogetur cultui divino, ut si quis in die Veneris sancti exhiberet comœdias, ludos publicos."[3]

(1) 2. 2. qu. xcix. art. iii. *Resp.* (2) Ibidem, *ad tertium.*
(3) L. iii. n. 46.

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE SIMONIA.

§. I. De simoniæ speciebus.

57. Simonia, a Simone Mago dicta, qui pecuniam obtulit Apostolis ut potestatem dandi Spiritum Sanctum sibi compararet, vitium est religioni contrarium: est enim "studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum:" quod utique fieri non potest absque divini cultus detrimento, et injuria. "Emptionis autem et venditionis est materia indebita res spiritualis, triplici ratione: primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari: ut de Sapientia dicitur Proverbiorum III.: "Pretiosior est cunctis opibus: et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.' Ideo etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans, dixit: 'Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.' Secundo, quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus: . . . prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator: secundum illud 1 ad Cor. iv. 'Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.' Tertiò, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt. Unde et Dominus dicit Matt. x. Gratis accepistis, gratis date. Et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo, et rebus divinis: propter quod peccat pecato irreligiositatis."[1]

58. Emptio autem fit non tantum pecunia, sed re vel opera quacumque, quæ pretio æstimari possit: ideoque præter munus *a manu*, munus *a lingua*, et munus *ab obsequio* a theologis dicuntur simoniam inducere. Si quis suffragium det episcopo eligendo ea conditione ut parœciam assequatur, est simonia; nam parœciæ redditus pro jure suffragii exercendo dantur, quod spirituale est, utpote ad dignitatem ecclesiasticam relatum. "Idem est

(1) 2. 2. qu. c. art. i. *Resp.*

Digitized by Google

quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset. Similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem: quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu; ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio."[1] Nequidem ob laborem qui actui sacro necessariò impenditur, quid potest exigi, quamvis ob extrinsecus advenientem difficultatem, v: g: iter longinquum; vel ob onus statuta hora munus peragendi, aliquid absque labe simoniæ accipit possit: v: g: si quis Missam circa meridiem celebret.

59. Simonia *juris divini* ea est quæ in se mala est, utpote emptio vel venditio rei sacræ: simonia *juris ecclesiastici* admittitur, quoties aliquid fit contra ecclesiæ vetitum, quod ob simoniæ periculum et speciem latum est. Porro necesse non est ut pretii rationem habeat pecunia pro re spirituali data; si enim tamquam *motivum* conferendi spirituale detur, vitium adest simoniæ, uti constat ex damnatione contrariæ propositionis: "Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, vel e contra." "Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis."[2]

60. *Mentalis* simonia ea est quæ mente celatur, adeo ut nullum intercedat inter dantem et recipientem pactum, quamvis eo animo detur res temporalis, ut spiritualis comparetur. Sic qui bona sua dat ecclesiæ ad instituendum beneficium, occulto animi consilio ut illud ipse ita comparet, mentalem simoniam admittit: non autem si id humiliter roget.[3] *Conventionalis* dicitur simonia, quando pactum saltem tacitum intercessit, quod tamen non est utraque ex parte executioni demandatum. *Realis* est si ex utraque parte impletum sit, saltem ex parte. Sic si quis cum altero pactus sit magnam pecuniæ copiam illi se daturum, dummodo episcopatum ei impetret;

(1) 2. 2. qu. c. art. v.
(2) xlv. et xlvi. inter damnatas ab Innoc. XI. anno 1679.
(3) C. xxxiv. *de simonia.*

Digitized by Google

et munus quoddam et pignus jam det, altero ejus opera evecto ad episcopatum, realis est simonia. Simonia *confidentiæ* est quando quis alteri procurat beneficium, pacto expresso vel tacito, inito, ut sibi, vel alteri illud resignet, vel pensionem ex eo solvat. Damnata est a Pio IV. et a Pio V.[1]

§. II. De Simonia in sacris muneribus.

61. Sacramenta imprimis ministranda sunt gratis : nam "accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari, quia consuetudo non præjudicat juri naturali vel divino." . . . "Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiæ, et consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum : non enim sumitur tamquam pretium mercedis, sed tamquam stipendium necessitatis. Unde super illud 1 ad Timotheum v. 'Qui bene præsunt presbyteri, etc. dicit Gloss. August. Accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino."[2] Hac ratione excusantur sacerdotes accipientes eleemosynas a populo in hac regione offerri consuetas occasione baptismi et matrimonii celebrandi : peccarent autem qui eas exigerent, denegando sacramenta ; quamvis post ea collata liceat (vix tamen expedit) postulare quæ ex consuetudine dantur. "Accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiæ, et consuetudinem approbatam, licitum est : ita tamen quod desit intentio emptionis, vel venditionis ; et quod ab invitis non exigatur per spiritualium subtractionem quæ sunt exhibenda : hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ et consuetæ oblationes, et quicumque alii proventus exigi a nolentibus, et valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente."[3] Rituale Romanum hæc habet : "Illud porro diligenter caveat (parochus), ne in Sacramentorum administratione aliquod quavis de causa vel occasione directe vel indirecte exigat aut petat, sed ea gratis ministret, et ab omni simoniæ atque avaritiæ suspicione, nedum crimine, longissime absit. Si quid verò nomine eleemosynæ, aut devotionis studio, peracto jam

(1) Bulla lxxxv. et Bulla quæ incipit : *Intolerabilis.*
(2) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. ii. *Resp.* (3) Ibidem, art. iii. *Resp.*

Digitized by Google

sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter episcopo videatur."[1]

62. Simoniæ rei sunt, qui pauperibus haud valentibus solvere oblationes consuetas, sacramenta nolunt impertiri. Qui autem sacramentorum illorum administrationi inhiant, ut eleemosynas accipiant, vel operam adhibent ut ampliores sibi tribuantur, cupiditatis potius quam simoniæ vitio inquinantur. "Si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, est manifeste simonia, et præcipue si ab invito exigantur. Si verò exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est simonia: si tamen desit intentio emendi vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, et præcipue quando aliquis voluntarie solvit. In his tamen omnibus solicite cavendum est quod habet speciem simoniæ, vel cupiditatis: secundum illud Apostoli 1 ad Thessalonicenses ult. Ab omni specie mala abstinete vos."[2]

63. Occasione ministrandi confirmationem nihil solet dari: sed episcopo visitationem facienti suæ diœceseos victualia præstanda sunt.[3]

64. Eucharistia etiam administranda est, nullo ea occasione accepto munere: sed Missæ celebratio et applicatio juxta specialem cujuspiam mentem, jus dat ad eleemosynam modicam, quæ plerisque in diœcesibus dimidio nummi argentei constat. Qui missionarii alicubi pecuniam accipiunt ampliorem, quoties congregationem aliquam invisunt, eam instar stipendii ob itineris labores, et plura munia sacri ministerii habent.

65. Pœnitentiæ ministrandæ occasione nihil est accipiendum: id enim in Rituali Romano districte est vetitum. "Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a pœnitentibus quidquam tamquam ministerii sui præmium petant, vel accipiant."[4]

66. Extremæ Unctionis occasione nihil accipitur, sed ægrotis omnia salutis subsidia gratis suppeditantur. Quod si sacerdos iter longinquum fecerit ad eos invisendos, nil vetat ut ei dentur necessariæ itineris impensæ: absit autem ut a pauperibus exigantur.

67. Ordines gratis omnino conferendi sunt: "Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro colla-

(1) De iis quæ in Sac. administr.
(2) 2. 2. qu. c. art. ii. *Ad quartum.*
(3) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. iii. *de Ref.*
(4) De Sac. Pœnit.

Digitized by Google

tione quorumcumque ordinum, etiam sponte oblatum, episcopi, et alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant."[1]

68. De moribus aliis alicubi vigentibus quorum tamen vix apud nos ullum est vestigium, dicit S. Thomas: "Prædicantibus etiam temporalia debentur ad sustentationem prædicantium; non autem ad emendum prædicationis verbum: unde super illud 1 ad Timotheum v. 'Qui bene præsunt presbyteri, etc.' dicit Glossa, 'Necessitatis est accipere unde vivitur, charitatis est præbere: non tamen venale est evangelium, ut pro his prædicetur. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione ecclesiastici officii, sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium."[2] Meritò autem damnata est a concilio Constantiensi propositio Wickleffi: "Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus."[3]

69. Vetuit Innocentius III. clericis ne quidquam omnino exigerent causa sepeliendi mortuos, et pravam consuetudinem abolendam statuit, qua alicubi "decedentibus non prius permittatur effodi sepulturam quam pro terra, in quia sepeliendi sunt, certum pretium ecclesiæ persolvatur."[4] Simonia declaratur admissa si quid detur pro mortuis sepeliendis.[5] Attamen ea est temporum nostorum conditio, quod locus sepulturæ in cœmeteriis consueverit emi, et occasione singulorum sepeliendorum pecunia plerumque ecclesiæ æditui, vel pastori persolvatur. Mores hos cum veteri disciplina et decretis componere facile non est: sed plerique eos vindicant consuetudine et rerum necessitate, quum pecunia accipiatur ob terræ valorem, et ad oneribus satisfaciendum, quæ ex ea olim comparata ecclesiæ imposita sunt. Quanti valeant hæ rationes aliorum relinquimus judicio; votum nostrum ingenue profitentes esse, ut tandem aliquando vetus hac in re disciplina restituatur. Pauperibus utique numquam licet denegare sepulturam, ob pecuniam non solutam.

70. "Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium. Licet tamen si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum

(1) Conc. Trid. Sess. xxi. cap. i.
(2) 2. 2. qu. c. art. iii. *Ad secundum.*
(3) Sess. viii.
(4) C. xiii. *de sepulturis*, et c. xli. *de simonia.*
(5) Cap. ix. *de simonia*, ex conc. Late.

Digitized by Google

monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes."[1] Ita S. Thomas. Hunc morem certam dotem accipiendi probavit pluries S. Congregatio concilii.[2]

§. III. De simonia in beneficiis.

71. Beneficium temporale quidem est, quatenus prædii cujusdam fructus respicit; sed spirituale habetur, ob munus sacrum propter quod jus ad eos percipiendos datur. "Habere beneficia ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum: quia non competit nisi habenti officium clericale: unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus: et propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici."[3] Jus patronatus, scilicet jus præsentandi clericum, qui si idoneus repertus fuerit, instituatur,[4] est etiam spirituale, nec vendi potest, nec exerceri, ob pretium.[5] Vendi tamen potest prædium, cui jus hoc adnexum est, dummodo non ideo augeatur ejus pretium. Nihil accipi potest ob immissionem in possessionem beneficii,[6] vel ob illud procuratum:[7] et restituendum necessario est quidquid collator inde derivaverit lucri: nam damnavit Alexander VII. propositionem: "Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur."[8]

72. Simonia juris humani est omnis de beneficiis transactio absque Papæ auctoritate;[9] sed eorum commutatio fit ex episcopi auctoritate,[10] venditio etiam officiorum sacristæ, œconomi, defensoris, advocati, procuratoris ecclesiæ:[11] acceptio munerum occasione examinis ad

(1) 2. 2. qu. c. art. iii. *Ad quartum.*

(2) Vide notas a P. Philippo a Carboneano, adjectas Theol. P. Antoine Tract. de virt. Rel. c. v. art. iii. qu. iv.

(3) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. iv. *Resp.*

(4) Cap. xviii. de jure patronatus.

(5) C. xxxix. *de simonia.*

(6) Cap. ix. et xxxvi. *de simon.*

(7) Cap. i. *præsent.* qu. v.

(8) Prop. xxii. inter damnatas, anno 1663, et 1666.

(9) C. iv. *de simon.* et c. v. *de rerum permut.* et c. ult. *de pactis.* et c. viii. *de transact.*

(10) Clement. *de rer. permut.*

(11) Cap. *Salvator* i. qu. iii.

Digitized by Google

parochiam,[1] vel occasione ordinum conferendorum, vel tonsuræ, vel litterarum dimissorialium[2] simonia eadem ratione est.

73. Simonia omnis juris divini grave est peccatum, imo plerumque immane: simonia juris humani, ob legis rationes, gravis plerumque est culpa, sed aliquando levior esse potest, quum quis non satis adverterit rei malitiam.

74. Vendi non possunt temporalia spiritualibus annexa pluris ob spiritualem quam veluti induta sunt speciem: sic calix consecratus non pluris valet quam alius ejusdem materiæ et formæ, qui non sit consecratus: theca argentea qua includuntur reliquiæ non pluris æstimanda est, quam si reliquiæ ea non includerentur.

75. Qui pecuniam accipit ea conditione, ut abstineat a spirituali quodam actu exercendo, simoniæ reus est, quoties omissio moraliter tribuitur potestati spirituali.[3] Sic si episcopus minas suspensionis clerico intentans munus ab eo acceptet, pacto inito de ea omittenda, simoniæ reus est: quod si nullum sit hujusmodi pactum, ne quidem tacitum, peccabit si munere se ab officio fungendo abduci sinat, quamvis simoniæ labes ei non sit inurenda, nisi forte mente, hac ratione, peccet.

76. Qui humano erga propinquos affectui in beneficiis, vel officiis ecclesiasticis conferendis, vel comparandis, nimis indulget, peccat, quamvis simoniæ non sit ideo culpandus, nisi lucrum sibi vel utilitatem aliquam inde polliceatur: "Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio, non tamen simoniaca: quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis det beneficium ecclesiasticum alicui, hoc pacto vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia."[4] Si episcopus det consanguineo pinguem, ut aiunt, parochiam, ea conditione ut quotannis ei detur pars quædam proventuum, est simonia: quod si conditio non fuerit apposita, sed spes mente concepta est simonia mentalis.

77. Si quis ad preces alterius munus spirituale conferat, nullo pretio accepto, nullaque commodi quod pretio æstimari queat spe, non est simonia, licet roganti velit gratificari, et sibi eum devincire:

(1) Sess. xxiv. c. xviii. de reform. (2) Sess. xxi. cap. i.
(3) Cap. xiv. de simonia.
(5) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. v. *Ad secundum.*

Digitized by Google

quod si ideo velit gratiam cum rogante inire ut utilitas sibi proveniat, simoniam sapit. Plerumque ex dignitate illius pro quo preces porriguntur judicandum erit, utrum simoniæ labes adsit; nam indigno conferens ut morem gerat alteri, videtur gratiam ambire hominis ob aliquod sui commodum. "Munus a lingua," inquit S. Thomas, "dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum: quia subest debita causa, ex qua illi pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur: tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum."[1]

78. Qui sacros ambit ordines ut beneficium recipiat, simoniacus est quoties præcipua ejus intentio in utilitatem temporalem dirigitur: secus si primo loco Dei gloriam et animæ salutem habeat. Sic qui ideo eos suscipit, ut commodis vitæ fruatur, ex fidelium donis sibi pecuniæ copiam non defuturam pollicens, simoniæ reus est, si id præcipuum habeat: quod si velit divino cultui se mancipare in animarum salutem, sed et utilitatem suam quærat, non erit tanti criminis damnandus, quamvis non omni vacet culpa. Jure optimo concilium Excestriense anno 1287, monuit eos qui sacros ordines ambiunt, ut animi consilia diligenter scrutarentur: "Ad propriam recurrant conscientiam, quo fine ad ordines aspirent, an ut Deo et Ecclesiæ virtuosius et gratiosius famulentur, non pro temporali quæstu, nec beneficiis a suis ordinatoribus extorquendis, quoniam tales simoniacos reputamus."[2]

79. Licet munus vel utilitatem aliquam alteri polliceri, vel dare, ut alliciatur ad aliquid faciendum spirituale, in animæ suæ bonum: nam non datur instar pretii, sed ut sic moveatur ad sibi consulendum. Sic parentes pueris pollicentur munera, si sua confiteantur sacerdoti peccata; si ecclesiam frequentent; si preces pie persolvant. Sic et manumissioni mancipii conditio quandoque adjecta est ut fieret monachus;[3] qua ratione optio data est monachi vel servi con-

(1) 2. 2. qu. c. art. v. *Ad tertium.*
(2) Can. viii.
(3) Cap. ii. *de conditione.*

Digitized by Google

ditionem eligendi. Sed onus nequit imponi, licet in ejus cui gratia fit utilitatem.[1]

80. "Qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest;"[2] inquit S. Thomas. Hinc sæpissime declararunt summi pontifices beneficia simoniace impetrata esse dimittenda.[3] Si alter, te sciente et non contradicente seriò et constanter, munere tibi impetraverit beneficium, est quoque dimittendum.[4] Fructus etiam beneficiorum, quæ simoniace quis suscepit, sunt restituenda.

81. Quæcumque simoniace sunt accepta restituenda sunt, deest enim titulus. Liquet emptionis vi ea retineri non posse, quum res spiritualis merx non sit. Porro nec donationis nomine possunt retineri, nam non sunt gratuito data, sed ea conditione ut spiritualia conferrentur: et donationibus hujusmodi, utpote bonis moribus contrariis, adversantur Ecclesiæ leges. Restituenda autem sunt datori, nisi in reali simonia de beneficiis, de qua specialiter statuitur ut dentur ecclesiæ, ad quam pertinet beneficium.[5] Ingredienti religionem simoniace pecunia restituenda est.[6] Qui pecuniam exegit ob munus sacrum quod gratis præstandum est, eam debet restituere: qui consueto plus exegit occasione matrimonii vel baptismi, debet excessum reddere danti.

82. Qui dant vel accipiunt, vel promittunt aliquid pro gratia vel justitia apud sedem Apostolicam assequenda, incurrunt ipso facto in excommunicationem Papæ reservatam, et gratia nulla est.[7]

83. Qui mentalis simoniæ reus est, ad dimittendum beneficium non tenetur; Gregorius IX. quippe ait: "Ad resignationem spiritualium et temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrimque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori,) eos pro simonia hujusmodi non teneri."[8] Consonat S. Thomas.[9]

(1) *Quam pio*, i. qu. ii. (2) 2. 2. qu. c. art. vi. *Resp.*

(3) Cap. *Si quis dator*, et cap. *Ea quæ*. i. qu. iii. cap. ult. *de pact.* Conc. Constantiens. Sess. xliii. Paul. II. in extravag. *Cum detestabile, de simon.* confirm, a Pio V.

(4) Cap. xxxiii. *de simon.*

(5) Cap. xi. *de simon.* (6) Cap. xix. *de eadem.*

(7) Extr. *de sent. excom.* in 6. et Bulla XXIV. Gregorii XIII.

(8) Cap. xlvi. *de simon.* (9) 2. 2. qu. c. art. vi. *ad sextum.*

Digitized by Google

84. Pœnæ ecclesiasticæ latæ sunt contra simoniam admittentes in ingressu vel professione religionis, in ordinatione, aut in beneficio, quo nomine munera superiorum in ordinibus religiosis includuntur. Ad eas contrahendas res spiritualis actu tradatur necesse est;[1] et juxta multos res temporalis, saltem quod partem.

85. In beneficiis excommunicatio Papæ reservata ipso facto incurritur, ab ea suscipientibus simoniace, et ab omnibus suam operam simoniæ præstantibus.[2] Collatio vel provisio nulla prorsus est ante omnem sententiam, et beneficium necessariò est dimittendum;[3] licet simonia sit solum conventionalis mixta.[4] Simoniace electus vel provisus fit inhabilis ad idem beneficium; nec potest illud ex episcopi dispensatione obtinere,[5] nisi simonia eo ignorante, nec ratam habente, sit admissa.[6] Imo fit inhabilis ad quascumque alias dignitates et beneficia.[7] Simonia realis in prælaturis religiosorum inducit excommunicationem Papæ reservatam, et obligationem dimittendi munus.[8] Pœnæ speciales simoniæ confidentiæ adnexæ sunt: excommunicatio Papæ reservata, si delinquentes sint inferiores episcopis: episcopi enim tantum interdicuntur ingressu ecclesiæ: privatio beneficii per confidentiam obtenti, et innabilitas ad illud, et ad alia acquirenda: imo privatio beneficiorum antea legitime possessorum.[9] Hæc pleraque ad nos nihil attinent, quum non sint apud nos beneficia stricte dicta; sed ea penitus ignorare fas non est theologo.

86. Pœnæ simoniæ in ordinatione admissæ sunt excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt tam ordinans, quam ordinatus;[10] ordinatus suspenditur ab omnium ordinum exercitio, et ordinans per triennium ab ordinibus conferendis,[11] imo, juxta bullam Sixti V. *Sanctum*, ab executione omnium munerum pontificalium, et ab ingressu ecclesiæ.

87. Pœnæ simoniæ circa ingressum religionis, et professionem, sunt excommunicatio ipso facto Papæ reservata, qua ligantur singuli dantes et accipientes, et suspensio ab officiis capitularibus in con-

(1) Extrav. i. et ii. *de simon.* et Can. i. qu. i.
(2) Extrav. i. *Cum detestabile.* (3) Conc. Constant. Sess. xliii.
(4) Vide Antoine Tract. *de Virtute Relig.* c. i. art. iii. qu. xxi.
(5) Cap. xxvii. *de simonia.* (6) Cap. penult. *de elect.*
(7) Bulla v. S. Pii V. (8) Extr. *Cum detestabile.*
(9) Bulla lxxxv. Pii IV., et Bulla lxxxv. Pii V.
(10) Extrav. *Cum detestabile.*
(11) Cap. xlv. *de simon.*

Digitized by Google

ventum si consenserit.[1] Scienter professus simoniace in arctius detrudendus est monasterium ad agendam pœnitentiam.[2]

De Beneficiis aliqua enucleatius dicenda videntur, ut quæ contigerit de iis obiter dicere in doctrina morum explicanda accurate intelligantur.

(1) Extr. Sane, *de simon.*
(2) Cap. xxv. *de simon.*

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE BENEFICIIS.

88. Beneficium ecclesiasticum vocatur jus perpetuum auctoritate Ecclesiæ constitutum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter munus spirituale. Sic parocho datur jus perpetuum ad reditus ecclesiæ cui præficitur, quod non desinit donec, ratione quam præscribunt canones servata, amotus sit, ob crimen, scilicet, seu irregularitatem: vicarii autem eo jure carent. Jus hoc nequit privati cujuscumque arbitrio constitui; quamvis enim possit quis annuos donare redditus sacerdoti solvendos, beneficii non habetur ratio, nisi Pontificis, vel episcopi, sanctione accedente. In re immobili constituitur beneficium, si enim quis *actiones* donet, ex quarum fructu sustentetur sacerdos, non censebitur beneficium instituisse: attamen S. Congregatio decrevit pensiones annuas a Gubernio Gallico loco beneficiorum quæ sibi usurpavit solutas, beneficii instar esse quoad nonnullos effectus. Datur beneficium propter officium spirituale,[1] v: g: propter curam quæ ei adnectitur animarum, vel propter horarum canonicarum recitationem.

89. *Sæculare* dicitur beneficium, quod clericis sæcularibus datur: *regulare* quod religiosis tantum conferendum est. *Simplex* beneficium est quod onus recitandi officium divinum, vel Missam celebrandi solummodo secum fert: ut capellania, simplex canonicatus, præstimonium, seu portio ex proventibus ecclesiasticis detracta, collata adolescentibus studiorum causa, in titulum perpetuum. *Duplex* beneficium vel curam animarum, vel jurisdictionem in foro externo importat: v: g: beneficium parochiale, vel episcopatus, abbatia etc. *Manuale* beneficium vocatur quod ad nutum collatoris auferri possit: v: g: capellania, quam quis apud se constituit, sacerdote accersito, cui ex pacto certos tribuit redditus, ad beneplacitum suum: sed minus recte designatur, quum beneficium plane non sit. Collatione libera prælati aliqua dantur beneficia: aliorum jus patronatus apud quemdam est, qui præsentat, vel nominat aliquem a prælato instituendum,

(1) C. ult. *de rescript.* in 6. et Conc. Trid. Sess. xxi. c. iii. *de ref.*

Digitized by Google

nisi indignus sit: ex electione aliqua pendent, quæ vim obtinent, accedente prælati confirmatione.

90. *In commendam* dari dicuntur beneficia, quorum administratio, seu custodia alicui datur, quin titulus apud eum sit: quod si detur in perpetuum, eadem fere jura ei competunt ac si titulo frueretur. Titulare dicitur beneficium, cujus titulus et jus ad vitam alicui confertur.

91. *Incompatibilia* sunt beneficia, quæ ab eodem simul haberi nequeunt, quum non possit oneribus utriusque simul satisfacere. Sic nequit quis duas habere parœcias, quæ a se sejungantur, vel duos episcopatus. *Compatibilia* habentur quæ quis simul possidere potest, quum onera diverso tempore persolvenda sint.

92. "Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri."[1] Defectus tamen tituli, qui latuit eum qui obtinuit beneficium, sanatur possessione trium annorum, dummodo simoniam haud admiserit. "Voluit et ordinavit idem Dominus noster," *(Papa)* "ut si quis quæcumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex apostolica, aut ordinaria collatione, aut electione per triennium pacifice possederit, si se non intruserit, super hujusmodi beneficiis molestari nequeat."[2]

93. *Libera collatio* omnium beneficiorum suæ diœcesis jure communi competit episcopo; quædam tamen ex fundatione, vel pontificis reservatione, vel alio ex capite alias conferuntur. Si neglexerit illud conferre intra sex menses a notitia vacationis habita, vel si indigno contulerit, jus pro ea tantum vice ad Superiorem proximum gradu devolvit, et sic gradatim ad Papam.

94. Præsentatio est exhibitio personæ cujusdam ad beneficium, legitime facta superiori a patrono, ut instituatur. Institutio est concessio juris in beneficio facta ad præsentationem patroni. Laicis aliquando competit præsentatio, et jus patronatus, quod est potestas præsentandi.[3]

95. Vacet oportet beneficium ut quis præsentet aliquem qui illud adipiscatur: vetita quippe est omnis præsentatio, vel promissio beneficii haud vacantis;[4] repugnat enim bonis moribus, et viam innumeris

(1) Reg. Juris in 6. (2) Reg. Cancellariæ.

(3) In Anglia juspatronatus ad quædam beneficia quæ jam Protestantes habent, penes Catholicos quosdam optimates est. Non video quomodo possint salva conscientia ministros hæreticos præsentare, quum operam suam dent hæresi sustentandæ.

(4) Cap. ii. *de concess. præb.*

Digitized by Google

malis pandit. Provisio, scilicet jus inde secutum, nullius est roboris.[1]

96. Jus patronatus acquiritur, soli in quo fundetur ecclesia donatione, quæ dicitur *fundatione*, ecclesiæ *ædificatione*, et *dotatione*, redditibus adsignatis. Si ab eodem omnia fiant, jus patronatus est penes eum: si a pluribus, est penes omnes, ex plurium arbitrio exercendum. Nullum acquiritur hujusmodi jus ædificata ecclesia ære collatitio; vel sola fundi donatione, absque speciali episcopi concessione. Hinc in statibus fœderatis nullibi agnoscitur. Jus patronatus ex serie longissima præsentationum probari potest, etsi titulus non alias liqueat. Concessione Papæ haberi etiam potest.

97. Jus patronatus *ecclesiasticum* dicitur, quod alicui competit ratione beneficii quod ipse possidet, v: g: episcopatus: vel ex eo quod de bonis ecclesiasticis beneficium fundarit, vel dotarit. *Laicum* dicitur quod ex fundata, ædificata, vel dotata ecclesia, a se, vel a suis majoribus, oritur. Laicum censebitur, licet penes sacerdotem sit, qui jure majorum suorum fruitur.

98. Patrono laico conceduntur quatuor menses a die quo beneficium vacare noverit, ut præsentet idoneum clericum: sex menses conceduntur ecclesiastico. Libere confert episcopus beneficium cui voluerit, tempore illo absque præsentatione elapso. Si plures patroni præsentent diversos, ille cui major eorum pars favet præfertur: sed si paria sint suffragia, episcopus ex præsentatis, pro conscientiæ suæ judicio, digniorem eligit: vel si scandalum inde oriturum sit, alium quemque ipse substituit.[2] Si patronus laicus duos præsentet, episcopus alterutrum instituit: si ecclesiasticus eos præsentet, qui prior est præsentatus, instituendus est, si fuerit dignus:[3] si dignus non fuerit, episcopus alii cuicumque, pro conscientiæ suæ arbitrio, confert beneficium, ecclesiasticus enim indignum præsentans, suo cadit jure pro ea vice. Patronus haud se ipsum,[4] sed filium suum præsentare potest: potest etiam ipse beneficium possidere, episcopo sponte illud ei conferente, motu scilicet proprio vel ejus precibus humilibus assentiendo. Si laicus præsentet indignum, monendus est ut alium præsentet: sed si dignum præsentet, digniori prætermisso, instituendus est.

99. Electio est designatio per suffragia facta alicujus qui ad beneficium, vel munus, idoneus sit. Jus ad beneficium electione compa-

(1) Reg. xxii. Cancell.
(2) Cap. iii. *de jure patron.*
(3) Cap. xxiv. *eod. tit.*
(4) Cap. xxv. *eod. tit.*

Digitized by Google

ratur; sed confirmatione superioris opus est ut jus in eo sit: quapropter immiscens se antea ei administrando jure ex electione orto cadit.[1]

100. Electio fit *per scrutinium*, suffragiis secreto latis; vel per *compromissum*, omnibus ad unum vel plures jus eligendi transferentibus, eorum judicio subscripturis; vel per *inspirationem*, omnibus uno veluti animi impetu in unum consentientibus.[2] Viva voce fit electio, quoties suffragia palam feruntur. Ut electio valeat, requiritur 1. ut in viris eligendis electores sint saltem subdiaconi.[3] 2. ut omnes qui suffragii ferendi jus habent, vocentur: nihil autem obstat, si aliquis noluerit venire, vel non potuerit.[4] 3. ut major vel sanior pars eligentium in unum consentiat;[5] sanior autem censetur pars quæ electionem juxta canonum præscriptum tenet.

101. *Postulatio* dicitur obsecratio superiori porrecta ut aliquem dignetur ad beneficium vacans admittere, qui eligi non poterat ob impedimentum canonicum, quod non est vitium corporis, vel animæ.

102. *Confirmatio* est actus superioris robur tribuens electioni, vel postulationi. Nisi petatur intra tres menses a notitia electionis, hæc irrita est.[6]

103. *Resignatio* est spontanea sui beneficii dimissio coram superiore legitimo, eam acceptante, facta. *Simplex* resignatio ea est quæ nulla oneratur conditione. Si fiat ea conditione ut beneficium cuiquam conferatur, dicitur *resignatio in favorem:* si conditio sit, ut aliud resignanti conferatur beneficium, est *permutatio*.

104. Simplex resignatio licet; sed æqua ex causa facienda est, non enim temere quis debet suo se munere abdicare. Pleræque resignationum causæ versu hoc continentur:

> Debilis, ignorans, male conscius, irregularis,
> Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Vide et constitutionem lviii. S. Pii V.

104. Valet resignatio facta a reo qui ob crimen beneficio privandum se timet: sed irrita haberi poterit, si justitiæ exercendæ id utile sit. Non valet si extorqueatur metu injusto, vel dolo, vel vi.[7]

(1) Cap. v. de elect. in 6. (2) Lat. iv. c. xxiv.
(3) Clement. ii. *de ætate*. Conc. Trid. Sess. xxiv. c. iv. de ref.
(4) Cap. xxviii. de elect. (5) Conc. Lat. iv. cap. xxiv.
(6) Cap. vi. *de elect.* in 6.
(7) C. iv. *Quæ vi metusve caussa fiunt*, et c. v. de renuntiat. et Clement I. de pœnis.

Digitized by Google

105. Resignatio in favorem, vel alia conditione onerata, nequit fieri, nisi ex Papæ auctoritate: nam jure communi prohibetur omnis pactio in beneficiis:[1] quapropter resignans non perdit jus suum, nisi postquam Papa acceptaverit resignationem.[2] Consensus patroni laici requiritur, quum alioquin suo jure præsentandi fraudari videretur, alio in beneficium absque ejus consensu immisso. Acceptari debet etiam, antequam resignans suo cadat jure. Si resignans sit infirmus, et intra viginti dies a resignatione decedat, resignatio caret robore, et beneficium per obitum censetur vacare.[3] Debet fieri ob utilitatem Ecclesiæ, haud privato studio et affectu: quod si fiat ob lucrum, vel commodum temporale, simoniæ labem secum trahit. Ægrotanti non licet resignatio cum conditione etiam tacita regressus si convaluerit.[4]

106. Reservari nequit pensio absque Papæ auctoritate, ob æquam causam,[5] qualis foret senium, vel infirmitas resignantis.

107. *Permutatio* beneficiorum fit, dum duo in favorem resignant, alter alterius, et vicissim. Exigitur Papæ auctoritas; et si in diversis diœcesibus sita sint, utriusque episcopi consensus. "In permutatione," inquit D. Thomas, "est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque; vel alterius, talis commutatio fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia."[6]

108. Ut quis capax sit beneficii possidendi requiritur 1. Ut ex thoro legitimo natus sit: episcopus tamen dispensare potest ut spurius recipiat beneficium simplex, sicut et minores ordines cum tonsura:[7] Papæ desideratur auctoritas ut ultra progediatur. 2. Ut sit clericus, tonsura scilicet saltem initiatus:[8] quod si beneficium certum quendam exigat ordinem, debet saltem intra annum eum suscipere.[9] 3. Ætas idonea requiritur;[10] ad episcopatum scilicet trigesimus an-

(1) Can. *Plerique*, 8. qu. i. (2) Cap. ult. de renunt.

(3) Reg. Cancellariæ *de infirmis*.

(4) Conc. Trid. Sess. xxv. c. vii. et Bull. cxxxiv. Pii. V.

(5) Vide constit. Benedicti XIV. *In sublimi beati Petri cathedra*. editam 4 kal. Sept. 1741. t. i. p. 71.

(6) In iv. dist. xxv. qu. iii. art. iii. ad 8.

(7) C. i. *de filiis presbyter*. in 6. et c. xx. *de electione*.

(8) C. vi. *de transact*. et c. ii. *de instit*.

(9) C. xxii. *de elect*. et ex Clement. ii. *de ætate*. et Conc. Trid. Sess. xxii. c. iv. de ref.

(10) C. vii. *de elect*.

Digitized by Google

nus completus ;[1] ad abbatias, dignitates et parœcias vigesimus quintus inchoatus ;[2] ad dignitates absque cura animarum, annus vigesimus secundus completus ;[3] ad beneficia simplicia annus decimus quartus ;[4] ad canonicatum ecclesiæ cathedralis annus vigesimus secundus completus. 4. Cœlibatus requiritur, ita ut qui conjugium init, ipso jure amittat beneficium.[5] Conjugatus ad beneficia non admittitur, "nisi forte castitatem voveret perpetuam, et qui unicam et virginem habuisset uxorem."[6] 5. Immunitas a censura et irregularitate etiam occulta, necessaria est ; alioquin nulla est beneficii collatio, et quæ ei præcessit electio, præsentatio, vel resignatio in favorem.[7] 6. Morum probitas desideratur ;[8] attamen collatio per se non est nulla, nisi crimen censuram, vel irregularitatem annexam habeat.[9] 7. Scientia necessaria ad munera beneficio annexa obeunda requiritur.[10] 8. Corporis quoque aptitudo : cæcus scilicet non posset ad beneficium eligi, quamvis illud non amittat, cæcitate superveniente. 9. Vocatio divina.[11] 10. Intentio perseverandi, et suscipiendi ordinem muneri suo necessarium, exigitur : qua deficiente, reus censetur peccati mortalis, quamvis eum ad restituendum fructus, si solverit officium, plerique theologi non ligent, implevit scilicet onus der id temporis præscriptum. Quod si parœciam susceperit absque animo suscipiendi sacerdotium intra annum, et animum haud mutaverit, tenetur ante omnem sententiam fructus perceptos restituere, et dimittere beneficium : eo enim privatur ipso facto.[12]

109. Plura beneficia, etiam simplicia, simul retinere non licet, si unum congruam suppeditet sustentationem : secus beneficium simplex alteri adjungere licebit.[13]

110. Indigno conferre beneficium, etiam simplex, peccatum est mortale, nam Ecclesiæ præcepto plane repugnat,[14] et in ecclesiæ perniciem cedit. Minus digno conferre episcopatum, prætermisso digniori, est peccatum mortale, prout declaravit concilium Tridentinum, dicens,

(1) Cap. vii. de elect.
(2) Conc. Trid. Sess. xxiv. c. xiii.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem, Sess. xxiii. c. vi.
(5) Cap. ii. iii. v. et viii. de cleric. conjug.
(6) Cap. ii. eod. tit.
(7) C. vii. de cleric. excom. c. viii. ætat. et. c. ult. de cleric. pugnant. et c. xviii. de sent. excom. in 6.
(8) Conc. Trid. Sess. Sess. xxiii. c. i.
(9) C. xi. de excess. præl.
(10) C. vii. de elect.
(11) Heb. v. 4.
(12) Cap. xxxv. de elect. in 6.
(13) Conc. Trid. Sess. xxiv. c. xvii.
(14) Lat. iv. cap. *Grave*, de præbend.

Digitized by Google

"omnes et singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, aut alioquin operam suam præstant . . . mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint."[1] Id de parœciis decrevit etiam Pius V. concilii menti[2] inhærens: "Ut non solum dignis, sed etiam magis idoneis repertis, juxta concilii Tridentini decretum, parochiales ecclesiæ conferantur, volumus, et eadem auctoritate decernimus."[3] Innocentius XI. insuper damnavit propositionem sequentem: "Cum dixit concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes peccare mortaliter, qui nisi quos digniores, vel Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent; concilium vel 1. videtur per hoc digniores, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel 2. locutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur 3. quando fit concursus." Equidem quum animarum profectus et salus ex præsulum et parochorum virtute et studio adeo pendeat, grave procul dubio peccatum est, digniorem prætermittere. Cæterum dignior censetur, qui, omnibus rerum adjunctis perpensis, magis utilis videtur: aliquando enim qui sanctioris est vitæ minus idoneus muneri est: ideo dicit S. Thomas: "necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune."[4] Beneficia simplicia dignioribus etiam conferenda suadet ratio et auctoritas: et graviter peccare censent plurimi eum qui digniorem prætermittit.

111. Beneficia amittuntur morte; libera resignatione a superiore acceptata; judicis sententia ob crimen rite probatum in judicio, et hac pœna juxta canones puniendum, v: g: homicidium, sacrilegium, adulterium, vel fornicationem, perjurium, etc. Jus etiam statuit beneficium prius amitti, si quis aliud consequatur *incompatibile:* si conjugium contrahat; si professionem in religione probata emittat; si crimen patret cui privatio ipso facto adnexa sit, v: g: si in hæresim incidat, vel schisma; si simoniæ labem admiserit in beneficio ineundo; si litteras apostolicas falsò cudat, vel vitiet; si sodomia se inquinet; si per sicarium pretio conductum alterum occidat.

112. Pensio est jus percipiendi fructus ex alterius beneficio. Ad eam constituendam plerumque exigitur Papæ dispensatio, nam jus

(1) Sess, xxiv. c. i. de Ref.
(2) Ibidem, c. xviii.
(3) Const. xxxiii.
(4) 2. 2. qu. lxiii. art. ii.

Digitized by Google

exigit, "ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur." Episcopi in quibusdam rerum adjunctis eam constituunt, juxta concilium Tridentinum.[1] Qui ea fruitur tenetur sub mortali recitare quotidie officium B. Mariæ V.[2] Hæc de Beneficiis sufficiunt, ut quis non omnino hospes in re hac habeatur.

(1) Sess. xxi. cap. vi. et Sess. xxiii. cap. xviii.
(2) Pius V. in Bulla, *Ex proximo.*

Digitized by Google

TRACTATUS XIII.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PARS I.

DE FIDE.

CAPUT I.

DE FIDEI NATURA.

1. Fides est "virtus theologica a Deo infusa inclinans nos ad firmiter assentiendum, ob divinam veracitatem, omnibus quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit." Ita S. Alphonsus Maria.[1] Eam a Deo infundi constat ex Apostolo, "Dei enim donum est."[2] "Quum homo assentiendo his quæ sunt fidei," ait præclarus magister Scholarum, "elevetur supra naturam suam, oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus."[3] Firmum omnino et indubium esse fidei assensum liquet, quum res sperandas intellectui offerat, et quæ non videntur, menti omnino exhibeat, juxta illud Apostoli: "Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium."[4] Et quidem Dei veritate innititur, ideoque omnem erroris formidinem excludit. Ideo damnatæ sunt propositiones sequentes: 19. "Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium. 20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. 21.

(1) Theol. Moral, l. ii. c. i. n. 2.
(2) Eph. ii. 8.
(3) S. Thom. 2. 2. qu. vi. art. i. *Resp.*
(4) Heb. xi. 1.

Digitized by Google

Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus. 22. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit."[1]

2. Fidei certitudo maxima est, utpote divina veritate innixa, quapropter eam dicit S. Thomas præstare scientiæ humanæ "Apostolus dicit 1. ad Thess. II. cap. 'Cum accepissetis a nobis verbum auditus,' scilicet per fidem, 'accepistis id non ut verbum hominum, sed sicut vere est, verbum Dei. Sed nihil certius verbo Dei. Ergo scientia non est certior fide, nec aliquid aliud."[2] "Sicut aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur. Et multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione, quæ falli potest."[3]

3. Eadem omnibus fidelibus est fides, nam "una fides"[4] sicut unus est Dominus: cæterum intensior est uni præ altero; "dicit enim Dominus Petro, Matt. xiv. 'Modicæ fidei quare dubitasti?' Et mulieri dixit Matt. xv. 'Mulier, magna est fides tua.' ... Potest ergo fides in aliquo dici major: uno modo, ex parte intellectus, propter majorem certitudinem, et firmitatem; alio modo, ex parte voluntatis, propter majorem promptitudinem, seu devotionem, vel confidentiam."[5]

4. "Ipsum credere," inquit Augustinus, "nihil aliud est quam cum assensione cogitare."[6] Sed assensio hæc ab opinione distinguitur firmitate et certitudine; a scientia verò differt, quum res non pateat rationi: "actus iste, qui est credere, habet firmam adhæsionem ad unam partem, in quo convenit credens cum sciente et intelligente: et tamen ejus cognitio non est perfecta per maximam visionem."[7] Nec temere assentitur intellectus, quamvis desit rei demonstratio evidens; nam argumenta momentaque rationum probant rem revelatam, ideoque veram esse, utpote Dei suffultam auctoritate: "Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id, quod creditur: habet tamen inquisitionem quandam eorum, per quæ in-

(1) Inter prop. damnatas ab Innoc. XI.
(2) 2. 2æ. qu. iv. art. viii. *Sed contra est.*
(3) Ibidem, ad ii. (4) Eph. iv. 5.
(5) S. Thomas, 2. 2æ. qu. v. art. iv. *Sed contra*, et *Resp.*
(6) L. *de prædestinatione Sanctorum*, c. ii.
(7) S. Thomas, 2. 2æ. qu. ii. art. i. *Resp.*

Digitized by Google

ducitur homo ad credendum; puta quia sunt dicta a Deo, et miraculis confirmata."[1] Hac ratione explicat Angelicus Doctor Apostoli definitionem: "sumitur argumentum pro argumenti effectu. Per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero: unde ipsa firma adhæsio intellectus ad veritatem fidei non apparentem, vocatur hic *argumentum*. Unde alia littera habet, *convictio:* quia scilicet per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non videt."[2]

5. Objectum fidei est prima veritas; quidquid enim creditur, ideo creditur quod a Deo revelatum sit, uti præclare docet Angelicus Doctor: "In fide si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud, quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinæ fides innititur tamquam medio. Si verò consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia, quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum: prout scilicet per aliquos divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte objectum fidei est quodammodo veritas prima, in quantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum."[3]

6. Falsum fidei subesse nequit, quum Dei veritate ipsa nitatur: cæterum quis poterit persuasum habere se fide tenere quæ humano errore sequitur; uti contingit hæreticis certam notitiam peccatorum sibi remissorum, et justitiæ Christi sibi imputatæ, jactantibus. Poterit etiam fidelis falli de re singulari, quæ veritate et principio fidei contineri videatur, v: g: de Christi Domini præsentia in hostia, quam a sacerdote consecratam fuisse existimat: sed "fides credentis non refertur ad has species panis, vel illas, sed ad hoc quod verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quando recte fuerit consecratum."[4]

7. Fides dicitur "argumentum non apparentium," neque enim quæ videntur fide tenenda sunt. Cæterum ex visione aliquando oritur fides rei visui haud subjectæ, sicut "Thomas aliud vidit, et aliud credidit; hominem vidit, et Deum credens, confessus est, cum

(1) S. Thomas, 2. 2æ. qu. ii. art. i. *Ad primum.*
(2) Ibidem, qu. iv. art. i. *Resp.*
(3) Ibidem, qu. i. art. i. *Resp.* (4) Ibidem, ad 4.

Digitized by Google

dixit, Dominus meus et Deus meus."[1] Sic Ecclesia sensibus subjacet, est enim hominum cœtus; sed fide agnoscimus ejus dotes et privilegia divinitus tributa.

8. Quæ sciuntur non possunt fide teneri, ea saltem ratione qua scientiæ patent: fides enim est assensus rei non manifestæ nixus auctoritate Dei. Hinc videtur S. Thomas sentire, eum cui, certis argumentis ex rerum natura, vel alio fonte naturali, derivatis, persuasum est Deum existere, non posse fidem hac de re habere,[2] quamvis fateatur plura alia fide excipi posse, quæ ratio non adeo aperte demonstrat: "Multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione investigare philosophi non potuerunt: puta circa providentiam ejus et omnipotentiam, et quod ipse solus sit colendus: quæ omnia continentur sub articulo unitatis Dei."[3] Cæterum existimamus omnes, etiam qui perspectum habent ratione naturali Deum existere, debere fide tenere "QUIA EST;"[4] nec obstant demonstrationes philosophicæ, quum non ita se prodat Numen ratiocinanti, ut tollatur omnis caligo. Ipse Angelicus Doctor docet, "quod necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt. . . . Ut ergo esset indubitata, et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest."[5]

9. "*Per se* ad fidem pertinent illa, quæ directe nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, et alia hujusmodi. Et secundum ista distinguuntur articuli fidei. Quædam vero proponuntur in sacra Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad prædictorum manifestationem: sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuus: et alia hujusmodi."[6] Ita Angelicus Doctor. Sic auctoritas præsulum Ecclesiæ in novo Testamento est eo directa, ut certò innotescant credenda divina mysteria; ideoque *per se* ad fidem non pertinet, quamvis omnino sit fide excipienda.

10. Progrediente tempore Deus se suaque consilia amplius revelavit; fidei tamen substantia eadem mansit, nam ipso credendi principio omnia includebantur. "Omnes articuli implicite continentur

(1) 2. 2æ. qu. i. art. 4. Ad i.
(2) Ibidem, art. iv. *Resp.*
(3) Ibidem, art. viii. Ad i.
(4) Heb. xi. 6.
(5) 2. 2æ. qu. ii. art. iv. *Resp.*
(6) Ibidem, qu. i. art. vi. Ad i.

Digitized by Google

in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse, et providentiam habere circa hominum salutem: secundum illud ad Heb. xi. 'Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.' In esse enim divino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit. In fide autem providentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via in beatitudinem. Et per hunc etiam modum aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis continentur: sicut in fide redemptionis humanæ, implicite continentur et incarnatio Christi, et ejus passio, et omnia hujusmodi."[1]

11. Quæcumque Deus revelavit, fide excipienda sunt; habent enim universa ipsum veritatis vadem. Ideo Christus jussit apostolis, ut traderent "omnia quæcumque" ipsis mandaverat.[2] Equidem qui unam rejicit veritatem, quam a Deo revelatam esse testatur Ecclesia, omnium fundamentum evertit; adeo ut arbitrio potius, et lubito, quam Dei auctoritate certo cognita, cæteras tenere censendus sit, uti recte docet Angelicus Doctor: "Quicumque non inhæret sicut infallibili et divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei: sed ea quæ sunt fidei, alio modo tenet, quam per fidem: sicut si aliquis teneat mente aliquam conclusionem, non cognoscens medium illius demonstrationis, manifestum est quod non habet ejus scientiam, sed opinionem solum. Manifestum est autem, quod ille qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tamquam infallibili regulæ, omnibus assentit quæ Ecclesia docet; alioquin si de his quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, et quæ non vult, non tenet, non jam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati. Et sic manifestum est, quod hæreticus, qui pertinaciter discredit unum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ. Si enim non pertinaciter, jam non est hæreticus; sed solum errans. Unde manifestum est, quod talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quandam secundum propriam voluntatem."[3]

(1) 2. 2æ. qu. i. art. vii. *Resp.* (2) Matt. xxviii. 20.
(3) 2. 2æ. qu. v. art. iii. *Resp.*

Digitized by Google

CAPUT II.

DE FIDEI SYMBOLIS.

12. Præcipua quæ credenda sunt, symbolo recensentur; scilicet quæ respiciunt Deum unum, et trinum, et redemptionis mysterium, et subsidia salutis nobis in Ecclesia præstita, ut vitam æternam consequamur. "Illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruemur, et per quæ ducemur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum divinitatis cujus visio nos beatos facit: et mysterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus: ut dicitur ad Rom. v. Unde dicitur Joan. xvii. 'Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. . . . Proponuntur nobis opera divinitatis propria; quorum primum pertinet ad esse naturæ: et sic proponitur nobis articulus creationis: secundum verò pertinet ad esse gratiæ: et sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam: tertium verò pertinet ad esse gloriæ: et sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis, et de vita æterna."[1]

13. Quanta cum utilitate omnium præcipuæ fidei veritates symbolo enuntientur, præclare explicat S. Thomas: "Veritas fidei in sacra Scriptura diffuse continetur, et variis modis, et in quibusdam obscure: ita quod ad eliciendum fidei veritatem ex sacra Scriptura, requiritur longum studium et exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem: quorum plerique, aliis negotiis occupati, studio vacare non possunt. Et ideo fuit necessarium, ut ex sententiis sacræ Scripturæ aliquid manifestum summarie colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum: quod quidem non est additum sacræ Scripturæ, sed potius ex sacra Scriptura sumptum."[2]

14. Symbolum, quod Apostolorum dicitur, eo quod Apostoli existimentur illud condidisse, tesseræ instar, antequam in orbem universum discesserint, Evangelium prædicaturi, eorum ætate certe non

(1) 2. 2æ. qu. i. art. viii. *Resp.* (2) Ibidem, art. ix. Ad i.

Digitized by Google

est longe posterius, quum ab antiquissimo tempore ubique usurpatum inveniatur, nonnulla tamen in vocibus varietate. Illud ad Apostolos auctores referendum esse suadent vetus ille mos et traditio. Equidem Ruffinus testatus est majores ita tradidisse; et Ambrosius ad illud apud Ecclesiam Romanam integrum servatum provocavit: "Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, et servat."[1] Quæ autem dicit Tertullianus de regula fidei ab Apostolorum traditione descendente, "credendi scilicet in unum Deum omnipotentem, mundi Conditorem, et in Filium ejus Jesum Christum;"[2] et quæ pari ratione laudat Irenæus, "fidem in unum Deum Patrem omnipotentem"[3] videntur non tantum doctrinam, sed et verborum formam respicere. Quod autem nonnulla sit apud Ecclesias quasdam vocum varietas, mirum non est, quum scripto ab Apostolis non fuerit demandatum, sed memoriæ fidelium commissum; et hæresibus exortis, quædam voces, eas rejiciendi causa, alicubi sint adjectæ. Sed concordia omnium symboli exemplarium in articulis præcipuis, et eorum serie, sicut etiam in vocibus plerumque, ostendit originem communem, quam apostolicam esse non dubitamus. Illud ad Apostolorum ætatem referre non renuit Calvinus, licet Apostolis abjudicet. "Neque verò mihi dubium est, quin a prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipso Apostolorum sæculo, instar publicæ et omnium calculis receptæ confessionis, obtinuerit."[4]

15. Symbolum vetus Romæ usurpatum his verbis constitisse ex Ruffino colligimus: "Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum, Filium ejus Unigenitum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, crucifixus sub Pontio Pilato, mortuus et sepultus: tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem."

16. Aquilejense exemplar voces "invisibilem et impassibilem," primo articulo adjungebat; "descendit ad inferna," post ea quæ mortem et sepulturam respiciunt; et "Catholicam" designat Ecclesiam, prout in symbolis orientalibus constanter designatur, quæ et habent articulum de vita æterna.[5]

(1) L. i. Ep. 7. *ad Siricium.*
(2) L. *de velandis virginibus* cap. i. Vide et l. *de præscript.* c. xiii.
(3) L. i. *adv. hær.* c. ii. (4) *Instit.* l. ii. c. xvi.
(5) Vide S. Cyrilli Hieros. Catecheses.

Digitized by Google

17. Explicatior fuit apud Orientales fidei formula, ob hæreses apud eos statim post Apostolorum ætatem ortas, quas rejicere oportebat, adjectis symbolo vocibus. Profectò quam exposuit Cyrillus fidelibus ex veteri ecclesiæ Hierosolymitanæ usu, et quam Eusebius Cæsareensis in concilio Nicæno recitavit, olim dum ipse baptizaretur usurpatam, fusior est Romana. Nicæni patres ad Arii impietatem evellendam plures voces adjecerunt: sic enim symbolum ab iis est recitatum: "Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium creatorem: et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum; non factum: consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo sunt, et in terra. Qui propter nos homines, et propter salutem nostram descendit, incarnatusque et homo factus est, et passus. Qui resurrexit tertia post die: adscendit ad cœlos: venturus est, ut vivos judicet, et mortuos. Credimus et in Spiritum Sanctum; eos autem, qui dicunt, fuit aliquando tempus, quum non esset, et antequam gigneretur, non erat, vel quod de non exstantibus factus est; aut qui ex altera substantia, vel essentia dicunt esse Filium Dei, aut creatum, aut conversioni mutationique obnoxium, anathemate ferit sancta Catholica et Apostolica Ecclesia."

18. Post ortam hæresim Macedonii, qui Spiritum Sanctum Deum esse negavit, Constantinopolitani Concilii patres, aliqua adjecerunt symbolo quibus eum Deum agnoscebant, vocesque aliquas de Patre et Filio immutarunt, claritatis causa. Prædicant igitur Patrem "factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium:" Filium autem "natum ante omnia sæcula; . . de Spiritu Sancto ex Maria Virgine . . . crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato . . . et sepultus . . . sedet ad dextram Dei, cujus regni non erit finis." . . Spiritum Sanctum agnoscunt "Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et glorificatur."

19. Sæculo sequiori in quibusdam ecclesiis Occidentis voces: "et Filio," adjectæ sunt, ut Spiritus Sanctus ex utroque procedere intelligeretur, prout semper intellexerat Ecclesia; quamvis grassante hæresi Macedonii, voces illæ possent detorqueri ad significandum eum a Filio, instar rerum omnium creatarum, conditum. Additionem ob dissidiorum periculum haud facile probavit pontifex Romanus; sed tandem mori inducto suæ auctoritatis robur adjecit.

21. Symbolo ita aucto utitur inter Missarum solemnia Ecclesia

Digitized by Google

per orbem, Apostolico symbolo inter ritus Baptismi, et dum sacerdotium confertur, adhibito. Post ortas hæreses sexto decimo sæculo edita est auctoritate Pii IV. juxta definitiones Tridentini concilii, fidei professio, quæ symbolo Nicæno-Constantinopolitano plura adjungit, quibus hæresum illarum suspicio procul amovetur. "Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his baptismum, confirmationem, et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt; amplector, et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis, et defunctis, atque in sanctissimo eucharistiæ sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Ro-

Digitized by Google

manam Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem, et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a sacris canonibus et Œcumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro."

22. Hæc fidei professio facienda est ab iis qui ab hæresi ad fidem traducuntur, ut censuris solvi valeant; a præsulibus Ecclesiasticis, et ab omnibus qui obtinent dignitates, vel beneficia cum cura animarum.[1] Videtur ob rationem eandem facienda a Missionariis omnibus, antequam curam hanc suscipiant.

23. Quod plura ea contineantur quæ *per se* ad fidem non pertinent, sensu quo D. Thomas loquitur, non obstat, quum ob nexum cum iis quæ ita spectant fidem, plurimum habeant momenti, et divina innitantur veritate. Quod autem tot articuli simul adjicerentur symbolo, contigit ex hæreticorum nimia audacia, terminos evellentium quos posuerant patres, et certissima et antiquissima Ecclesiæ principia conculcantium. Nihil autem novi accessit fidei; sed quæ dogmata ex constanti prædicatione et usu Ecclesiæ semper fuerant celebrata, explicatius proposita sunt, pro veteri Ecclesiæ more, quippe "nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores."[2] Equidem "in doctrina Christi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata. Sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam et cæteras doctrinas et Scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditionem, sicut dicitur II. Petri ult. ideo necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores."[3] Quod objicere consueverunt novatores Ephesini concilii

(1) Conc. Trid. Sess. xxiv. de Ref. c. xii.

(2) 2. 2æ. qu. i. art. x. *Resp.*

(3) Ibidem, Ad I. Jeremias Taylor de additionibus symbolo factis in concilio Nicæno dicit: "if this precedent had been followed by all councils, (and certainly

Digitized by Google

decretum ne nova conderetur fidei formula, jam olim ab Angelico Doctore solutum est: "Prohibitio et sententia synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per hujusmodi sententiam synodi generalis ablata est potestas sequenti synodo novam editionem symboli facere; non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam. Sic enim quælibet synodus observavit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus authoritate synodus congregatur, et ejus sententia confirmatur."[1]

24. Celebre est quoque symbolum Athanasianum, quod in officio Dominicali recitatur. Nomen ab Athanasio, celebri mysterii quod explicat vindice, mutuatum est; quamvis recentiorum judicio plerorumque non habeatur ejus auctor. Id exploratum videtur plura quæ e diametro adversantur hæresibus ejus ætate posterioribus vix posse ei adscribi; nec enim unquam objecta sunt hæresum auctoribus: quod contigisset utique si Athanasii nomine, et Ecclesiæ publico usu, celebrata jam fuissent.

they had equal power, if they had thought it equally reasonable) . . . to what a volume had the creed by this time swelled?" *Liberty of Prophesying*, sect. ii.

(1) 2. 2æ. qu. i. art. x. Ad II.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE FIDEI NECESSITATE.

25. Fidem ad salutem omnino requiri constat ex Apostolo: "Sine fide autem impossibile est placere Deo."[1] Eam adultis necessariam esse *necessitate salutis* dicunt post D. Thomam Scholæ doctores; quod scilicet absque ea nulli salus unquam contingat: nam Tridentinum concilium de ea dicit: "sine qua nulli unquam contigit justificatio."[2] Constat Deum remuneratorem necessario agnoscendum: "Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit."[3] Ex quo Christus Dominus Apostolos in universum orbem misit, fidei doctrinam tradituros, Trinitatis et Incarnationis mysteria pariter credenda censent plerique theologi; æternæ vitæ consecutionem ex Christi cognitione pendere, ex Christi ipsius verbis colligentes: "Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum."[4] Quum autem eorum conditio qui omni externo subsidio ad notitiam mysteriorum horum careant, objiciatur, ad occulta justissimaque Dei decreta confugiunt, obicemque divino lumini culpa poni conjiciunt, cum D. Thoma: "hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis in sylvis, vel inter bruta animalia enutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, certissime tenendum est quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Act. x."[5] Cæterum Cardinalis Gotti, quem plures sequuntur, ait: "Sententia negans fidem explicitam Christi, et Trinitatis esse ita necessariam, ut sine ea nemo justificari, aut salvari queat, valde probabilis est."[6] Ea credenda esse ex præcepto om-

(1) Heb. xi. 6.
(2) Sess. vi. Decr. de justif. c. vii.
(3) Heb. xi. 6.
(4) Joan. xvii. 3.
(5) D. Thom. qu. xiv. *de veritate*, art. xi. *ad primum*.
(6) Theol. t. 2. tr. 9. qu. 2. D. 4. §. i. n. 2.

Digitized by Google

nes fatentur, omnibus enim quibus promulgatur evangelium necessariò proponenda sunt, et fide tenenda: "post tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis: et omnes qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis:"[1] quapropter venia dignus non est qui ea sua culpa ignorat, prout constat ex damnatione propositionis: "Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi."[2]

26. "Notant autem Tannerus, Sylvius, Azor... quod si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria percipere nequeat, tunc excusatur ratione impotentiæ, et comparatur infantibus ac fatuis. Attamen Sanchez dicit quod aliud est credere, aliud scire mysteria, nempe rationem de iis reddere; unde censet omnes adultos teneri necessitate medii aliquando hujusmodi mysteria credere, necessitate vero præcepti ea scire; a quo præcepto scientiæ excusari mente obtusos."[3] Si quis mysteria illa ignorans absolutione donatus fuerit, debet deinceps confessionem iterare, quum probabile sit priorem haud valuisse. Profecto jubet Benedictus XIV. ut confessarius "fixum illud immotumque semper animo habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi sacramentum reconciliari, nisi prius, excussa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem fidei educantur."[4] Peccat autem confessarius absolvendo extra casum necessitatis eum qui ignorat mysteria Trinitatis et Incarnationis, quum exponat sacramentum periculo nullitatis.[5]

27. Præter fidem explicitam præcipuorum mysteriorum, implicite credenda sunt omnia quæ Deus per Ecclesiam credenda proponit. Quæ symbolo apostolico continentur præsertim fide amplecti oportet; fert enim mos universalis ut illud memoriæ ab omnibus mandetur. Quod si rudis adeo quis fuerit ut illud retinere nequeat, sat erit, ut alio recitante vel explicante, fidei assensum singulis præstet, prout colligitur ex concilio Limano: "doceantur demum pro suo modo præcipua fidei capita."[6]

(1) S. Thom. 2. 2æ. qu. ii. art. viii. *Resp.*
(2) Prop. 64. *damn. ab Innoc. XI.*
(3) S. Alph. l. ii. Tract. i. c. i. n. 2.
(4) Const. *Etsi minime*, t. i. Bull. pag. 110.
(5) Vide Voigt, *Tract. de fide, casus* ii. n. 356.
(6) Apud Bèn. xiv. *de Syn.* l. viii. c. xiv.

Digitized by Google

28. Decalogum, orationem dominicam, una cum symbolo, et quæ ad sacramenta suscipienda necessaria sunt scitu, et modum formandæ crucis, ex præcepto addiscenda esse docent theologi, nixi perpetua Ecclesiæ consuetudine. Graviter igitur peccare censendi sunt parentes, qui ea filios edocere negligunt; vel parochi qui ut tradantur haud curant.

29. Præceptum fidei actus eliciendi interius, obligat omnes quibus veritates a Deo revelatæ satis propositæ sunt. Idcirco fidelium filii a pastoribus, vel parentibus edocti, debent interno animi assensu divinam colere veritatem: quod quamprimum post usum rationis adeptum facere oportet.[1] Ita etiam quicumque legitimum audierint Dei verbi præconem, juxta illud Christi: "Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, damnabitur."[2] Hinc Apostolus de iis qui rejecerunt evangelicam prædicationem, scribit: "Quod si etiam opertum est evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriæ Christi."[3] Igitur occasione data veros Christi præcones audiendi, vix excusantur qui doctrinam fidei non amplectuntur, quum Deus præsto sit legitimis verbi præconibus, ideoque audientium mentes gratia illustret, nisi obicem suo vitio objiciant. Orta autem dubitatione de secta in qua quis versetur, tenetur procul dubio quærere veritatem, et toto mentis studio divinum implorare lumen, salutem omnibus hujus mundi utilitatibus antelaturus. Plurimi hac ex parte peccant, quod nolint inquirere, vel attenta mente considerare veritatis argumenta. Merito damnata est propositio: "ab infidelitate excusabitur non credens ductus opinione minus probabili."[4]

30. Quoties eliciendus sit fidei actus inquirunt theologi. Equidem quum Deus colatur obsequio veritati ejus præstito, sæpius hac ratione honorandus est. Merito igitur damnatæ sunt propositiones sequentes: 16. "Fides non censetur cadere sub præceptum speciale secundum se." 17. "Satis est actum fidei semel in vita elicere."[5] Plerique censent semel saltem in anno eliciendum esse; sed consentiunt eam virtutum pietatisque exercitiis contineri, ideoque de

(1) Vide Mayol, *Disput. Præambula ad Decalogum*, qu. i. art. i. §. i.
(2) Marc. xvi. 15.
(3) II. Cor. iv. 3.
(4) IV. *Inter damnatas ab Innoc. XI.*
(5) xvi. xvii. ibidem.

Digitized by Google

speciali fidei exercitio non oportere solicitiorem esse, qui vacat Dei cultui et piis operibus.[1] Contingere autem potest ut tentatione urgente specialis fidei actus eliciendus sit, vel quando exterius fidei professio est facienda. Morte appropinquante, fide mens ad Deum elevanda est, et quæ paravit diligentibus se spectanda.

31. Externa fidei confessio facienda est quoties eam exigit Dei honor, vel proximi utilitas: "corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem."[2] Ex lege Tridentina, fidei professio facienda est a præsulibus in prima synodo provinciali cui interfuerint,[3] et a provisis de beneficio curato intra duos menses a die possessionis coram episcopo, aut vicario ejus generali.[4] Interrogatus a potestate publica juxta leges debet etiam fidei professione Deum honorare; tacendo enim et dissimulando divino honori detrahit: quapropter damnata est propositio sequens: "Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno."[5] Cæterum si contra juris ordinem quis interrogetur a judice, vel magistratu, non videtur peccare respondere recusando. Sic in his provinciis, in quibus leges religionis seu fidei civium nullam volunt haberi rationem, poterit quis plerumque jure suo niti, et interrogationem veluti extra ordinem rejicere. Multo magis poterit quis curiositati privatorum nolle satisfacere. Numquam autem licet fidem negare, sive voce, sive signo, ne quidem ad mortem vitandam; Christus enim ait: "Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo."[6] Voce negaret fidem, qui interrogatus, utrum esset *Romanista*, *Papista*, responderet se non esse, si ex circumstantiis non posset colligi eum negare, ob voces illas invidiæ et contumeliæ plenas. Signo vel re negasse fidem censendus foret, qui Quakerorum vestes indutus in eorum cœtu silens, veluti meditabundus, aliorum instar consideret. Sic etiam qui ad loca, in quibus excipiuntur qui conversionem profitentur in cœtibus Presbyterianorum, vel aliorum, accederet, et inter cæteros sederet, vel genua flecteret, veluti oraturus, fidem negasse videretur. Non ita fidei negatæ reus censeretur, qui iter faciendo inter hæreticos, vel inter eos commorando, carnes comederet ad eorum molestias vitandas, quia actus ille, quam-

(1) Vide Mayol. *Disp. Præambul. ad Dec.* qu. i. art. i. §. 2.
(2) Rom. x. 10.
(3) Sess. xxv. c. ii.
(4) Sess. xxiv. c. xii. *de ref.*
(5) 18 *inter damnatas ab Innoc. XI. anno* 1679.
(6) Mat. x. 37.

Digitized by Google

vis sit contra legem Ecclesiæ, fidei negationem non importat, nam sæpe fit ex necessitate, vel gula. Peccaret autem nisi gravis admodum ratio ostendat difficultatem nimiam eum a lege servanda habere excusatum. Sic excusari poterit quandoque puella quæ carnes manducat, verens ne pater vehementer excandescat, eam ad Catholicam Ecclesiam transiisse percipiens: non tamen ob irrisionem, vel levem aliquam molestiam, erit excusanda. Uti vestibus Quakerorum ad se occultandum fugiendo, non esset fidei negatio, quum illa vestium forma non sit omnino illius sectæ propria; alii enim forma haud absimili utuntur. Sic excusantur qui Turcarum vestibus communibus induuntur, ut secure transeant; sunt scilicet gentis potius quam cultus indicia.[1]

32. Fugere, ut quis declinet persecutionem, plerumque licet, juxta Christi monitum: "cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam."[2] Cæterum si præsentia præsulis valde necessaria sit ad fideles roborandos, mercenarium se proderet fugiendo: "Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus."[3] Si ejus vita e contra profutura sit ad fidei defensionem, eoque sublato dispergendæ sint oves, optime faciet se occultando, vel fugam arripiendo, donec hostium vis fuerit mitigata. "Manifestum est quod si quæratur sola persona prælati, possunt alii loco ipsius ad gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur, et gubernent gregem: unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves, et hoc modo, et casu fugere licet."[4]

33. Si fidei professio et vindiciæ necessariæ sint ad hostium superbiam reprimendam, et ad infirmiores confortandos in fide, oportebit eam profiteri et tueri. "Confiteri fidem," inquit Angelicus Doctor, "non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco et tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis impendenda; puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem removerentur a fide: in hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis."[5]. "In casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam

(1) Vide Mayol, *Disp. Præamb.* qu. i. art. ii. §. 4.
(2) Mat. x. 23.
(3) Joan. x. 11, 13.
(4) S. Thom. l. iii. in c. x. Joan.
(5) 2. 2. qu. iii. art. ii.

Digitized by Google

aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem."[1]

34. Audire hæreticorum conciones, deducere funus, adstare nuptiis ab iis celebratis, non habetur signum professionis fidei, quamvis ab iis abstinendum sit. Equidem audire eorum conciones haud vacat periculo, plerisque ignaris aut infirmis præconum facundiam præ doctrinæ integritate æstimantibus. Præterea favor præstatur hæresi, cum pusillorum offensione et discrimine. Vetuit autem Paulus V. Anglis ne legi id præcipienti obtemperarent. Funus deducere per vicos ad cœmeterium, quum nullo ritu religioso apud eos fiat, censetur civile obsequium: nec tamen decet templum sectæ ingredi, et præconi præstare auditum; quamvis ita ferat mos in hac regione. Adstare nuptiarum celebrationi æstimatur plerumque obsequii erga sponsos indicium, quin ritus hæretici probentur. Cæterum ubi catholicus ita nuptias init coram sectæ ministro, spretis Ecclesiæ legibus, non decet catholicos præsertim parentes, et sanguine magis conjunctos, sua præsentia videri id probare: excusari tamen aliquando possunt quos gravis aliqua ratio cogit ut præsentes sint: v: g: ne videantur contumeliam inferre sponsis. Ipsi qui ita ineunt nuptias non possunt excusari, quum faveant falso ministerio, nulla lege exigente ut ita matrimonium contrahatur. Ubi lex ita tulit, uti olim in Anglia, excusatio in lege habebatur, cui obtemperantes Catholici nonnisi actum civilem coram præcone, tamquam magistratu a lege designato, perficere censebantur, uti monet Benedictus XIV. In hac autem regione, in qua matrimonia coram sacerdote vel magistratu, vel præcone aliquo celebrata agnoscuntur, nulla satis gravis ratio potest adduci, cur coram præcone sectæ alicujus a Catholicis ineantur: quapropter in Synodo Philadelphiensi II. sub excommunicationis pœna vetitum est. Mos puellæ relinquendi arbitrium ministri seligendi qui nuptias celebret, non potest cum legis ecclesiasticæ et sacramenti injuria admitti. Hæreticorum infantes non debent Catholici in baptismo a præcone collato suscipere, ob eandem causam. Præterea censentur polliceri se eos in hæresi educaturos: sed nec decet adstare dum baptizantur, nisi id exigat amicitia, vel obsequium. Cum hæreticis orantibus, sive publice, sive privatim, genua flectere non videtur esse fidei negatio, intelligitur enim fieri humanitatis causa, et ut mos eis geratur: cæterum omnino improbandus est mos

(1) 2. 2. qu. iii. art. ii. ad 2.

Digitized by Google

favet enim hæresi, et perversionis periculum et pravum exemplum habet. Idcirco famulis, quos domini solent ad id urgere, haud est ullatenus permittendum. Possunt autem dominos ad templa hæretica curru vehere, vel filiæ, vel uxori dominorum ad ea, protectionis causa, comitari, quin ritibus eorum interveniant. Infantes etiam baptizandos deferre licet, et brachio sustinere, dum ab hæretico præcone baptizantur. Hæc enim omnia ad famulatum pertinent, nec cultus consortium probant. Elisæum permisisse Naamano ut regi in templo idola colenti comitaretur, ejusque vestem, dum adoraret idolum, sustineret,[1] plerique censent, quamvis non omnes.[2]

35. In navibus quæ a Gubernio Americano pendent, et in Schola militari, sicut in arcibus, et aliis publicis plerumque locis, et in carceribus nonnullis, vapulantibus qui recusant, coguntur omnes precibus adstare et concioni. Utrum autem id liceat dubitari potest. Equidem hæc plane adversantur cultus libertati, quam constitutiones Generalis et speciales sanciunt: sed quum ordinis potius causa, quam sectæ favore id exigatur, et nemo cogatur cultum reapse præstare, videtur excusari qui se sistit præsentem ad declinandam pœnam, vel alia ex causa satis gravi, dummodo aperte profiteatur fidem catholicam, et omne cultus consortium evitet.

36. Ad omnem speciem consortii in rebus Religionis declinandam, et ne fideles qualibet de causa adeant ecclesias sectarum, non oportet plerumque sacerdotes catholicos, etiam rogatos, in iis concionari; cæterum ubi deest ecclesia catholica, vel locus alius opportunus, v: g: curia, non videntur culpandi qui in iis veritatem catholicam enuntiant. Non licet catholicis eas adire etiam ad concentus musicos audiendos, qui nihil habeant fidei adversum; nam plerumque præco aliquis orationem effundit, vel concionem habet, quo pacto ritus sacri habet speciem: vel loci occasione concentus cultus induit rationem: vel proventus in hæresis utilitates cedit, vel alias hæresi favetur. Sic nec licet eas adire causa audiendi concionantes de temperantia, de libertate, aliisve de rebus, quibus plerumque plurima fidei contraria immiscent, vel falsis nituntur principiis: sed nec expedit catholicos, etiam laicos, eisdem de rebus in sectarum ecclesiis concionari; præsertim si acatholici simul concionem habeant, qui sæpe extra limites justos excurrunt. Si præco adsit qui preces effundat post concionem,

(1) IV. Reg. c. v. 19. (2) Vide Mayol. *Disp. Præamb.* qu. ii art. ii. §. 3.

Digitized by Google

sive in ecclesia habita sit, vel alibi, non licet catholico concionari, quum sic videretur quodammodo religionis inire societatem.

37. "Fidem facto suo negare dicitur, qui ea faciat, quæ ad falsi numinis hæreticique hominis obsequium et cultum referantur: is enim facto suo falsam religionem profitetur. Atque hanc ob rem supremæ inquisitionis decretis, anno 1626, et anno 1669, definitum est, nullo modo licere christianis, nec ulla causa, aut motivo posse permitti, aut tolerari, ut operam suam navent ædificandis, instaurandis, verrendisque templis falsis numinibus, vel auctoribus falsarum sectarum dicatis; aut eorumdem purgandis parietibus et pavimentis, mundandis altaribus, aperiendis, claudendisque foribus." Ita refert P. Philippus de Carboneano.[1] "Ratum vero habent ritum falsumque cultum, qui in schismaticorum, hæreticorum, infideliumque templis organa, vel alia instrumenta pulsent, metros canant, aut concinendos componant, vel artem musicam alio modo exerceant." Sic censet prælaudatus pater. "Fidem negant etiam ii, qui in infidelium et hæreticorum scholis falsos eorumdem ritus, et profana a catholica fide aliena dogmata doceant, ex decreto supremæ inquisitionis, 2 Maji 1711. Nam dum docent, facto suo approbant, falsamque profitentur religionem."[2] Id intelligendum etiam de ludimagistris pueros catechismum Protestanticum docentibus.

38. Hæc ut ad res nostras transferamus, hæreticorum in hac regione templa Deo quidem dicantur, sed cultui haud probando inserviunt. Qui in eis canunt hymnos, organa pulsant, præconi respondent, plane cultus participes fiunt, ideoque fidem quodammodo produnt. Qui ea ædificant, instaurant, verrunt, non videntur consortium religionis inire; sed operam quandam præstant, a qua foret abstinendum, saltem nisi gravissima urgeat causa. "Excusantur," judice Busembaum, a quo non dissentit S. Alphonsus, "qui Judæorum synagogas, hæreticorum templa, . . . ædificant, vel restaurant: præsertim si fieret æque sine ipsis."[3] Equidem operarii plerique catholici in regionibus in quibus grassantur hæreses, gravissimum paterentur incommodum, suam operam denegando: et alioquin nemini videntur probare cultum. Cæterum non audemus quid certi proferre, quamvis abstinendum potius censeamus. Qui conferunt pecuniam ut ædificentur templa Protestantica, vel dono dant fundum

(1) *Appendix ad Tract. Antoine, De Virtutibus Theologicis.*
(2) Ibidem. (3) Apud S. Alphonsum, l. ii. n. 72.

Digitized by Google

in quo erigantur, probare censendi sunt falsum cultum: item qui locant eis ædes cultus causa.

39. Qui in scholis publicis litterarum rudimenta tradunt, iis uti coguntur libris, quos rectores scholarum, a populo delecti, designant. Nullum librum contra fidem debent adhibere, quum id repugnet legi, qua libertati conscientiæ consulitur: quum autem plerique libri plurima contineant religioni catholicæ adversa, oportet emendare explicatione opportuna quæ minus accurata sint. Non debent versione protestantica Scripturarum uti, quum ea ratione auctoritas ejus agnosci videatur, et pueris in normam proponatur: sed si jubeant rectores eas legere, prout mos est, oportet catholicam adhibere versionem. Nec licet eis pueros docere hymnos protestanticos, vel quidquid hæresim sapit. Qui tradunt litteras vel in scholis privatis, vel in familiis, vel in monasteriis, vel collegiis Catholicis, nequeunt Protestanticam versionem adhibere, licet parentes id expetant, nam faverent hæresi, et Ecclesiæ disciplinam violarent: sed nec debent musicæ magistri puellas puerosve hymnos protestanticis erroribus infectos edocere canendos, vel instrumentis personandos: non autem peccant qui privatim personare carmina, quæ nihil erroris continent, docent, extra omnem cultus occasionem.

40. Qui extra templa Protestantica et omnem speciem cultus, publice canunt, prout fieri solet in concentu plurimorum, non videntur contra fidem peccare, licet carmina quædam de rebus sacris protestanticos habeant auctores, dummodo tamen nil fidei adversum canant: nam iis in rerum adjunctis nonnisi ad oblectamentum aurium referuntur. Peccarent autem si suam operam præstarent, ut pecunia inde colligenda in protestanticos cederet usus, v: g: ad templorum ædificationem, vel missionariorum impensas.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE INFIDELITATE.

41. Infidelitas negativa eorum dicitur qui nihil umquam de fide audiverunt: *positiva* est eorum qui fidem sibi propositam rejiciunt; *privativa* eorum est qui eam satis propositam non amplectuntur. Negativa infidelitas caret peccato, quum non sit voluntaria; ideoque contraria Baji propositio meritò damnata est: "infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est."[1] Equidem Christus ipse ait: "Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo."[2] Privativa infidelitas est peccatum mortale, nam "qui non crediderit damnabitur;"[3] "qui non credit jam judicatus est."[4] Equidem fide annuntiata, ejusque argumentis et documentis exhibitis, tenetur homo divinæ veritati præstare obsequium; nec potest absque majestatis divinæ læsione assensum suspendere. Multo magis censendus est peccare, qui rejicit veritatem, et contrarium amplectitur errorem. Quod autem error sit intellectus, non tollit culpam, nam voluntatis vitio fit ut intellectus non perpendat momenta quibus revelatio probatur, eamque non amplectatur. "Infidelitas, secundum quod est peccatum, oritur ex superbia, ex qua contingit quod homo intellectum suum non vult subjicere regulis fidei, et sano intellectui patrum."[5]

42. Paganismus, Judaismus, Mahumetismus, et hæresis, sunt infidelitatis species. Paganismus dictus est deorum plurimorum et idolorum cultus, qui hoc nomen sortitus est, ex quo, fide Christi per plerasque urbes imperii propagata, idola vix nisi in pagis coli perrexerunt. Instar illius habendus est atheismus, quo Numen prorsus negatur: et pantheismus quo omnia dicuntur Deus. Judaismus est unius Deus cultus juxta ritus ab ipso olim præscriptos, qui tamen, adveniente Christo, abrogati sunt. Mahumetismus est cultus Dei,

(1) Baji prop. 68. (2) Joan. xv. 22.
(3) Marci xvi. 16. (4) Joan. iii. 18.
(5) S. Thomas, 2. 2æ. qu. x. art. i. ad. iii.

Digitized by Google

ex Mahumetis institutis, qui prophetam falso se jactans, plurima ex ethnicis et judæis mutuata simul admiscuit. Hæresis est christianæ fidei aliqua ex parte vitiatio, errore contra dogma.

43. Qui baptismo ecclesiam non sunt ingressi nullatenus cogendi sunt ad fidem amplectendam, vel ad munia christiani hominis explenda: "quid enim mihi," ait Apostolus, "de iis qui foris sunt judicare?"[1] Concilium etiam Toletanum IV. anno 635, ita decrevit: "De Judæis autem hoc præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: 'Cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat.' Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. . . Ergo non vi, sed libera arbitrii voluntate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi."[2] Non igitur nisi suasione, hortatu, et oratione ad ecclesiam ingrediendam sunt adducendi, qua ratione adimpletur illud evangelii: "compelle intrare."[3] "Infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles et Judæi: et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant, quia credere voluntatis est."[3] Ita S. Thomas; qui bella aliquando a principibus christianis contra infideles gesta dicit: "non quidem, ut eos ad credendum cogant, (quia si etiam eos vicissent, et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent an credere vellent,) sed propter hoc, ut eos compellant ne fidem Christi impediant."[5] De apostatis autem et hæreticis, "qui quandoque fidem susceperunt" durius censuit Angelicus Doctor: "tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt." Hi admodum differunt ab aliis qui errores a majoribus suis hauserunt; cum his proinde mitius agendum censuit ipsum tribunal Inquisitionis. Jam verò vis nulla ullibi adhibetur, etiam ut apostatæ promissis stare cogantur: nec illa Angelici Doctoris sententia, quæ legibus civilibus accommodata erat, est in invidiam trahenda.

44. Judæis quidem indulgendum jussit Gregorius Magnus, ut ritus suos festaque libere peragerent: "Omnes festivitates suas, sicut hactenus ipsi, et patres eorum, per longa colentes tempora, tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam."[6] Jure canonico tamen vetitum est cum Judæis commorari, eorum interesse conviviis, balneo communi uti, medicos Judæos arcessere, medici-

(1) I. Cor. v. 12.
(2) Can. vii. col. 590. coll. Hard. t. iii.
(3) Luc. xiv. 23.
(4) 2. 2æ. qu. x. art. viii. *Resp.*
(5) Ibidem.
(6) Registr. l. ii. c. xv.

Digitized by Google

nas ab iis recipere, Judæorum filios in domibus eorum enutrire, iis famulari, multo minus mancipia eorum fieri, eorum azymis vesci: quæ omnia periculum christianis afferre censebantur.[1] Cæterum quum legibus Americanis Judæi æque ac cæteri pleno civium jure fruantur, non videntur peccare famuli catholici iis inservientes, vel alii quicumque eorum utentes consortio in vitæ negotiis communibus, secluso perversionis periculo.

45. Hæresis est error pertinax contra fidem, ejus qui christianum se profitetur. Quicumque error fidei definitioni contrarius hæresis est; sed animi pertinacia requiritur ut quis hæreticus coram Deo sit, juxta omnium theologorum consensum.

46. Plerumque censentur hæretici ii tantum qui baptismum aliquando acceperunt; sed quum Quakeri, et plurimi alii in his provinciis, carentes baptismo, christiano nomine glorientur, errores tamen plures contra fidei doctrinam propugnent, solent una cum cæteris sectarum asseclis hæretici nuncupari: "qui sub vocabulo christiano, doctrinæ resistunt christianæ;"[2] cæterum Ecclesiæ censuræ vel leges eos non spectant.

47. Animi pertinacia in eo posita est, quod quis Ecclesiæ doctrinam noscens contrarium errorem consultò propugnet. In iis qui ignorantia invincibili laborant, pertinacia animi, ideoque hæresis crimen deest. "Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, et præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt; sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi."[3] Ita Augustinus, cujus verba recitans Angelicus Doctor, animadvertit: "quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ."[4] Cæterum non iis blandiri oportet qui sectis adhærent; semper enim patres Ecclesiæ consueverunt iis Dei iram minari. Equidem non negamus contingere posse ut aliqui careant animi pertinacia, ideoque hæreseos labe: quum autem id soli Deo innotescat, ejus relinquendi sunt judicio; interimque modis omnibus inducendi ut animo humili inquirant veritatem, divinum implorantes precibus enixissimis lumen.

(1) *Nullus.* c. *Omnes.* c. *Judæi.* Causa xxviii. qu. i.
(2) S. Aug. l. xviii. de civ. Dei c. li.
(3) Ep. clxii. n. i. nunc xliii. ad Glorium et alios
(4) 2. 2æ. qu. xi. art. ii. ad iii.

Digitized by Google

48. Hæreticus *materialis* dicitur qui errorem damnatum tamquam fidei contrarium, absque animi pertinacia, profitetur: hæreticus *formalis* qui pertinax est. Cæterum quum Ecclesia de occultis non judicet, et hominum corda soli pateant Deo, in foro externo omnes censentur hæretici qui errorem contra fidem in secta aliqua profitentur. Ideo severe correptus est a Suprema Inquisitione sacerdos quidam qui hominem e secta Calviniana a censuris absolvit absque facultate necessaria, prætexens quod "cum ignarus hæresum et errorum Calvini esset, non posset dici hæreticus formalis." "Ipsius opinio potius metaphysica quam vera in S. Officio non est recepta."[1]

49. Excommunicatione majori omnes hæretici feriuntur:[2] irregulares etiam sunt, ita ut nequeant ad sacros ordines provehi: beneficiis ecclesiasticis et dignitatibus privantur:[3] jurisdictione spoliantur: et sepultura ecclesiastica eis denegatur, licet non fuerint denuntiati.[4] Qui eos scienter sepeliunt ritu ecclesiæ, excommunicatione irretiuntur.[5] Fuerunt etiam pœnæ aliæ, etiam capitis, in hæreticos latæ legum civilium severitate; censebantur enim publicæ quietis et reipublicæ hostes: sed ille legum rigor quem et sectarii contra Catholicos et contra se invicem etiam adhibuerunt, jam ubique sublatus est.[6]

50. Cum hæreticis matrimonium inire lege ecclesiastica vetitum est; et magnum habet periculum. Cæterum ubi Catholici vivunt iis permixti; hujusmodi matrimonia impediri nequeunt, adeoque dispensatio solet concedi, conditionibus appositis quibus consulatur conscientiæ libertati, et prolis Catholicæ educationi.

(1) Vide apud Antoine, *tract. de Virt. Theol.* c. iii. qu. vii. *Nota P. Phillippi a Carboneano.*

(2) Can. *Achatius*, 24. quæst. i. et cap. 9. et cap. 13. *de hæret.*

(3) Cap. xii. *de hæret.* in 6. (4) Vide decr. S. Inquis. die 23 Julii 1609.

(5) Cap. ii. *de hæret.* in 6.

(6) Vide litteras episcopi Joannis Milner ad præbendarium Anglicanum Sturgess nomine.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE LIBRORUM PROHIBITIONE.

51. Constat ab ipsis primordiis Ecclesiæ libros qui fidei vel moribus adversantur, ex christianorum manibus fuisse ereptos, et incendio consumptos, ne quod foret lapsus periculum. Ex occasione dæmoniaci impetus in homines Jesu nomine, quem tamen non agnoscebant, adjurantes dæmonem, "multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus: et computatis pretiis eorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium."[1] Huic inhærentes exemplo consueverunt Ecclesiæ præsules scripta hæreticorum anathemate ferire, et procul eliminare, ne pusillis et infirmis forent exitio. Flammis idcirco tradebantur, ut exemplaribus consumptis, errorum vestigia tollerentur. Sæculo quinto exeunte prodiit Gelasii decretum, quo apocryphi a libris probandis secernebantur; et hæreticorum scripta "non solum repudiata, verum ab omni Romana Catholica et Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata." Ita clauditur decretum.[2] Jussit S. Leo apocryphas scripturas non solum interdicendas, sed etiam concremandas, addens: "Si quis episcoporum apocrypha per haberi domos non prohibuerit,—hæreticum se noverit judicandum."[3]

52. Qua perpetuò usa est Sedes Apostolica vigilantia, ut libros pravos eliminaret, magis enituit, necessitate aucta, ex quo typis inventis libri ubique spargi cœperint. Indicem librorum vetitorum conflandum jussit Paulus IV., anno 1557, Inquisitoribus id muneris demandans: Pius IV. verò concilii Tridentini patribus pleniorem catalogum conficiendum commisit, qui octodecim ex suo cœtu rei executionem imposuerunt; sed recesserunt, re infecta, eam Pontificis auctoritate perficiendam relinquentes. S. Pius V. Congregationem Indicis tandem instituit, cujus est opera prava, vel vitio infecta, in catalogum referre.

(1) Act. xix. 19. (2) Apud Harduin. Conc. Coll. t. ii. col. 942.
(3) S. Leo. ep. xv. alias xciii c. xv. ad Turibium ep. Asturicensem.

Digitized by Google

53. Præcipuæ Indicis regulæ sunt. "1. Libri omnes ante annum 1515 damnati, etiamsi in Indice descripti non reperiantur, declarantur vetiti. 2. Libri omnes eorum, qui capita vel duces fuerunt hæreticorum, omnino vetantur; et etiam omnes alii hæreticorum libri de Religione tractantes; cæteri autem hæreticorum permitti possunt, modo fuerint examinati et probati." 3. Scripturarum in lingua vernacula lectio nonnisi piis qui utilitatem inde percipere possunt, permittitur, episcopi vel inquisitorus venia, prævio parochi testimonio. 4. "Lexica, Concordantiæ, Indices, et alia hujusmodi, in quibus pene nihil auctoris hæretici habetur, probata permitti possunt. 5. Libri obscœna tractantes absolute prohibentur, quamvis non inveniantur in Indice descripti. 6. Pariter vetantur omnes libri, et scripta Necromantiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Honomantiæ, Chiromantiæ, Astrologiæ judiciariæ, et omnia alia in quibus continentur sortilegia, veneficia, ac auspicia." 7. Omnes libri catalogo speciatim inscripti vetiti sunt; nonnulli quidem absolute; alii *donec expurgentur*, quod intelligitur de nova editione emendata, quæ fuerit S. Congregationi Indicis probata.

54. Sub excommunicatione in Bulla Cœnæ Summo Pontifici reservata, prohibetur omnibus retinere vel legere libros quoscumque, ab auctoribus sectarum conscriptos, vel ab hæreticis de religione ex professo tractantes. "Alii verò sub pœna excommunicationis, quæ in regulis Indicis exprimitur, prohibiti sunt, quæ tamen excommunicatio nulli reservatur: alii denique sub pœna tantum peccati mortalis, aliisque pœnis arbitrio episcopi contumacibus infligendis."[1]

55. Jam vero pro re explorata ex S. Scripturæ auctoritate et perpetuo Ecclesiæ usu, habendum est, libros hæreticos, vel hæresi infectos, vel bonis moribus adversantes, esse omnino e manibus fidelium eliminandos. Equidem quum unicuique ex Ecclesiæ auctoritate fidei veritas innotescat, temere omnino et cum animæ discrimine, suo quisque fidens judicio, scripta hæreticorum et infidelium legit: nec enim divinum auxilium, quo mens inconcussa maneat, mysteriis credes quæ adeo superant hominum conceptum, poterit sibi polliceri: nec cupiditates temere excitatas reprimere valebit, occasionem quum amet, in qua pereundi est adeo manifestum discrimen. Idcirco disciplinam qua vetantur libri omnes pravi antiquissimam, æquissimam, sanctissimam prædicamus et agnoscimus.[2]

(1) Vide Antoine, De Virt. Theol. Append. *de librorum prohib.* c. iii.
(2) Vide Diss. S. Alphonsi, *de librorum prohibitione*, l. i. append. iii.

Digitized by Google

56. Utrum verò regulæ Indicis vim habeant ubique terrarum quæritur. Jusserunt quidem pontifices, præsertim Clemens VIII., eas ubique promulgandas;[1] et declaravit S. Congregatio decreta sua obligare universos christianos:[2] cæterum in plerisque locis in quibus hæretici permixti catholicis vivunt, ex benignitate et tolerantia summorum Pontificum, regularum rigor relaxatus censendus est, ne laqueis irretiantur animæ. Id videtur agnoscere P. Philippus a Carboneano: "Si alicubi ex sedis Apostolicæ indulgentia vel tolerantia usu receptæ non sint regulæ Indicis, ac Bulla Cœnæ, id unice inferri poterit, legentes libros prohibitos non incurrere in censuras in illis expressas."[3]

57. "At certum est," pergit prælaudatus auctor, "graviter peccare contra Ecclesiæ præceptum, quæ semper vetuit horum librorum lectionem, quæque eamdem per Romanum Pontificem inculcat, et renovat." Hanc tamen sententiæ severitatem mitigandam censeo; nam etsi mens Ecclesiæ pravorum librorum lectioni prorsus adversetur, si tamen quæ in Bulla Cœnæ et Regulis Indicis continentur prohibitiones, usu apud nos receptæ non sint, quod exploratum videtur, nescio qua lege universali prohibita librorum lectio innotescat. Igitur res eo reducenda erit, quo ipsa librorum et legentium indoles postulat.

58. Qui libri per se magnum afferunt perversionis periculum, uti sunt Voltairii, et Painii scripta, et pleraque contra summa fidei mysteria, non sine gravi peccato legi possunt, nisi ab hominibus fide christiana bene imbutis, et alias contra dolos et artes auctorum illorum instructis; quia temere se alii objiciunt tanto errandi et fidem amittendi discrimini.

59. Qui libri obscœni sunt et impudici ex professo, non possunt a quocumque legi absque gravi peccato, ob proximum libidinis excitandæ periculum.

60. Qui libri ex professo contra fidem catholicam agunt, plerumque non possunt absque gravi peccato legi, nisi ab his quorum est munus errores refellere. Alii quidem temere se objiciunt discrimini; nec sola curiositate excusari videntur. Cæterum in hujusmodi culpa æstimanda indoles, dotesque legentis, sicut et scriptoris ars, attendendæ sunt: nam periculum inde pendet.

(1) *In Regulis Indicis.*
(2) *S. Cong. Indicis* 4 Dec. 1674. *episcopo Malacensi respondens.*
(3) *Appendix de lib. prohib.* c. iii. qu. iv.

Digitized by Google

61. Qui alios libros de historia, geographia, cæterisque hujusmodi rebus tractantes, in quibus plurima hinc inde reperiuntur fidei adversa, legunt, excusari videntur, ob difficultatem maximam quæ in libris discernendis comparandisque habetur; quum enim plerique libri Anglico sermone scripti acatholicos auctores habeant, vix fieri potest ut Catholici, absque gravissimo scientiæ detrimento, aliisque incommodis, ab iis se abstineant. Ideo videtur Ecclesiæ benignitas id indulgere, ne irretiantur animæ alioquin piæ. Cæterum providendum sedulò ne perversionis oriatur occasio; ideoque omni studio laborandum, ut libri expurgati habeantur.

62. Quum Scripturarum versio Anglica a Protestantibus edita plures contineat mendas, sitque justissime a Summis Pontificibus vetita, sicut et cæteræ omnes versiones quæ e Biblicæ Societatis officina prodeunt; nequaquam permittendum est ut Catholici ea utantur, præsertim quum sic foveatur pravum principium, quod suo quisque judicio fidem sibi comparare debeat. Pueri in scholis publicis non debent ea versione uti; nec magistri operam suam in ea legenda præstare. Fideles non oportet eam domi retinere. Cæterum si qui sint nuper ad fidem conversi, qui Biblia a suis majoribus per manus tradita, in quibus et nomina parentum et filiorum inscribuntur, prout mos est, retineant, non videntur contra sensus affectusque suos cogendi ut ea abjiciant; Apostolo monente: "infirmum autem in fide assumite."[1] Imo neophyti plerique non videntur urgendi, ut libros quos habuerunt ante conversionem dimittant, quum offensionem hac in re facile patiantur, et alioquin non versentur in magno periculo; norunt enim jam errores, qui ibi continentur.

63. Quæ Gregorius XVI. sanctissime edixit, licentiam imprimendi nullo frœno injecto spectant, qua impia quæque et obscœna e prelo prodeunt cum tanto animarum damno. Quicumque noverit pessimos omnis generis libros qui e prelo, Gallico præsertim, per seculum elapsum emissi sunt, non poterit verba Pontificis rerum veritate niti non agnoscere: "Huc spectat deterrima illa ac numquam satis execranda et detestabilis libertas artis librariæ ad scripta quælibet edenda in vulgus."[2] Profectò ipsæ nostræ leges, quamvis libertati preli consulant, eam tamen certis arctant limitibus, pœnasque ea abutentibus irrogant.[3] In Statibus meridionalibus, in quibus ser-

(1) Rom. xiv. i. (2) Ep. Encyclica, anno 1832.

(3) De Vattelius postquam de libertate preli disseruisset, subjunxit: "I know that this liberty has its just bounds; that a wise government ought to have an

Digitized by Google

vitus viget, severissimis legibus insuper vetatur ne quis in lucem edat, vel in publicum spargat libros contra servitutem.[1] Quis igitur miretur pontificem queri de abusu libertatis preli, quo impia et nefanda opuscula eduntur, cum pietatis et morum gravissimo dispendio?

eye to the press, and not suffer such works to be published, as are scandalous, contrary to morality, the form of government and established Religion." *Law of Nations*, l. i. c. xi. §. 114.

(1) "If any white person or persons shall print, write, circulate or put forth, or cause to be printed, written, circulated, or put forth, any book, paper, magazine, pamphlet, handbill, or circular in this state, containing any sentiment, doctrine, advice or inuendos calculated to produce a disorderly, dangerous or rebellious disaffection among the colored population of this state, or in any wise to endanger the peace of society, by exciting riots and rebellion among said population, that any such person or persons, their aiders and abettors so offending, or in any manner or form engaged in printing, writing, circulating and publishing as aforesaid, shall be deemed guilty of a high misdemeanor, and be tried before any court of competent jurisdiction, and shall be imprisoned for a term not more than twelve, nor less than three months, and be fined in a sum not exceeding one thousand dollars, nor less than one hundred."

"If any slave, negro, mustizo, or free person of color, shall knowingly bring, circulate, or cause to be brought or circulated in this state, or aid or assist in any manner, or be instrumental in aiding or assisting in the circulation or bringing into this state of any such publication as described in the preceding section, the said person or persons so offending, on conviction thereof, before any court having jurisdiction of the same, shall suffer death." *Laws of Mississippi*, Act 16 Dec. 1830.

"If any person shall knowingly bring or circulate, or cause to be brought or circulated, within this state, or shall aid in the bringing or circulating herein any composition, in manuscript or print, or any pictorial representation calculated to produce disaffection among the slave population hereof, or to endanger the peace of society, he shall, upon conviction, be punished by imprisonment in the penitentiary for any term not exceeding ten years." Ibidem, *Appendix*, Act Feb. 15, 1839.

Digitized by Google

PARS II.

DE SPE.

CAPUT UNICUM.

64. "Spes est virtus per quam cum certa fiducia futuram beatitudinem, et ejus media assequendæ expectamus per Dei auxilium." Ita S. Alphonsus.[1] Videtur homo teneri ad spei actum eliciendum, quum primum Deus illi innotuerit, tamquam ultimus finis. Debet etiam sæpe in vita spe in Deum tendere, præsertim in difficili rerum conditione; vel dum vehementi pulsatur tentatione, ad quam edomandam divinum auxilium quærere et sperare oportet.

65. Primarium spei objectum est cœlestis beatitudo, seu Deus possidendus: secundaria sunt omnia gratiæ subsidia quibus comparetur; sed et bona hujus vitæ, quatenus saluti inserviunt, sperare licet. *Motivum*, seu *formale objectum*, est divina potestas et misericordia, quæ et promissa est pœnitentibus. Christi meritis nitimur sperando, "non enim est in alio aliquo salus."[2] Quod autem Virginem Deiparam appellemus *spem nostram*, et de Sanctis aliis piam foveamus fiduciam, contingit ex alto quem fovemus sensu eorum sanctitatis: quapropter tenero pietatis affectu ob communem nobis illisque naturam ad eorum patrocinium confugimus, eosque apud Deum, per Christi merita, plurimum orando nobis prodesse posse, non dubitamus. Altiori prorsus sensu in Deum speramus, quem fontem gratiæ et salutis agnoscimus, Christumque Redemptorem colimus. Optime igitur S. Thomas maledictionem in eum qui confidit in homine, latam interpretatur: "Vituperantur qui sperant in homine, sicut in principali authore salutis; non autem qui spe-

(1) L. ii. *Tract.* ii. c. *Unic.* n. 21. (2) Act. iv. 12.

Digitized by Google

rant in homine, sicut adjuvante ministerialiter sub Deo."[1] "Non licet sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de prima causa movente in beatitudinem. Licet autem sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de agente secundario et instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad sanctos convertimur."[2] Suis meritis nemo fidere debet, sed ea ex gratia derivari, et Dei dona esse agnoscere: quæ tamen fiduciam quandam præbent. S. Hilarion animi trepidationem vitæ diuturnæ memoria sedabat moribundus. Vide et Ezechiæ exemplum.[3]

66. Quod quis spe ductus agat, omni caret vitio: quum enim Deus hominem creaverit ut felix sit in ævum, eumque ita constituerit natura, ut necessario id velit, nihil vitii in eo potest esse, quod beatitudinem suam spe contempletur, et quærat. Neque sui felicitas fit hoc pacto summum hominis studium cum divinæ majestatis dispendio; non enim Deus ad hominem refertur, veluti ratio qua beatitudo comparari possit: sed Deus ipse finis est in quem homo tendit, et quidem ordine servato quem Deus statuit, in ipso beatitudine quærenda. Psaltes mercedis hujus spe se excitatum fuisse ad virtutum exercitium testatus est: "inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem."[4] Meritò igitur damnavit Alexander VIII. propositiones sequentes: "Intentio qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens." . . . "Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur."[5] "Tunc tamen (dicit Laymann de charitate cap. 2) quis in hoc peccaret, quando actuali intentione nollet amare Deum, nisi propter spem, aut timorem."[6]

67. Spes certa est, quatenus Deus, qui salutem nobis misericorditer pollicitus est, suis stabit promissis, si conditionem quam statuit impleverimus, viresque præstabit quibus eam valeamus implere. "Spes non confundit," inquit Apostolus.[7] "Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare."[8] "Abundantius volens Deus ostendere policitationis hæredibus immobilitatem

(1) 2. 2. qu. xxv. art. i. ad iii.
(2) Ibidem, qu. xvii. art. iv. *Resp.*
(3) IV. Reg. xx. 3.
(4) Ps. cxviii. 112.
(5) Prop. x. et xiii.
(6) Apud S. Alphonsum, l. ii. Tract. iii. *de Præcepto charitatis*, c. i. n. 24.
(7) Rom. v. 5.
(8) II. Tim. i. 12.

Digitized by Google

consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam."[1] Cæterum quum facile deficiamus, et tentatione vincamur, ideo hortatur Apostolus: "cum metu et tremore vestram salutem operamini."[2]

68. Vitia spei opposita sunt desperatio et præsumptio. Desperatio est omnimoda diffidentia salutem assequendi, vel subsidia ad eam necessaria. In eo posita est, ut quis, spe penitus amissa, curam salutis abjiciat. "Hinc judicium, quo quis putat, se a beatitudine excludendum, non est proprie desperatio, etsi sit quid prævium et inducens ad desperationem. Imo, ut observat Herincx, cum tali judicio, saltem non plane firmo, sed formidoloso, potest consistere actus spei, quo quis nihilominus velit ad beatitudinem contendere, si forte sit misericordiæ locus."[3] Fides aliquando cum spe amittitur, quando quis ideo desperat, quod Deum eum ad supplicia inferorum ab æterno destinasse credat. Plerumque tamen desperatio contingit, fide haud amissa; homo quippe qui certa fide tenet Deum sibi et omnibus salutis subsidia sufficientia præstare, potest adeo sensu scelerum suorum obrui, ut spem omnem veniæ abjiciat. Id autem sedulò animadvertendum, quosdam phantasia laborare, tetrisque imaginibus mentem habere adeo obnubilatam, quod sibi videantur desperare. His consolatio præbenda est, et sacramenta etiam præstanda, dummodo, nulla peccati consuetudine irretiti, cupiant saluti consulere. Nec eis facile credendum asserentibus se desperare; quæ enim cogitationes eos adeo deprimunt, sunt plerumque ægri animi somnia, quæ spernere præstat.

69. Desperatio ad vitia gravissima aditum aperit; spe enim semel abjecta, quisque ruit pronus in scelera, quum se non posse repugnare vitio habeat persuasum, et nullam fore sibi in aevo futuro voluptatem existimet. Hinc Deo per Jeremiam pollicenti se Hierosolymitanis veniam elargiturum, si pœnitentiam agerent, responderunt: "Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus."[4]

70. Præcipuum desperationis remedium est, ut infinita Dei mise-

(1) Heb. vi. 17. (2) Phil. ii. 12.
(3) Petrus Dens, *Tract. de Virtute Spei*, n. 107. ii.
(4) Jer. xviii. 12.

Digitized by Google

ricordia et copiosa Christi redemptio prædicentur, et exempla proponantur eorum qui, gravissimorum peccatorum licet rei, veniam pœnitendo consecuti sunt. Qui hac laborant tentatione benigne suscipiendi sunt a confessario, et omni studio inducendi, ut ponant in Deo spem suam.

71. Falsò existimavit inclytus archiepiscopus Cameracensis, Fenelon, animam in extremis quibusdam probationibus, omni salutis spe amissa, Dei voluntati justissimæ hac de re acquiescere, perfectionis exercitio:[1] actus enim hujusmodi cum insito beatitudinis amore, et cum Dei voluntate de spe semper fovenda, componi nequit.

72. Præsumptio est temeraria expectatio salutis, vel subsidiorum quibus comparetur. *Pelagiana* vocatur, qua quis, suis viribus fretus, confidit se salutem consecuturum, absque Dei auxilio. Hanc fovent nonnulli, qui, licet Pelagianam hæresim non profiteantur, sibi tamen de viribus suis et meritis blandiuntur. *Calviniana* dicta est illa nimia salutis fiducia, qua quis certo sibi persuadet, se e numero electorum esse, nec posse a salute excidere. Præsumptio quæ in plerisque reperitur, fide salva, est magna salutis assequendæ fiducia, virtutum exercitio neglecto. Sic plurimi sibi pollicentur vitæ emendationem post plurimos annos, vel pœnitentiam in vitæ exitu; et interim pergunt se vitiis inquinare. Nonnumquam levi aliquo pietatis exercitio nituntur. "Peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ, ad præsumptionem pertinet, et hoc non diminuit, sed auget peccatum: peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato et pœnitendi de peccato, hoc non est præsumptionis; sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum."[2] Ita S. Thomas. Homini præsumptione elato proponenda sunt divina judicia, dicendumque: "Tu fide stas: noli altum sapere, sed time."[3]

73. Fenelon existimavit hominem ad perfectionem evectum, spem amplius non fovere; sed de beatitudine et damnatione minime solicitum, Deum solum respicere, et diligere toto voluntatis nisu. Cæterum meritò rejecta est hæc perfectionis notio;[4] nam ita sumus

(1) Prop. ix. x. xi. xii. (2) 2. 2. qu. xxi. a. ii. ad. iii.

(3) Rom. xi. 20.

(4) *Vide* 23 *propositiones damnatas* an. 1699. *ab Innoc. XII. Bulla quæ incipit: Cum ad apostolatus nostri notitiam.*

Digitized by Google

natura comparati, ut non valeamus, nec debeamus, omnem curam beatitudinis abjicere; sed omnino oporteat in Deum, tamquam finem et beatitudinem tendere. Fœdam prorsus doctrinam,[1] a mente Fenelon longe alienam, quamvis aliquatenus affinem, quum spei exercitium excluderet,[2] tradiderat paulo ante Michael de Molinos, presbyter Hispanus, damnatus idcirco anno 1687 Bulla: "Cælestis Pastor."

(1) Prop. xli. et seq.
(2) Prop. vii.

Digitized by Google.

PARS III.

DE CHARITATE.

CAPUT I.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS.

74. Charitas Dei est amor quo Deum prosequimur, tamquam Ens perfectissimum, summo amore dignum. A theologis vocatur amor *amicitiæ*, quod Deus propter se diligatur, et in ejus perfectione et beatitudine conquiescat mens, cupiens gloriam omnem ei tribui. Distinguunt hunc ab amore *concupiscentiæ*, seu *spei*, quo Deum quærimus in nostram beatitudinem, eo frui desiderantes. Hunc tamen cum perfectissima Dei dilectione componi posse inde liquet, quod præceptum de Deo diligendo ex toto corde, respectum ad nos includat: "ipsa verba hoc clarissime significant, atque exprimunt, dum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum:* quasi dicat: quia ipse est Dominus Deus tuus: quia Creator tuus; quia principium tuum, et ultimus finis tuus; quia benefactor tuus, Pater tuus, omne bonum tuum; quæ plane absque relatione ad nos intelligi nequeunt."[1] Nec vitii aliquid est beatitudinem in Deo quærere: "non enim ordinatur ad aliud, sicut ad finem; sed ipse est finis ultimus omnium."[2]

75. Charitatis virtus a Deo animæ infunditur; nec enim, nisi Spiritu Sancto cor movente, possumus Deum super omnia diligere, prout oportet ad salutem: quapropter Apostolus ait: "Charitas Dei diffusa

(1) Vide Append. ii. *de quæstionibus ad Spem*, tom. xiii. Cursus Theologiæ, et Theol. P. Patuzzi tom. iii. tract. iv. *de virtutibus theol.* Vide et Append. iii. c. iii. 10.

(2) S. Thomas, 2. 2. qu. xxvii. art. iii. *Resp.*

Digitized by Google

est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis."[1] Est virtutum omnium præstantissima, docente Apostolo: "nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas."[2] Est etiam maxime necessaria: absque ea quippe ad salutem non prosunt cæteræ quæcumque virtutes, vel opera quæque egregia: "Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest."[3] Attamen non ideo nullæ censendæ sunt virtutes quæ non fuerint charitate perfectæ; fides enim, qua Deo docenti assentimur, est virtus, quamvis ad salutem non sufficiat, nisi per dilectionem operetur: et sic de aliis virtutibus dicendum. Ideo dicit S. Thomas eas veras virtutes non esse, quia non valent ad salutem, deficiente charitate: "Erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale et perfectum bonum. Et secundum hoc simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest."[4]

76. Datur divinum charitatis præceptum: "diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum."[5] Eo tenemur Deum omnibus rebus anteferre, ita ut ejus voluntatem nobis per mandata manifestatam rebus omnibus creatis anteponamus. Quum obligatio hæc ex summa Dei perfectione, et beneficiis in hominem collatis oriatur, liquet hominem quum primum rationis usum adeptus fuerit, ei satisfacere debere. Pueri idcirco de ea edocendi sunt, ut qua valent ratione in Deum tendant, eumque tamquam finem ultimum, et summum bonum, amplectantur. Cæterum ratione habita teneræ ætatis, non facile damnandi sunt violati præcepti, nisi graviter contra notissimas morum leges ex plena scientia deliquerint. Constat sæpius in vita actum amoris divini eliciendum, uti ex ipsis præcepti verbis, et ex necessaria hominis ad Deum relatione colligitur: quapropter meritò damnatæ sunt propositiones sequentes:

(1) Rom. v. 5.
(2) I. Cor. xiii. 13.
(3) I. Cor. xiii. 1.
(4) 2. 2æ. qu. xxiii. art. vii. *Resp.*
(5) Mat. xxii. 37.

Digitized by Google

"Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium."[1] "Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum."[2] Equidem certò statui nequit quoties dilectionis actus eliciendus sit; sed liquet eum necessarium esse ad gratiam assequendam, quando sacrum celebrandum est, vel eucharistia suscipienda, absque copia confessarii. Sunt etiam vehementes tentationes quæ alias superari nequeunt; et in mortis discrimine videtur omnino necesse, ut homo, toto animi nisu, Deum amplectatur, et diligat.

77. Gravis peccati contra charitatem reus est, qui aliquid divinæ amicitiæ antefert. Non temere autem judicandum de eo qui vehementi et tenero affectu in aliquem, quem licet diligere, fertur: si enim nolit Dei violare legem quocumque in rerum eventu, etiam ad amico gratificandum, affectus inordinatus non est, quamvis forsan haud vacet periculo. Deum quippe vere amat, qui, mentis judicio, et animi proposito, ejus voluntatem cæteris omnibus anteponit; quamvis intensius feratur in res sensibus objectas: sicut mater infantem diligit. Cæterum conatus omnis adhibendus est, ut impetus etiam animi in Deum feramur.[3] Insuper studium omne ponendum est, ut diligendo eo quotidie proficiamus; nec enim cuique in hac vita videri debet se præcepto Deum diligendi ex toto corde, mente, anima, viribusque satisfecisse.

78. Gravissime contra charitatem peccat qui Deum odit, tamquam dominum duriorem, judicemque austerum, scelerum nimium ultorem. Non autem Deum odisse dicendus est, qui tædio quodam animi ægre fert quæ cupiditatibus injiciuntur vincula.

(1) *Prop.* i. *damnata ab Alex. VII.* 24 *Sept.* 1665.
(2) *Prop.* vi. *damnat ab Innoc. XI.* 2 *Martii* 1679.
(3) Vide Mayol. *Disp. Præamb. ad Decal.* qu. iii. art. i.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE CHARITATE ERGA PROXIMUM.

79. Charitatis virtus proximos amplectitur; omnes quippe homines propter Deum amare debemus: nam primo mandato simile dicitur a Christo: "diliges proximum tuum sicut teipsum."[1] Equidem ille amor sui, qui ab ipsa natura derivatus est, in regulam et normam datur, ut aliis non faciamus quæ ipsi nobis fieri nolumus, et iis ea impendamus beneficia, quibus nobis indigentibus subveniri cuperemus. Non tamen omnes pariter, et nullo facto discrimine, diligendi sunt: nam ordinem servandum dictat ratio, et naturæ intimus sensus; cui nihil derogat divinum dilectionis præceptum.

80. Quisque igitur ex naturæ instinctu seipsum, post Deum, imprimis diligere, et beatitudinem suam in Deo fruendo quærere debet. Hic sui amor bonus est, et omni vitio immunis.[2] Salus propria, et quæ ad eam ducunt bona spiritualia, aliorum utilitatibus omnino anteferenda sunt. Proximorum salutem, et spirituales utilitates deinceps oportet quærere. Sui utilitates temporales post spiritualem proximi profectum locum habent: deinceps temporalia proximi commoda. Denique in extremo discrimine se proximumque, ordine pari servato, quisque diligere debet.

81. Salus igitur sui cuique præ omnibus curanda est, quam alienæ salutis studio nemo negligere debet. Si sacerdos se imparem noverit tentationibus vincendis, quæ in sacro ministerio cum animarum cura conjuncto occurrunt, debet, saltem post periculum pluries factum, et cautelam frustra adhibitam, curam illam deponere, etiamsi nullus alius præsto sit sacerdos qui eam suscipiat. Poterit quis semel vel iterum discrimini se committere, Dei implorato præsidio, et omni vigilantia adhibita: sed si fragilitatem suam adhuc experiatur, debet sibi consulere, se abdicando munere quod sine peccato non valeat exercere. Id eo magis dicendum, si suæ ruinæ habeat participem.

82. Studio perfectionis vacare quis poterit, aliorum utilitate spi-

(1) Mat. xxii. 39.
(2) Vide Patuzzi, in App. iii. ad Mayol. c. vi. §. 3. *Cursus complet.*

Digitized by Google

rituali vel temporali neglecta, dummodo munere ullo speciali non adstringatur: cæterum non peccat, si aliis consulat, cum perfectionis dispendio. Hinc culpanda non est puella, quæ religionem profitetur, matre paupere in sæculo relicta, quæ tamen egestate non laborat. Nec culpandus vir qui in ordinem religiosum ingreditur, fratribus vel aliis propinquis neglectis, quos pietate imbuere se in sæculo manentem posse confidebat; habet enim jus sibi consulendi, et perfectioni studendi. Sed nec reprehendendus, si velit in sæculo manere, ut fratres aliosve institutis sacris imbuat; vel ut parentibus ætate provectis auxilio sit, et solatio. "Per se loquendo," inquit S. Alphonsus, "potest quis privare seipsum bonis spiritualibus non necessariis ad salutem ob bonum proximi spirituale, vel corporale, ut esset omittere ingredi in Religionem, ad alendos parentes suos, vel filios."[1] Vidua quæ ad Religionem confugit, postquam filiis satis consuluit, culpanda non est: secus si eorum derelicta cura, sibi tantum studeat.

83. Peccatum nullum, quantumvis leve, admittendum est, etiam alienæ salutis studio; nam tenetur quisque sibi præcavere; præterquam quod peccatum nullo pacto possit licere. Igitur si quis prævideat veritate exposita hæreticos triumphum acturos, vel infirmos a fide defecturos, non ideo licebit levissimo mendacio eam obtegere; etiamsi plurimi hac ratione ad fidem adducendi forent: cæterum veritas ipsa non est temere exponenda.

84. In extrema necessitate spirituali constituto subveniendum est, etiam cum vitæ discrimine, "dummodo tria constent, 1. ut sit æque spes juvandi, ut ait *Busembaum cum Laymann*; 2. ut proximus certò damnandus sit, nisi a te adjuvetur; ita ut (addit Malderus) tibi constet proximum aliter non esse convertendum contritione, vel alia operatione divinæ gratiæ."[2] Ea quippe dicitur extrema necessitas, quæ proximum certumque damnationis discrimen fert. Igitur, si nemo alius reperiatur, qui baptizet, debet parvulum moriturum baptizare, licet verosimiliter timeat mortem ab itinere ad eum baptizandum. Quum plerumque baptismus parvulorum, invitis parentibus, etiam in vitæ exitu, gravissimum fidei catholicæ odium parere possit, non videtur teneri quispiam ad eum perficiendum, quandocumque fieri nequeat absque pacis dispendio. Constat eos vita haud peri-

(1) L. ii. tract. iii. cap. ii. dub. i. n. 26.
(2) S. Alph. l. ii. Tract. iii. cap. ii. dub. i. n. 27.

Digitized by Google

clitantes baptizare non licere; quum injuria parentibus fieret, si pueri eorum potestati subducerentur,[1] et sacramentum temere administraretur, deficiente probabili spe pueros catholice educandos. Spem hanc plerumque adesse quando ipsi parentes eos afferunt baptizandos censuit concilium I. Baltimorense.[2]

85. Gravis necessitas spiritualis ea dicitur, in qua salus æterna fit difficilis, qualis est omnium adultorum moribundorum, et eorum omnium qui carent ministerio sacro. "Si proximus sit in necessitate tantum gravi, non teneris ei succurrere cum periculo vitæ, famæ, vel bonorum, nisi sis pastor, . . . vel nisi tuum damnum temporale esset leve. . . . Hinc dicunt Salmanticenses . . . quod non teneris retrahere peccatores cum tali periculo; nec ad Indos convertendos navigare, cum sint alii qui hoc facere possunt, et alias fructus sit incertus. . . . Secus verò te teneri dicunt 1. Salmanticenses; . . . si communitas aliqua esset in gravi necessitate spirituali; quia tunc grave damnum commune præcavendum est, magis quam tuum particulare. Hinc inferunt teneri cum periculo vitæ ministrare sacramenta populo, qui alias esset in periculo amittendi fidem; vel si tempore pestis populus sit omni sacerdote destitutus."[3] Egregie hoc munus charitatis impleverunt, regnante Elizabetha, plurimi sacerdotes in Anglia et Hibernia, suppliciis pro fide gloriosi.[4] "Dicunt II. teneri in gravi necessitate, qui ex officio debet subvenire, modo speret fructum. Hinc tenentur ex justitia pastores, scilicet episcopi et parochi cum periculo vitæ, ministrare ovibus Sacramenta nececsaria: ut baptismum et pœnitentiam, non verò alia. Nec pastor potest tunc officio renunciare, licet possit alios substituere cum justa licentia Ordinarii, ut *Laymann ex communi*. . . . Addit Suaresius quod pastor tenetur etiam cum magno suo damno temporali procurare magnam utilitatem spiritualem subditi."[5] De omnibus sacerdotibus affirmat S. Alphonsus, eos teneri, etiam cum vitæ periculo, ad absolvendum moribundum qui "habituatus sit in peccatis, et sit adeo rudis ut nesciat actum contritionis elicere. . . . Tempore autem pestis censeo cum Laymann . . . contra Palaum . . . . teneri sacerdotes, deficientibus aliis, absolvere moribundos cum periculo vitæ, quia in tanta multitudine morientium numquam deficient hujusmodi, ignorantes."[5]

(1) S. Thom. 2. 2æ. qu. x. art. xii. *Sed contra est.*
(2) Decr. xvii.
(3) S. Alph. l. ii. n. 27.
(4) Vide "Memoirs of Missionary Priests."
(5) S. Alph. *ubi supra.*

Digitized by Google

86. In proximis diligendis is ordo servandus est, ut qui meliores sunt magis æstimentur, diligantur, et honorentur. Sic sancti homines diligendi sunt præ improbis, licet propinquis: patriæ vindices pluris fiunt quam alii reipublicæ haud soliciti: fortes, facundi, doctique præ ignavis, imperitis, ignaris diliguntur. Dilectio autem quæ *intensionis* gradus habet, naturæ ordinem hunc sequitur, ut uxor præ cæteris diligatur; deinceps filii, parentes, fratres et sorores, aliique pro propinquitatis ratione. Subveniendum est primò uxori, deinceps filiis, patri et matri, fratribus, sororibus, propinquis. Cæterum in extrema necessitate parentes præferuntur omnibus, quum vitam dederint: in æquali necessitate, haud extrema, liberi præferuntur parentibus, quum sit speciale parentum munus filiis consulere.

87. "In rebus pertinentibus ad civilem communicationem præferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. Bannez tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam spiritualibus, aliis omnibus præferendos: quia conjunctio carnalis est fundamentum aliarum conjunctionum."[1] Cæterum nemo prorsus est dilectione privandus, quum proximi nomine omnis homo veniat. Sic præclare Augustinus quæstioni: "Quis est mihi proximus?" respondet, præ animo habens Samaritani parabolam: "Omnis homo proximus tuus est. Nonne duos parentes habuimus omnes?"[2]

(1) Busembaum, apud S. Alphonsum ibidem.
(2) Serm. xc.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE DILECTIONE INIMICORUM.

88. Quum proximi nomine omnis intelligatur homo, liquet inimicos etiam esse diligendos: quod et Christus districte præcepit: "Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos."[1] Hinc tenetur unusquisque communia dilectionis indicia et testimonia cuilibet, etiam inimico, exhibere: specialia autem beneficia non debentur, nisi aliunde accedat ratio. Equidem communia officia, qualia unicuique solent præstari, non possent denegari, quin odium indicetur: specialia autem nemini debentur, ideoque absque injuria denegantur. Communia censentur "quæ christiano debentur a quolibet christiano in communi, concivi a concive, cognato a cognato."[2] Specialia sunt magna familiaritas, munerum largitio, vel alia beneficia. Qui præstant auctoritate, aliquando absque culpa omnia dilectionis signa omittunt, duriusque tractant subditos, ut eos ad bonam frugem redigant: id licet etiam amicis, propinquisque, quando expedire videatur ad rei emendationem, vel ad familiæ, cœtusve decus. Meritò igitur ebriosi, vel qui alias pravis moribus infames sunt, communibus officiis privantur. Sic etiam qui occasionem delicti et fomitem ex amicitia desumpturi videntur, pari ratione tractantur. E contra specialia dilectionis indicia præbenda sunt aliquando, si iis denegatis scandalum oriturum sit; vel si inimicus veniam deprecetur; vel admodum indigeat speciali beneficio; vel sit hac ratione in viam salutis attrahendus. Clericos præsertim ad ea præstanda, pluribus in rerum adjunctis, obligari facile contingit. "Per se loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo et peculiari actu, neque ad eum salutandum, alloquendum, ægrotum invisendum, mœstum consolandum, hospitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, etc. quia hæc sunt signa specialia amoris."[3] Si prius consueveras inimico pecu-

(1) Matt. v. 44.
(2) Busembaum, post Cajet. apud S. Alphons. l. ii. n. 28.
(3) Busembaum, *ibidem.*

Digitized by Google

liaria signa exhibere, ea adhuc præstanda sunt, "ad hoc tamen non teneris cum gravi tuo incommodo, modo scandalum amoveas," inquit S. Alphonsus.[1]

89. Qui inter se sanguine conjuncti, vel alias speciali amicitiæ vinculo ligati, dissidio orto, specialia signa denegant, possunt a gravi peccato excusari, si nullum sit odium, sed animorum ad tempus divortium, absque aliorum scandalo. Multo magis excusantur, etiam a culpa levi, qui dissidii haud participes, coguntur, patre jubente, familiaritatis et amicitiæ indicia denegare: nec enim possunt cum pacis domesticæ dispendio amicitiam colere. Ita etiam excusatur uxor, quæ sororis consortio, jubente marito, se subducit. Cæterum "non licet inimicum excludere a communibus orationibus, v: g: oratione Dominica, quæ pro communitate instituitur, nec a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione; quia hæc sunt communia dilectionis signa; ideoque contra hæc facere, v. g. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia, vel collegio ex consuetudine salutare, solo inimico excluso, est ex genere suo, et regulariter mortale."[2]

90. Plerumque non tenetur quis ad salutandum inimicum, quia "per se omissio salutationis non est signum odii, nisi antea solebas eum salutare: vel nisi ex circumstantiis colligatur te ex odio non salutare; vel ille sit tunc Superior: vel nisi occurrentibus pluribus, inter quos est ille, reliquos, eo excepto, salutes." . . . "Vel etiam (addendum) si sine magno incommodo salutando inimicum posses eum ab odio et culpa gravi liberare: ad hoc enim bene videtur charitas te obstringere, ut recte ait Tournelius, *t.* 3 *p.* 267. *n.* 4. Omnino autem teneris eum resalutare, quia alias censeris inimicum contemnere, et in hostilitate velle perseverare, ut communiter cum auctoribus citatis docetur. Excipe, nisi esses prælatus, parens, vel judex, vel nisi hoc facias, non ex odio, sed justo dolore acceptæ injuriæ . . modo . . ex brevi tempore injuriam acceperis. Religiosus autem qui renueret per notabile tempus, puta post hebdomadam, colloqui cum inimico, meritò dicit Sporer non esse absolvendum."[3]

91. "Etsi quivis teneatur inimico veniam legitime petenti non tantum interius remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere; negat tamen *Trul. l.* 15. *c.* 5. *d.* 5. . . . teneri statim postquam offensio est illata, eo quod sit res violenta et supra fragilitatem

(1) L. ii. n. 28. (2) Busembaum, ibidem. (3) S. Alph. ibidem.

Digitized by Google

humanam."[1] "Expectandum igitur tempus opportunum; et interea sufficiet, quod offensus deponat odium." Ita S. Alphonsus.[2] Hinc si quis alicujus maritum, fratrem, filium occiderit, non tenetur uxor, frater, pater, ad veniæ indicia statim præbenda; sed satis erit si odium et vindictæ cupidinem comprimat, ut Deo obtemperet.

92. Non tenetur quis inimico etiam deprecanti damnum illatum condonare, nam jus ad satisfactionem exigendam stat cum veniæ de injuria largitione. Igitur remissa injuria licebit reparationem exigere, judicis auctoritate implorata. Quod si publica justitia exigat rei punitionem, ne scelera impune patrata augeantur, licet ordinem judiciorum sequi. Cæterum quum vindictæ animus vix abesse possit, censet S. Alphonsus, "quod practice loquendo numquam liceat expetere punitionem inimici, etsi justa et legitima auctoritate faciendam."[3]

93. Odium proximi grave esse peccatum liquet. "Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus."[4] "Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem."[5] Ideo homicida dicitur, quia odium cor ad cædem disponit. Ex desiderio animi odii gravitas maxime dijudicanda est; qui enim ruinam adversarii cupit, graviter plane contra charitatem delinquit.

94. Odium *abominationis* ab odio *inimicitiæ* a theologis distinguitur; hoc quippe hominem respicit, ejusque malum quærit: illud vitium aversatur, vel indolem nobis ingratam. Qui aliquem oderunt, quin mali aliquid ei evenire velint, ejus agendi rationem, indolem, vel vitium aversari rectius dicuntur, nec facile damnandi sunt gravis peccati. Sic parentibus aliquando contingit filium aliquem minus diligere, et ex naturæ quodam impetu aversari, quem tamen sincero affectu amplectuntur, ejus utilitatibus consulentes. Alii vix tolerare possunt conspectum propinqui alicujus, aspectum haud decorum, vel malam indolem aversantes. Laborandum est ut aversationes illas, quæ nullo eorum quos aversamur vitio nituntur, ponamus; facile enim ducunt ad inimicitias fovendas.

95. Qui alteri malum exoptat, debet confitendo explicare, quam

(1) Busembaum, apud S. Alph. l. ii. n. 29. (2) *Ibidem*.
(3) Ibidem. (4) I. Joan ii. 11. (5) Ibidem, iii. 14.

Digitized by Google

mali speciem ei apprecatus fuerit; desideria quippe efficacia specialem habent malitiam, pro rei optatæ natura. Cæterum quæ quis ex odii impetu alteri optat, videntur plerumque sub una ratione mali concipi, et contineri; ideoque non sunt necessariò exponenda enucleatius, quando specialis voluntas non apparet.

96. Absque odii vitio, quamvis periculo non vacet, optare potest quis alteri malum aliquod temporale, quod in animæ salutem cedat: v: g: morbum, ut a peccando retrahatur; res adversas, ut superbia dometur. Communis utilitatis studio potest quis etiam, absque culpa, optare, ut flagitiosi comprimantur, Ecclesiæ persecutores moriantur, dissidiorum auctores pœnas debitas luant; insuper ut qui, vitiis suis, dedecori est et probro familiæ, moriatur. Cæterum non excusatur mater quæ filiæ optat mortem, quod haud sit pulchra, vel ad matrimonium quæsita. Mulier mariti optans mortem, qui ebrietate aliisque vitiis eam et filios graviter lædit, et contristat, videtur posse excusari. Cæterum damnata est propositio: "Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci appetitu appetere, et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum."[1]

97. Præstat Angelicum doctorem audire: "Charitas attendit ad quædam bona per se, scilicet ad bona gratiæ, ad quædam autem per accidens, in quantum ad ista ordinantur. Bona autem temporalia, quæ per accidens charitas attendit, et ex consequenti, possunt se invicem in diversis impedire, quia prosperitas unius inducit adversitatem alterius. Unde quia charitas ordinem habet, et plus debet diligere quisque se quam alium, et propinquos quam extraneos, et amicos quam inimicos, et bonum commune multorum quam bonum privatum unius, potest aliquis salva charitate optare malum temporale alicui, et gaudere si contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum bonorum alterius, quem plus teneor diligere, vel communitatis, vel Ecclesiæ. Similiter de malo ejus, qui in malum temporale incidit, secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus."[2]

(1) Prop. xiii. damn. ab Innoc. XI.
(2) In. III. Sent. dist. xxx. art. i. *ad quartum.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE ELEEMOSYNÆ PRÆCEPTO.

98. Charitatis præceptum nos obligat ad subveniendum proximo indigenti. Quo autem usque pertingat hæc obligatio, non adeo facile definitur. *Extremam*, *gravem*, *communemque* necessitatem distinguunt theologi. *Extremam* vocant, quoties qui indiget, vitæ, vel morbi diuturnioris, periculum init, nisi ei statim subveniatur. *Gravis* est necessitas, quando quis sui status et conditionis jacturam facturus est, nisi opem accipiat, vel in carcerem detrudendus, vel exul ablegandus. *Communis* est quam patiuntur pauperes quicumque, ostiatim plerumque mendicantes.

99. Bona quæ quis possidet, alia sunt necessaria ad vitam sustentandam: alia ad status decorem requiruntur. Constat neminem teneri ad eleemosynam tribuendam ex iis quæ vitæ suæ sustentandæ sunt omnino necessaria, licet alterius vita sit reipublicæ utilior: nam natura ita sumus comparati, ut vitam unusquisque suam conservandi jus habeat et instinctum. Quæ vitæ superflua, statui verò et conditioni necessaria sunt, erogare non tenemur, nisi in extrema aliorum necessitate:[1] unusquisque enim statum suum tenere poterit, divinæ providentiæ ordini inhærens. Cæterum dum extrema urget aliorum necessitas, iis succurrendum est, etiam cum status detrimento, quum

(1) Solent theologi, præeunte S. Gregorio M. l. xii. ep. xxx. ad Aug. ep. ad inter. ii. præceptum superflua elargiendi ex eo loco colligere: "Verumtamen quod súperest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis." Luc. xi. 41. Verum textus alium sensum postulare videtur: πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην: "quæ insunt," quæ catino continentur, "in eleemosynas largimini." Eadem sententia apud Matthæum videtur aliis enuntiari verbis: "munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id quod de foris est mundum." Mat. xxiii. 26. Ad alia testimonia quæ eleemosynas commendant, præsertim ad judicis sententiam confugiendum est. Ex τῶν ἐνοντῶν apud Epictetum significat quatenus fieri possit. Enchir. c. xliv. τῶν ἐνοντῶν apud Lucianum adhibetur in tractatu de luctu, ubi sermo est de iis quæ in Tartaro sunt: miratur scilicet quomodo accurate videre contigerit singula "quæ ibi sunt," quum locus sit tenebricosus. Hæc dicta sint, salva reverentia sancto pontifici, et Ecclesiæ Scripturarum interpretis auctoritate.

Digitized by Google

vita aliorum sit plerumque longe majoris momenti, quam status cujusquam decor.

100. Superflua statui vocantur, quæ quis posset largiri absque suæ conditionis detrimento. "Quæ sunt necessaria ad alendos liberos, famulos, et ad honestas donationes, convivia, hospitum tractationem,—spectatis etiam communibus eventibus, hæredibus, necessitate futura, etc. non sunt superflua."[1] Dubitari autem nequit plurima superflua esse divitibus, quapropter meritò damnata est propositio: "Vix in secularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui: et ita, vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui."[2]

101. Non tantum extrema, sed etiam gravi necessitate laboranti succurrendum est, ex superfluo statui; nam eleemosynarum præceptum largiendarum, quod adeo in Scripturis commendatur, non potest ad rarum admodum casum extremæ necessitatis restringi. "Notat tamen Viva,—quod neque in gravi, neque in extrema, necessitate pauperis teneatur dives magnam pecuniam erogare, cum hæc sint media valde difficilia, et fere moraliter impossibilia."[3] "Probabile est, quod proximo in gravi necessitate constituto quisque teneatur subvenire cum modico detrimento proprii status; quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire."[4]

102. In communibus pauperum necessitatibus eleemosynæ tribuendæ sunt ex superfluo statui, eo moderamine adhibito, ut si plerique divites ita agerent, plerisque indigentibus subveniretur. Equidem frequentem admodum et communem esse debere eleemosynarum largitionem, colligitur ex Christi verbis, eam commendantis, et veluti judicii rationem in ea constituentis.

103. Æquum etiam est, ut quum jure naturæ omnia forent omnibus communia, rerum divisio jus quibusdam tribueret, nonnisi ea conditione adjecta, ut communibus cæterorum necessitatibus consulerent. Præterea, "si divites absolutam non haberent obligationem subveniendi communiter mendicis, possent isti ab omnibus in sua necessitate derelinqui."[5] "Cæterum Viva, Tamburini, Mazzoti, et Roncaglia, cum communiori, censent satisfacere probabiliter divi-

(1) Busembaum, apud S. Alphonsum, l. ii. tract. iii. c. ii. dub. iii n. 31.
(2) Prop. xii. *damn ab Innoc. XI.* (3) Apud S. Alphonsum, *ubi supra.*
(4) Busembaum, *ibidem.*
(5) S. Alphonsus, *ubi supra*, n. 32.

Digitized by Google

tes, erogando in pauperes communes quinquagesimam partem suorum redditiuum, sive duos aureos ex centum, sed non in eadem proportione, si divitiæ multum excedant."[1]

104. Quum in plerisque civitatibus oppidisque provinciarum fœderatarum hospitia sint in quibus pauperes excipiuntur, quorum sustentationi cives consulunt, *taxam* solvendo, hac ex parte obligationi dandi eleemosynas quodam pacto satis fit. Non igitur facile deneganda est absolutio diviti, qui mendicis non subvenit: attamen hortari oportet omnes "divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare:"[2] eisque in memoriam revocare illud Apostoli: "Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?"[3]

105. Omnibus egentibus, absque religionis, aut gentis, discrimine: subveniendum est, uti pulchre nos docuit Christus, Samaritani exemplo. Ordo tamen servatur, ut propinquioribus, et quorum cura nobis commissa est, imprimis subveniatur, nisi gravior aliorum necessitas aliud postulet.

106. Ex bonis suis, non autem alienis, eleemosyna tribuenda est: nemo enim potest aliena largiri: quapropter graviter peccant contra justitiam famuli dominorum bona tribuentes. Attamen si extrema urgeat necessitas, quæcumque præsto sunt possunt adhiberi ad subveniendum perituro: nec enim dominus invitus censendus est. Sic in naufragio quidquid potest inservire ut quis evadat, licite arripitur, ut præbeatur periclitanti: in fame quidquid obvium occurrit vitæ sustentandæ idoneum, datur morituro. Non licet autem aliena præbere, si tua præsto sint quibus ei subvenire possis. In communi necessitate non licet dare eleemosynam ex alienis bonis, nisi ex tacito saltem domini consensu. Hunc habet uxor de rebus mariti, moderate tamen, et pro more aliarum ejusdem conditionis: pueri etiam, et filiifamilias, juxta aliorum notam consuetudinem, moderatas dant eleemosynas: ancillæ de cibis qui supersunt, et de vestimentis abjectis aliqua tribuunt, dominis haud invitis. Cæterum non debent dare cibos mensæ nondum appositos, vel res alias, contra dominorum justam voluntatem, ideoque restitutionem facere debent, si secus egerint.

(1) S. Alphonsus, *ubi supra*, n. 32. (2) I. Tim. vi. 18.
(3) Joan. iii. 17.

Digitized by Google

107. Qui bona aliena surripuerunt, vel alias injuste possident, non satisfaciunt restituendi obligationi eleemosynis dandis, si certus sit dominus, et possit ei reddi res ablata, vel ejus valor. Quæ certum non habent dominum, possunt in eleemosynas tribui, ex præsumpto domini consensu.

108. Quæ pravis actibus comparantur, justitia illæsa, possunt retineri, quamvis perperam acquisita, quia revera sunt illius qui opere, licet pravo, ea lucratus est. Sic pecunia quam amasius dedit mulieri ob voluptatem pravam, ejus est, quam proinde optime largitur pœnitens, ut peccata sua eleemosynis redimat. "Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, et contra legem Dei. Sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra legem. Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, et de eo eleemosyna fieri."[1] Sed si alicui surripuerit pecuniam, est iterum reddenda: quod si fieri nequeat, poterit in eleemosynas dari, quum dominus haud reperiatur.

108. Septem enumerantur opera misericordiæ corporalis, his vocibus enuntiata:

"Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Visitare infirmos, et carcere detentos, potum dare sitientibus, cibum esurientibus, redimere captivos pretio libertatis præstito, tegere vestibus nudos, colligere in domum peregrinos, vel qui tecto carent, et mortuos condere sepulchro, sunt eximia illa opera. Pleraque Christus ipse recensuit, salutis mercedem iis tribuendam docens: "Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me."[2] Quam acceptum sit Deo charitatis officium quod exercetur mortuorum cadaveribus sepeliendis, liquet ex Raphaelis archangeli ad Tobiam dictis: "Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino."[3] Captivorum redemptio misericordiæ eximium est exercitium: "Summa liberalitas," inquit S. Ambrosius, "captivos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, et

(1) S. Thomas, 2. 2æ. qu. xxxii. art. vii. *Resp.*
(2) Matt. xxv. 35. (3) Tobiæ xii. 12.

Digitized by Google

maxime feminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ restituere."[1] Hospitalitas etiam piis illis operibus accensetur, quam exercentes Abraham et Lot angelos in aedes suas excipere digni sunt facti, tanti honoris haud conscii: "Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis."[2]

(1) L. ii. *de officiis* c. xv.

(3) Heb. xiii. 2.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE CORREPTIONE FRATERNA.

109. Correptio fraterna est admonitio qua quis proximum conatur revocare a peccato. Ejus necessitatem colligunt theologi ex Christi verbis apud Matthæum; quæ tamen culpas in nos admissas præsertim respiciunt: "si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum."[1] Equidem ipsa charitas nos movet ad peccatoris emendationem et salutem quærendam; quapropter qui negligit eum opportune corripere, contra dilectionem fraternam peccare convincitur.

110. Plerumque non est obligatio corripiendi leviter peccantem; quum enim culpæ veniales sint adeo frequentes, etiam in justis, nimis grave foret onus eas reprehendendi; et molestia inde inferretur aliis, haud sine invidia pietati conflata. Cæterum prælatus ordinis religiosi sæpe tenetur sub gravi peccato corrigere leves subditorum culpas, eas præsertim quæ disciplinam paulatim evertere possunt.

111. Quæ fiunt contra legem naturæ, vel positivam aliquam sanctionem, ex ignorantia invincibili, culpa quum careant, non postulant correptionem, nisi spes sit fructus: præstat enim bona fide ea fieri, licet alioquin vetita, quam contra conscientiam. Sed spe emendationis affulgente, admonendus est qui agit contra legem naturæ; nam impedienda est pro viribus res per se mala: imo qui legem positivam ita violat, pariter est admonendus, juxta sententiam magis probatam, quum legis violatio sit mala, ideoque impedienda. Hinc qui novit alterum justitiam violare, bona fide, ut videtur, debet eum monere erroris, si verosimile sit eum aliam deinceps agendi rationem secuturum. Imo qui videt alterum carnes die vetito ex oblivione manducantem, debet ei memoriam refricare.

112. Obligatio correptionis gravis est, quandocumque peccator a delicto graviori potest ea facile revocari. Præsules, parentes, magistri, domini, aliique quibus aliorum cura est commissa, graviter peccant, si negligant subditos corripere, et sic laxas habenas dent

(1) Matt. xviii. 15.

Digitized by Google

vitiis. Privati plerumque leviter peccare videntur, omittenda correptione; nam vel dubius est fructus, vel correptio absque gravi incommodo nequit fieri ob verecundiam; vel aliàs difficultas haud facile superatur. Ideo qui nullatenus blandiuntur peccantibus, nec eorum fiunt consortes, haud facile damnandi sunt, si eos corripere haud fuerint ausi. Pii viri non debent solicitiores esse hac in re, quum suo exemplo semper moneant delinquentes. "Notat Tournelius . . . neminem teneri ad corrigendum in necessitate gravi spirituali cum periculo notabilis damni honoris, vel bonorum, nisi sit pastor, aut alius cui ex officio incumbat alterius cura."[1]

113. Ut gravis sit corripiendi alterum obligatio, debet I. de delicto, vel de proximo peccandi periculo constare: v: g: de consortio, et amicitia plena periculi. Superiores, quum debeant invigilare ne vitia irrepant, aliquando tenentur communi quadam correptione subditos monere delicti, quod graviter suspicantur esse admissum. Delictum si jam pœnitentia deletum sit, et periculum relabendi ablatum, correptione opus non est: ideo ut quis ad corripiendum teneatur, constare debet II. delictum non esse emendatum, nec emendandum, nisi correptio fiat; vel relapsus periculum esse. Qui novit quemquam ante tempus diuturnum graviter deliquisse, qui jam bonis videtur moribus, nec in periculo constitutus, non tenetur ad eum monendum, ut pœnitentiam agat gravioris quod aliquando admiserat delicti. Quod si constet eum haud pœnituisse, extra tamen occasionem lapsus nunc positum, probabilior sententia, judice S. Alphonso, tenet eum monendum, si spes sit fructus, nam qui peccato inquinatam habet animam, in gravi versatur necessitate, indigetque correptionis subsidio. III. "Si alius æque idoneus non sit qui correpturus putetur:"[2] si enim correptio ab alio fiat, emendationi delinquentis consulitur. IV. "Si sit spes fructus," nemo enim ad inutile tenetur. Si igitur peccans prævideatur corripientem spreturus, et, forsan magis peccaturus, melius omittitur correptio. Quod etiam dicunt theologi, si dubium sit utrum profutura sit, nisi reus in mortis discrimine versetur, vel nisi aliorum damnum in fide vel moribus ex omissione sequatur. "Addunt Salmanticenses concionatores teneri peccata publica reprehendere, etiamsi ideo damna privata timeantur. Hoc tamen intelligendum, si ex reprehensione aliquis fructus speretur, et

(1) S. Alphonsus, l. ii. Tract. iii. dub. iv. n. 39. iii.
(2) Busembaum, apud S. Alphonsum, ibidem.

Digitized by Google

majus damnum commune non timeatur."[1] V. "Si sit bona occasio, locus, et tempus opportunum."[2]

114. Ordo in correptione servandus, quando agitur de delictis in nos admissis, est, juxta Christi Domini præceptum, ut correptio primò fiat privatim; quæ si haud profuerit, unus aut alter testis adhibetur: et si solemnior hæc correptio pariter rejiciatur, denuntiandus est delinquens ecclesiæ, scilicet præsuli, cujus est ligare et solvere. Pertinax autem habendus est instar ethnici, a consortio fidelium alienus.[3] Jam verò hæc si ad singula peccata transferantur, corripiendus erit peccator privatim, si secretum fuerit delictum; sed publice peccantes palam esse corripiendos, recte docet concilium Tridentinum, ex Apostolo præcipiente: "Peccantes coram omnibus argue: ut et cæteri timorem habeant."[4] Equidem ratio cur correptio privata esse debeat, est ut famæ consulatur; quæ jam integra non est, quoties delictum est publicum. Testes adhibendi sunt, quoties res erit ad judicium trahenda; quod si peccatoris emendatio tantum quæratur, amicorum, qui plurimum apud eum possunt, gratia, ad bonam frugem reducendus erit. Si nolit eis obaudire, patienter plerumque tolerandus erit, ne animus exulceratus ad flagitia ruat præceps; Christo docente zizania in agro relinquenda, ne forte, dum evelluntur, frumentum etiam tollatur. Præsuli tunc erit deferendum crimen, quando ejusmodi fuerit ex quo aliis gravissimum oriatur animæ damnum, et offensio maxima: præsul autem gladio Ecclesiæ, quo abscinduntur contumaces utetur, post operam omnem frustra adhibitam, ut emendetur reus.

115. Correptionis ordinem singulis in casibus charitas ipsa studiumque salutis alienæ ostendent. Si superioris opera vitium statim emendari possit, absque peccantis detrimento, præstat statim illud deferre: nec opus est ut privata præcedat monitio, quæ forsan grave afferret monenti damnum. Sic etiam si communis utilitas postulet ut crimen præsuli innotescat, deferendum erit, nec enim quis jus habet ut famæ consulatur cum publico detrimento. Ideo qui vel fide vel moribus deficit, et tamen sacros expetit ordines, speciem præseferens pietatis, denuntiandus erit statim, ne in sacrum ministerium subrepat, cum magna animarum jactura. In Societate Jesu, ex in-

(1) S. Alphonsus, l. ii. Tract. iii. dub. ii. n. 40.
(2) Busembaum, ibidem.
(3) Matt. xviii. 17. (4) I. Tim. v. 20.

Digitized by Google

stituto quod omnes profitentur, culpæ omnes statim denuntiantur superiori, ut omnium consulat profectui: ideo unusquisque suæ famæ renuntiat, ut societatis utilitati et suæ perfectioni studeat. Attamen si occultum fuerit peccatum, et pœnitentia deinceps deletum, nec immineat relapsus periculum, vel detrimentum alienum, non est deferendum, nequidem in illa societate: quia cessat delationis justa ratio. Sic si denuntiatio proximo superiori sufficiat, non erit ad præcipuum superiorem recurrendum.

116. Prælati plerumque debent inquirere in subditorum peccata; non tamen de singulis curiose interrogare, nisi gravis sit ratio, vel speciale indicium. Accusatores autem non sunt facile excipiendi, ne detur locus calumniis, et iniquis criminibus.

117. Omni ope niti debent prælati, pastoresque animarum, etiam cum suo incommodo, imo aliquando cum vitæ discrimine, ut peccata publica et occulta impediantur: ideo enim a Christo positi sunt, ut vitia evellant, et hominum saluti studeant.

118. Præter correptionem fraternam, sex alia recensentur misericordiæ spiritualis opera; nempe consilium præbere dubitantibus, ut in virtutis semita tuti incedant; edocere ignaros; solari afflictos; remittere offensas; ferre patienter injurias; et orare ut aliis bene cuncta cedant: quæ hoc versu enuntiantur.

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

119. Consilii et doctrinæ munera docendi nomine apte intelliguntur: "qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates."[1] Solandi officium ex charitate nascitur, cujus est "flere cum flentibus."[2] Ad illius exercitium hortatur Apostolus fideles, de resurrectione disserens: "Itaque consolamini invicem in verbis istis."[3] Veniam dare inimicis charitatis eximium est exercitium: "Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra."[4] Ferendi aliorum infirmitates officium ab Apostolo sæpius commendatur: "Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere."[5] "Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi."[6] Orare pro aliorum salute sacri nos hortantur scriptores:

(1) Dan. xii. 3. (2) Rom. xii. 15. (3) I. Thess. iv. 17.
(4) Matt. vi. 14. (5) Rom. xv. 1. (6) Gal. vi. 2.

Digitized by Google

"Orate pro invicem ut salvemini."[1] Ad hæc etiam impellit S. Gregorius Nazianzenus. "Tu verò siquidem majora quoque potes, et quibus anima beneficio afficitur: ne his quoque de indigente bene mereri absiste: imò primum ac potissimum hæc ei qui abs te petit dona, priusquam etiam quam postulet, tota die miserans, ac sermonem commodans."[2] De consilio scribit Ambrosius: "Quanto utilius regem Pharaonem sanctus Joseph consilio providentiæ juvit, quam si contulisset pecuniam?"[3]

(1) Jac. v. 16.

(2) Orat. xvi. *de pauperibus amandis.*

(3) L. ii. *de officiis*, c. xv.

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE SCANDALO.

120. *Scandalum*, apud theologos, a Græco vocabulo σκανδαλον *offendiculum*, est dictum vel factum minus rectum, quod alteri præbet occasionem ruinæ spiritualis. *Per se* dicitur, quando actus pravus est, et ad ruinam alterius directus: uti turpe colloquium ad seducendam puellam. *Per accidens* scandalum oritur ex iis quæ licent, quando ea sunt rerum adjuncta quæ malam speciem iis tribuunt, et occasionem peccandi præbent. Sic si donum quis det puellæ, absque prava intentione, quod tamen judicat eam veluti affectus nimii indicium acceptare, et sic animo vitiari, scandalum per accidens est. Scandalum *activum* est quod datur ab aliqua: *passivum* vocatur ruina alterius, cujus occasio ex dicto vel facto alieno derivatur. Dicitur *pusillorum* scandalum, quod *datum* est, quando quis perperam agendo, vel loquendo, præbuit revera occasionem peccato alieno: sicuti contingit prava dogmata propugnanti, vel animas ad turpia solicitanti. *Pharisæorum* scandalum *acceptum* dicitur, *non datum*, quando quis ex actu bono, vel saltem licito, sumit peccandi occasionem, malitia sua eum excæcante. Sic Pharisæi, audito Christi dicto: "Non quod intrat in os, coinquinat animam;"[1] scandalizati sunt. Sic et sectarii scandalizantur, catholicis nolentibus consortium cum iis in rebus religionis inire: quos idcirco existimant charitate carere.

121. Scandalum *activum* datur quando actus, vel dictum, tendit ad ruinam alterius, licet hæc reipsa non sequatur. Sic potest fieri ut quis pravo exemplo, vel solicitationi resistat, quin crimine scandali alter ideo sit immunis. Non autem scandali malitia semper accedit peccato, eo quod coram aliis fiat; sed iis tantum in rerum adjunctis, in quibus alios ad peccatum inducere natum sit. Sic laicus qui in cœtum publicum ebrius ingreditur, famæ quidem facit jacturam, sed scandalum præbere vix dicendus est, quum alii suum exemplum haud sint imitaturi. E contra scandalum facile præbet qui

(1) Matt. xv. 11.

Digitized by Google

adstat concioni hæreticæ, dat enim occasionem rudibus ut eum imitentur.

122. Quoties quis specialiter quærit ruinam proximi, contra charitatem peccat, sicut et contra virtutem, ad quam violandam alium inducit. Sic si quis juvenem pium perdere quærens, eum ad prostibulum ducat, charitatis et pudicitiæ violatæ reus constituitur: si sobrium virum quis consultò inebriet, ut casu lætetur, charitatem et temperantiam lædit. Quod si indirecte tantum sit causa ruinæ, sunt diversæ theologorum sententiæ: cæterum S. Alphonsus duplex peccatum in eo agnoscit; charitas enim violatur, quum detur occasio ruinæ, et specialis virtus insuper læditur. Sic qui eundo ad prostibulum, comiti nihil tale cogitanti occasio est ut pariter peccet, præter proprium peccatum, charitatem et pudicitiam, pravo exemplo, violasse censetur. "Quando aliquis suo malo verbo, vel facto, intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamsi ipse non intendat, et ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet quod sit inductivum ad peccandum, puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati. Et tunc ille qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ; unde vocatur scandalum activum."[1] Ita S. Thomas. Non ideo tamen ad restituendum obligabitur qui exemplo suo alium ad furandum induxit, sicut contingit famulis in eadem domo, vel aliis in eodem officio occupatis; quia non fuit efficax causa injuriæ, quamvis præbuerit occasionem.

123. Inductio ad fornicationem est peccatum speciale ab ipsa fornicatione distinctum, juxta plures theologos, quæ tamen in viro plerumque præsumitur.[2] Lugo censet eam esse tantum circumstantiam aggravantem, haud necessariò explicandam in confessione. Scandali malitiam in fornicatione semper reperiri constat, uterque enim operam suam præstat alteri peccanti: imo sunt qui in quolibet hujusmodi actu quinque enumerant peccata, quæ tamen ex actu satis intelliguntur: qui enim fornicatur alterum polluit, et seipsum, et suam operam præstat alteri eum polluenti, et contra charitatem duo peccata admittit "cooperando ad pollutionem illius, et ad actionem ipsius, ut tu polluaris." Ita S. Alphonsus.[3]

124. Scandali reus videtur, qui alium ad peccandum paratum actu movet, si res absque peccato nullatenus præstari queat; sicut qui

(1) 2. 2. qu. 43. a. i. ad 4. (2) Mayol. *Disp. Præamb.* qu. iii. art. vii.
(3) L. ii. Tract. iii. n. 46.

Digitized by Google

meretricem ad fornicationem invitat, "quia, licet meretrix sit in actuali voluntate peccandi, certe tamen sibi infert ruinam graviter majorem, opere complendo illud particulare fornicationis peccatum. Is igitur, qui illi cooperatur ad peccatum consummandum, dupliciter graviter peccat, tum contra charitatem, tum contra castitatem."[3] "Si res quæ petitur sit indifferens, et bene possit præstari sine peccato alterius, ut esset petere mutuum ab usurario, juramentum a falsum juraturo, sacramentum a sacerdote peccatore,"[2] peccatur nihilominus, judice S. Alphonso, si sine gravi causa res petatur: charitas enim vetat ne leviter et temere aliquis ad actum moveatur, quo grave sibi infert damnum spirituale.

125. Scandalum pharisaicum, quod ex aliena malitia oritur, negligendum est: nec enim bona opera deserenda sunt, vel sana principia derelinquenda, eo quod murmurent in sui interitum homines perversæ indolis. Sic Christus discipulis referentibus Pharisæos scandalum passos ob sua dicta de cibis, respondit: "Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum."[3] Scandalum pusillorum post monitionem fit pharisaicum; ideoque qui causam quam habet agendi exposuit, poterit agere, licet infirmi obmurmurent. Sic qui ob valetudinem infirmam carnibus vescitur diebus vetitis, vel ob stomachum vino, vel aqua vitæ, ex medicorum consilio utitur, non est angendus, licet alii occasionem violandi legem Ecclesiæ, vel potui libere indulgendi inde sumant, dummodo data occasione rationem reddat. Cæterum non debet absque necessitate publice uti, quam habet, venia. Si parentes, vel propinqui, odio prosecuturi sint sacerdotes, vel fidem catholicam, puella vota solemnia nuncupante, non tenetur ipsa, postquam rationes quibus movetur explicaverit, ad manendum in sæculo, ut eorum scandalum impediat: poterit tamen aliquantum differre propositi executionem, ut eis gratificetur.

126. Ad vitandum grave scandalum pusillorum numquam omittenda sunt necessaria munia, nempe fidei professio, sacramentorum susceptio, eorum saltem quæ sunt ad salutem necessaria, et naturalis legis impletio: nam animæ saluti consulendum est, quidquid aliis contingat. Præcepta autem positiva omitti aliquando possunt, ne alii scandalum patiantur, "quia præceptum generale de vitando scandalo proximi, cum sit naturale, præferendum est præceptis positivis. At quia magnum esset incommodum mulieris, si ipsa ob

(1) L. ii. Tract. iii. n. 46. (2) Ibidem. (3) Matt. xv. 14.

Digitized by Google

scandalum alterius ad longum tempus abstinere a Missa teneretur, ideo valde probabiliter dicunt Laymann .. Tournely .. et Sporer, quod illa ad hoc non tenetur; nisi pro una vel altera vice. Imo tenet Elbel .. bene posse illam semel vel iterum omittere Sacrum; sed ad hoc non teneri, cum accidat scandalum omninò ex alterius malitia."[1]

127. Bona temporalia non sunt dimittenda ad scandalum vitandum; nemo enim tenetur cum gravi sui jactura aliorum impedire ruinam; præsertim quæ, post rationem redditam, eorum malitiæ est tribuenda. "Propter scandalum pharisaicum," inquit S. Thomas, "non sunt bona temporalia dimittenda, quia hoc et noceret bono communi; daretur enim malis occasio rapiendi, et noceret rapientibus, quia retinendo non sua, in peccato remanerent."[2] Licet tamen bonorum suorum pati jacturam, ne iis vindicandis pusillis scandali occasionem demus. Cæterum quæ alicui custodienda et administranda traduntur, sua censenda non sunt, sed summa fide servanda: ideoque non possunt sponte dimitti ad offensionem quorumdam evitandam. Hinc episcopi nequeunt quæ ad mensam suam pertinent rapientibus dimittere, licet videantur quibusdam tenaces nimis: juramento enim se obligarunt ad ea servanda.

128. Quæ præcepto injuncta non sunt, laudabiliter omittuntur ad evitandam aliorum ruinam. Cæterum disputatur utrum peccet qui ea ponit absque gravi aliqua causa, noscens alios inde desumere peccati occasionem: v: g: si puella conspiciendam se præbuerit viro qui eam prave concupiscit. "Valde probabiliter negant peccare graviter Cajetanus, Sanchez ... Sufficit enim, ut dicunt, ad eam excusandam, saltem a mortali, causa, ne ipsa sua libertate privetur; cum ex una parte hoc scandalum non est datum, sed acceptum ex malitia viri; et ex alia vice esset res valde incommoda mulieri, et scrupulis obnoxia, si expendere deberet semper, an habeat justam causam egrediendi, vel non. Nequirem autem .. illam excusare a mortali, si ipsa ex vanitate ducta, etsi scandalum illius viri non intendat, data opera ejus aspectui se offerret. Hinc recte dicunt Sporer et Diana teneri mulierem sub gravi scandalum viri determinati vitare, si posset commode aliam ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere, et similia. Hoc tamen non intelligendum ad longum tempus, sed tantum pro una vel altera vice,

(1) S. Alphonsus, l. ii. n. 51. (2) 2. 2. q. xliii. art. 8.

Digitized by Google

donec alter advertere possit se fugi ab illa. . . . Nequirem etiam mulierem a mortali excusare, si illa peteret aliquem locum, quem non adiret, nisi sciret ibi amasium adesse, ut recte advertit Sporer."[1]

129. Ornatus honestus suæ conditioni conveniens, sive mulieris ut marito placeat, sive puellæ ut sponsum inveniat, non est culpandus. Quod si noverit aliqua ruinæ occasionem inde alicui oriri, ad breve tempus debet eum dimittere ad peccatum ejus vitandum. Cæterum nimis grave foret diu sua libertate in re honesta privari, ob alterius malitiam, seu fragilitatem.

130. Excessus quidam ornatus, absque prava intentione, plerumque venialis est. Quod si modestiæ leges omnino negligantur, uberibus brachiisque detectis, non facile excusabuntur a peccato gravi, nisi forsan mos jam invaluerit, adeo ut homines haud vehementer afficiantur ob consuetudinem. Quæ morem inducunt, peccati gravis reæ videntur, quum sit accendendæ libidini idoneus: quæ morem vigentem sequuntur, in magno peccandi discrimine versantur, et omni studio inducendæ sunt ut eum emendent: "Bene enim Croix advertit, quod ejusmodi feminæ denudatione pectoris non raro quærunt inhoneste appeti a viris, ut illos sibi irretiant et hanc ob causam recte putat Eliz. plures feminas damnationem pati."[2] Quæ fuco, pigmentis, alienis crinibus, dentibus arte factis, utuntur, haud graviter peccant; sed nec leviter, quando defectus tantum studeat celare. Vanitas quædam et laudis cupido nonnisi venialis est culpa: desiderium conjugii legitimi ab omni culpa excusatur; sed quidquid fit ut aliquis alliciatur ad peccatum grave, mortale est.

131. Quæ viriles aliquando vestes induunt, cum larvis incedentes, vel qui muliebribus e contra vestibus induuntur, scandalum facile præbent, et libidinis fomitem. Cæterum contingit nonnumquam puellas juniores, ludi causa, absque prava intentione, vestes viriles induere: quod gravi vacat peccato, quoties libidinis periculum abest; quod vix fieri potest, pluribus simul ludentibus. Si autem necessitas cogat mutare vestes ad se fuga surripiendum, nulla est culpa; quæ enim extitit veteris legis prohibitio, si ad litteram intelligatur, ad præcepta abrogata referenda est.

132. "Graviter peccant pingentes, sive exponentes publice imagines obscœnas, scilicet detectis pudendis, sive tenui velo coopertis . . . Secus, si detectis aliis partibus, pudenda tegantur."[3]

(1) S. Alphonsus, l. ii. n. 52. (2) Ibidem, n. 55. (3) Ibidem, n. 56.

Digitized by Google

133. Utrum parato ad grave facinus patrandum liceat minus malum suadere, inter theologos quæritur: v: g: si quis velit alterum interficere, ei suadere ut potius potui indulgeat nimio, vel ut ad meretricem divertat. Negant nonnulli, numquam licere putantes aliquid mali suadere: alii autem censent licere, "quia tunc suadens non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali." Hæc sententia arrisit S. Alphonso.[1] Cæterum nemo non videt eam nonnisi in gravissimo discrimine adhibendam, ut mala graviora impediantur.

134. Quandoque licet alium objicere discrimini, eique occasionem peccandi præbere, gravem ob causam, scilicet ut virtus ejus exploretur, vel quæ studio occulit, detegantur vitia. Sic marito graviter suspicanti uxorem pravam fovere consuetudinem, licet aliquantulum domo abesse, et contra spem reverti, ut detegat rei veritatem. Mercatori etiam famulum furti suspicanti, licet pecuniam certo loco ponere, quo famuli fides innotescat. Numquam tamen licet aliquem ad peccandum solicitare; vel eum in iis rerum adjunctis constituere, in quibus certò peccaturus est, communi spectata fragilitate. Peccat idcirco qui mulierem suspicans esse minus pudicam, eam ad secum concumbendum invitat, quamvis absit animus eam consentientem excipiendi: vel qui juvenem cum puella cubiculo includit, ut virtutis ejus faciat periculum.

(1) L. ii. n. 57.

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE COOPERATIONE.

135. Cooperatio est operam alteri præstare; quod de rebus pravis theologi plerumque intelligunt. *Formalis* cooperatio est aliquid præstare, ex animo alterum in re prava adjuvandi: sicut fit ab amico alteri gratificari studente, et ejus consilia ad effectum perducere. *Materialis* cooperatio est operam aliquam præstare, qua alter in pravo consilio exequendo adjuvetur, animo tamen a re prava alieno. Formalis cooperatio semper vetita est, nam qui consilium impii adjuvat, ejus fit particeps. Sic servus qui ostium noctu sera munire negligit, ut ingredi valeat fur, sibi amicitia devinctus, ad surripiendum domini supellectilem, gravissime peccat. Materialis cooperatio aliquando licet, quando scilicet opera præstatur in re licita, et ex gravi admodum causa. "Semper autem est intrinsece mala illa actio, quæ ex se determinata est ad peccatum: uti esset, quærere domino concubinam, idola fabricare, et quid simile. Secus, si actio potest fieri, puta ministrare mensæ, aperire januam, &c."[1] Porro causa, ob quam operam alteri peccaturo quis præstat, debet esse tanto gravior, quanto actus magis influit in peccatum, et quanto crimen ipsum gravius est. "Cum tu præstas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad suum peccatum exequendum, non teneris nisi ex caritate illud impedire; et quia caritas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa, non peccas: tunc enim peccatum illius non provenit ex cooperatione tua, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur."[2]

136. Sponsa cum sponso contrahens excusatur a peccato, licet noverit eum in peccato versari; habet enim justam causam suam præstantis operam rei per se licitæ, imo sacræ; qua privari non debet ob alterius conditionem sua culpa inductam: sed non ita dicendum, si contractus ipse matrimonialis foret illicitus ob votum quo ligatus est sponsus; peccaret enim sponsa rei illicitæ operam præ-

(1) S. Alphonsus, l. ii. Tract iii. dub. iv. art. iii. n. 59.
(2) Ibidem, n. 63.

Digitized by Google

stando. Post nuptias autem bona fide cum viro, qui voto simplici castitatis obstrictus est, initas, non peccat uxor ei debitum petenti obtemperando, tenetur enim vi matrimonii, resque per se licet: nec potest peccatum ejus impedire absque gravi incommodo. Imo nec peccat petendo debito; habet enim jus, cui satisfacere potest maritus absque peccato.

137. Famuli consueta præstantes obsequia dominis non peccant, licet ea in peccatum ex dominorum malitia vertantur. Sic vinum ad mensam deferunt, quo convivæ inebrientur: nec enim famuli plerumque absque gravissimo incommodo recusare officium suum possunt. Non ita excusandi videntur si vinum ebrio propinent; nec etiam si afferant illud, quando facile possint domini voluntatem eludere. Famulus comitans domino eunti ad lupanar non excusatur, "si herus ex comitatu animosior reddatur;"[1] excusari autem videtur, si gravis damni metu, dominum sequatur, prout solet, eumque redeuntem expectet. Cæterum quum mos non sit in his provinciis, ut famuli per vicos sequantur dominos, hæc quæstio vix habet locum. Quæri autem potest utrum auriga possit aliquem vehere ad lupanar, sive ratione famulatus, sive mercede accepta. Videtur quidem posse; nec enim ejus est inquirere, quem ob finem eo se conferat, sed quo jusserit eum deferre. Id, spectatis moribus hujus regionis, videtur omnino dicendum.

138. Plane non licet famulo obtemperare domino jubenti ut quærat ei concubinam; res est enim per se mala; quod si jusserit ancillam in cubiculum mittere, videtur posse jussionem heri referre, etsi suspicetur, vel fere noverit, eam in malum finem arcessi, dummodo tamen ipsam periculi monuerit; jussa enim referendo, simplici famulatus officio fungitur. Non liceret autem eam ob pravum finem a domino declaratum advocare, quia manifestò foret res mala. Excusatur etiam famulus, qui, domino jubente, mulierem curru vehit ad domum, nihil interrogans de consilio quo venit: quod si omnino liqueat eam pravum ob finem venire, non videtur operam suam præstare posse, nisi grave alioquin detrimentum ipse passurus sit. Famulum non posse ad meretricem munera deferre, licet dominus jusserit, censet S. Alphonsus post P. Concinam, putans "hoc esse intrinsece malum, quia revera munera per se turpem amorem fovent."[2]

(1) S. Alphonsus, l. ii. n. 64. (2) Ibidem.

Digitized by Google

139. Damnata est ab Innocentio XI. propositio: "Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur."[1]

140. Utrum peccet ancilla ostium aperiendo meretrici, quæ ex condicto invisit dominum, vel viro quæ invisit mulierem pravum ob finem, quærunt theologi. Plerique censent eam excusari ratione famulatus: nec obstat damnata propositio, quæ de januæ apertione quæ absque ejus opera non fieret, ad stuprum patrandum, ex serie orationis intelligenda est. Cæterum excusanda non videtur ancilla, quæ noctu clam ostium aperit meretrici, vel adultero, nam ipso occultandi crimen studio ei favet: vel quæ alias aperit januam, quæ absque ejus opera vix aperiretur.

141. Utrum metu mortis, vel gravissimi damni, scala deferri possit stupraturo virginem, adhuc quæritur, nam longe minus detrimentum spectat propositio damnata. Censet S. Alphonsus metum mortis, non autem alterius damni gravissimi excusare;[2] stuprum enim adeo grave est facinus, ut nonnisi in extremo vitæ discrimine possit quis operam præstare, quæ patraturum adjuvet. Si autem ex condicto aliquis ad mulieris cubiculum ascendat, minoris mali metus videretur excusare famulum: quia non vis infertur invitæ. Docet S. Alphonsus "non licere scalam, vel claves tradere furi, nisi ob timorem mortis, vel infamiæ: tradere autem gladium occisuro numquam licet, quia non licet occidi innocentum, ut tu mortem vites."[3] Utrum ratione famulatus liceat ancillæ pharmacum dominæ comparare, potum parare, aquam calefaciendis pedibus, singulis mensibus, iis in rerum adjunctis in quibus dominæ consilium de conceptu impediendo, vel de extinguendo fœtu, satis liqueat, dubitari poterit. Equidem in plerisque ancilla non debet esse solicitior, quum res sint per se licitæ, et possint absque pravo fine usurpari. Quod si domina consilium suum declaret, vel si omnino sit manifestum, non debet ancilla absque gravissima ratione suam operam præbere, præsertim pharmaco emendo et parando.

142. Famulo numquam licet, jubente domino, scribere litteras amatorias ad concubinam, "quia formaliter concurrunt ad peccatum

(1) Prop. li. (2) L. ii. 66. (3) Ibidem.

Digitized by Google

domini, fovendo turpem ejus amorem." Litteras hujusmodi a domino scriptas non licet deferre, quia sic etiam fovetur turpis amor, famuli opera. Censendæ autem sunt turpes litteræ, quando de prava consuetudine constat. Sed si tantum sit hujus suspicio, famulus ratione officii excusatur; nec enim tenetur scrutari domini arcana, vel de occultis ejus peccatis judicare.

143. Caupones qui carnes præbent petentibus in diebus esurialibus, in his regionibus, videntur excusari; quum enim plerique sint acatholici, et plurimi haud baptizati sint, vel legibus ecclesiasticis non adstringuntur, vel eas saltem non agnoscunt; et proinde induci nequeunt ad eas servandas. Igitur nullo cum fructu, sed potius cum fidei catholicæ invidia, et gravi sui incommodo, denegarent illis caupones carnes. Nec videretur teneri ad eas denegandas catholicis, quum enim hi excusationes possint aliquando habere legitimas, et inviti nequeant ad leges Ecclesiæ servandas adstringi, suo relinquendi sunt arbitrio, et conscientiæ. Cæterum qui Catholicos paucos apud se habent convivas, pro more regionis, pretio quodam per singulas hebdomadas accepto, non debent carnes facile præbere diebus vetitis, quia privatis in domibus leges Ecclesiæ facilius servantur: nec occurrit plerumque gravis ratio cur aliis eas violaturis præstetur opera. Ideo non sunt excusandi qui carnes illis libere præbent omnibus diebus, solo excepto die Veneris; quum obligatio abstinendi, quandocumque ita ferat lex et disciplina hujus regionis, semper sit servanda. Facilius excusantur cibos alios, præter carnes, mane et vespere diebus jejunii in quibus esus carnium non indulgetur, iis apponentes; nam possunt habere excusationem a rigore jejunii ob laborem gravem, vel valetudinem haud firmam: ideo res tutò permittitur singulorum conscientiæ. Insuper maritorum indoles aspera nonnumquam facit ut uxores illis absque culpa parent carnes diebus vetitis: non enim hæ tenentur ad impediendum eorum peccatum cum tanto sui gravamine.

144. Caupones vinum, vel alium liquorem inebriaturis se vendentes, nonnisi metu mortis vel mutilationis excusat P. Concina: eos tamen habet excusatos S. Alphonsus "ob metum cujuscumque gravis damni, puta si alias notabiliter læderentur ex diminutione emptorum. Ratio, quia cum nullum eo casu grave damnum temporale obveniat ebriaturo, charitas non obligat cum gravi incommodo peccatum illius vitare."[1] Cæterum nullo modo licet cauponibus eos

(1) L. ii. n. 69.

Digitized by Google

ad ebrietatem provocare. Peccant etiam facile ratione scandali, quum ebrietatem, rixas, aliaque gravia mala foveant, præsertim diebus dominicis; et sectarii fidei catholicæ odium inde concipiant. In conviviis privatis propinantes vinum sese inebriaturis haud facile excusantur; multo minus qui eos ad haustus largiores provocant.[1]

145. Ea quæ proxime ad peccatum concurrunt, nonnisi gravissimam ob causam sunt facienda, metum scilicet tanti mali quod secundum leges charitatis nemo teneatur subire ad evitandum malum alterius: v: g: si alias occidendus esset. Compulsare campanam ad concionem hæreticam inter exempla ponitur, quod quidem numquam licere existimamus, quum sit invitationis instar. Quod si catholicus curam habeat curiæ, vel aulæ publicæ, in qua, juxta hujus regionis consuetudinem, præconibus cujusque sectæ, venia datur prædicandi, non debet ipse compulsare campanam; sed excusatur si alicui ex sectariis id permittat, quum penes ipsum non sit id impedire.

146. Ubi tolerantur meretrices, uti plerisque in civitatibus, ad majora mala vitanda, licet, juxta communem sententiam, domum iis locare, "maxime si alii conductores desint, nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam majorem darent peccatis." Ita Busembaum.[2] Cæterum considerandum quanto cum suorum discrimine id fiat.

147. "Excusantur a mortali, imo etiam a veniali, si causa adsit, artifices qui faciunt, aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene potest uti, licet plurimi abutantur, v: g: aleas, fucos, gladios. Ratio est, quia remote tantum ordinantur ad peccatum, et simpliciter impediri non possunt."[3] Sic excusari possunt vendentes cultros, tormenta bellica, et tela cætera. Sed si constet ea quæri ut mors alicui mox inferatur, censeo artificem teneri ex charitate ea non vendere, præsertim si aliàs haberi nequeant: in civitatibus autem ubi facile comparantur, non auderem damnare ea vendentem, nam cum sui detrimento frustra conaretur impedire eorum abusum.

(1) "If our guest makes himself drunk with the usual provisions which must be indistinctly ministered at feasts, that cannot be helped, but by refusing to receive such persons again to our table; but he that knowingly and observingly espies the meeting turn to God's dishonor, and does not put a limit to that sea of drink, and place a shore and a strand to the inundation, will find that God is departed from that meeting." Jer. Taylor, *Duct. Dub.* l. iv. c. i. vol. ii. 467.

(2) Apud S. Alphonsum, l. ii. n. 70. (3) Ibidem, n. 71.

Digitized by Google

148. Qui chartarum, et aleæ ludos in suis domibus habent, honestæ recreationis causa, vel modicæ etiam pecuniæ lucrandæ, pro ludentium conditione, non videntur culpandi. Secus qui ludos fovent, in quibus magna pecuniæ copia sorti objicitur, fraudesque fiunt cum fortunæ et morum jactura. Vitia fovere meritò censentur qui allectationes has apponunt. Sic et qui nimiæ potationi hac ratione præbent occasionem.

149. Licite venduntur ornatus puellæ iis abusuræ, "si venditor alioquin notabile patiatur incommodum," non enim tenetur cum tanto sui damno ejus impedire peccatum.

150. "Venena autem vendere, nisi iis qui bene usuri putantur: v. g. ad confectionem colorum, vel medicinam, non licet. Unde venditio veneni, quod non servit, nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala."[1] Sic nec licet vendere materiam incendii iis in rerum adjunctis in quibus illud ex malitia parari videatur.

151. Qui in potestate hostium versantur, licite omnia præstant quæ exiguntur ad imperium propugnandum; nec enim tenentur cum vitæ discrimine, et absque ulla patriæ utilitate, sua recusare officia. Possunt etiam juramento se imperio, cui casu, vel belli sorte, subjiciuntur, addicere, ex præsumpto reipublicæ consensu, quæ hanc eis facere facultatem, ut vitæ consulatur, meritò censetur.

152. Peccat puella acceptans munera ab amasio, qui turpiter eam concupiscit, quia fovet amorem."[2] Ea igitur reddere debet ancilla domino qui ea tribuisse noscitur pravo consilio: si enim ea retineat animosior fiet ipse ad eam solicitandam.

153. Licet, juxta communiorem sententiam, exigere juramentum a pejeraturo, si justa causa adsit, v: g: ut perjurio probato justitia vindicetur. Judex idcirco, juris ordine servato, juramentum meritò exigit, licet prævideat testem pejeraturum: sic et privatus jus suum prosequens in judicio. "Si verò res sit vera, et alter ignoret, vel sit falsa, et alter credat veram, non licet eum inducere ad juramentum."[3]

154. Ob necessitatem, vel magnam utilitatem, licet petere mutuum a fœneratore, oblata etiam usura, quum alias noscatur haud daturus. Cæterum qui usuras non exercet, non est alliciendus ad eas accipiendas, quum induceretur ad peccandum. "Qui adjuvat fœneratorem tantum in numerandis pecuniis, scribendis rationibus, aut in deferendo pignore, potest excusari a peccato sola ratione famulatus: secus

(1) Busembaum, apud S. Alphonsum, l. ii. n. 72.
(2) S. Alphonsus, ibidem, n. 76.
(3) Ibidem, n. 77.

Digitized by Google

verò si exigat usuras, quia exactio est co-operatio proximior ad peccatum usurarii, etiamsi amicabiliter agat. Quod si exigeret per vim aut minas, non solum peccaret, sed insuper teneretur ad restitutionem."[1] Scribæ apud mensarios non tenentur ad judicandum de eorum agendi ratione utrum justa sit; nec censentur efficaciter concurrere ad fraudem, si forsan adsit, quum nudum præstent ministerium juxta definitas regulas. Secus dicendum si ipsi aliis persuaderent chirographa vendere pretio injusto.

155. "Licet dare mutuum abusuro, si adsit causa, scilicet si aliter ille multum possit nocere."[2] Sic dari potest pecunia mutua prodigo, cui denegari nequit quin gravissimæ conflentur inimicitiæ.

156. Utrum liceat bibliopolis in hac regione libros omnes absque discrimine vendere quæritur. In regionibus in quibus vigent regulæ Indicis, constat bibliopolas non posse vetitos quoscumque libros tenere absque venia, vel eos iis vendere qui licentiam legendi haud impetrarunt. Sed ea est rerum conditio in qua versamur, ut pauci omnino libri e prelo prodeant, qui inter libros prohibitos non forent recensendi. Hinc catholicis ab officio bibliopolarum fere abstinendum foret, si regulæ illæ totam suam vim obtinerent. Dicendum igitur censeo libros omnino obscœnos et turpes nemini licere vendere: libros contra fidei catholicæ dogmata non esse vendendos, nisi iis qui justam habent causam emendi, nempe sacerdotibus, vel aliis qui refellendi causa eos quærunt. Quod si vendantur aliis quærentibus libri ab acatholicis scripti de religione, qui tamen fidei dogmata non impugnant, et nonnisi obiter continent hæresim, quales sunt introductio ad scripturam ab Hornio, libri de Trinitate a Bullio, non damnarem Catholicum bibliopolam, quum non adeo repugnent religioni ut per se vetiti videantur.

157. De aliis libris, qui licet ex professo contra fidem non agunt, plurima tamen continent rei catholicæ adversa, in rerum nostrarum conditione, peccati damnare non audeo eos qui passim vendunt, nam alias bibliopolæ muneri fere renuntiandum. Cæterum commendandi sunt vehementer catholici, qui emendatissimos tantum et probatissimos libros vendunt. Typographi qui e prelo edunt Biblia Protestantica, vel libros ex professo adversos fidei vel bonis moribus, non sunt excusandi, operam enim præstant erroribus divulgandis; sed qui prelo torquendo vacant, quin typos componant, non censentur nosse

(1) S. Alphonsus, l. ii. n. 78. (2) Ibidem.

Digitized by Google

quæ imprimuntur, ideoque in typographeo communi, ubi omnis generis libri eduntur, non tenentur ad discrimen faciendum: quum *materialem* tantum operam præstent. Nequeunt autem Catholici ulla ratione occupari circa typographea Protestantica quæ ex professo adversantur Religioni Catholicæ.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

DE SUSURRATIONE, ET IRRISIONE.

158. *Susurratio*, (metaphora sumpta a murmure aquarum,) ab Antoine definitur: "sermo, quo sine justa causa refertur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo." Intentio amicitiam dissolvendi maxime ostendit susurrationis malitiam: quod si animus hujusmodi absit, peccatum tamen admittitur, quoties ea temere narrantur quæ idonea sunt amicitiæ dissolvendæ. Non autem peccatur, si quis malorum consortium dirumpere tentet, vel periculum ab innocente amovere, ea referens quæ amicitiam pravam, vel plenam periculi, dissolvant.

159. Susurro in Scripturis vehementissime improbatur: "Non eris criminator, nec susurro in populo;"[1] "Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur;"[2] "Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes;[3] "Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus . . . . eum qui seminat inter fratres discordias."[4] "Susurrones" etiam recensentur inter eos qui "digni sunt mòrte."[5]

160. Charitati manifestò adversatur hoc vitium; quod eo gravius est, quo conjunctiores sunt et spectabiliores virtute, quos susurro divellere a se invicem conatur. Ut dignoscatur utrum lædatur justitia, videndum est quibus adminiculis susurro utatur: quod si detrahat, occulta delicta detegendo, utique justitiæ violatæ reus est. Finis quem sibi proponit sæpe auget malitiam susurrationis, vel novam inducit speciem. Aliquando suæ quis studet utilitati, cum proximi dispendio, munus ambiens, quo alter fruitur: aliquando vindictæ animo agitur, contumeliamque susurrando ulciscitur: aliquando domestica pace sublata, conjugii jura impune quærit violare.

161. *Irrisio*, seu derisus, est jocus de proximo, ut rubore perfundatur. Fit de defectibus naturalibus, quod quis sit claudus, vel de moribus, quod ebriosus sit; quandoque autem de virtutibus, quod sit

(1) Lev. xix. 16. (2) Eccl. xxi. 31. (3) Ibidem, xxviii. 15.
(4) Prov. vi. 19. (5) Rom. i. 29.

Digitized by Google

pius. Aliquando caret culpa, quando scilicet fit moderate, ut alter se emendet: v: g: ut quis concionando voces protrahere desinat; vel ut animi recreentur, speciali agendi loquendive ratione, quæ vitio vacat, relata. Sæpe irrisio vitiosa est, et peccatum ex genere suo gravius contumelia, nam quisque ægerrime fert se ludibrio haberi: "quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriose, illusor autem in ludum; et ita videtur esse major contemptus et dehonoratio. Et secundum hoc illusio est grave peccatum, et tanto gravius, quanto major reverentia debetur personæ quæ illuditur. Unde gravissimum est irridere Deum, et ea quæ Dei sunt; secundum illud Isaiæ xxxvii. 'Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem tuam?' et postea subditur. 'Ad sanctum Israel.' Deinde secundum locum tenet irrisio parentum; unde dicitur Proverb xxx. 'Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. Deinde justorum derisio gravis est, quia honor est virtutis præmium; et contra hoc dicitur Job xii. 'Deridetur justi simplicitas:' quæ quidem derisio valde nociva est, quia per hoc homines a bene agendo impediuntur:[1] secundum illud Gregorii: 'Qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis evellunt.'"[1]

(1) 2. 2. qu. lxxv. art. ii. *Resp.*

Digitized by Google

CAPUT IX.

DE JUDICIO TEMERARIO.

162. Pluries vetuit nos Christus Dominus ne proximos judicemus: "Nolite judicare, ut non judicemini."[1] S. Jacobus etiam dicit: "Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem."[2] Equidem hæc non ita accipienda sunt ut judicium vetetur in re manifesta; qui enim videt vel certò novit aliquem legem violare scienter, non potest eum habere innocentem. Nec judicium publica auctoritate prohibitum censendum est, nam quod olim jussit ipse Deus, ut constituerentur judices qui justum judicium proferrent,[3] in exemplum meritò deducitur, quo tribunalia, in quibus jus dicatur, sanciantur. Nec judicium de reis universe prohibetur, quod scilicet hæretici, pertinacia animi resistentes veritati, damnabuntur. Igitur Christi vetitum intelligendum est de rebus quæ dubitationem patiuntur, et de pœnis severioribus in reos decernendis privata auctoritate et animi proposito: quapropter ultionem minatur acrius judicantibus de levioribus aliorum culpis: "In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: et trabem in oculo tuo non vides?"[4] Peccat, igitur, qui leve alterius delictum grave habet; vel qui severiores pœnas delinquentibus vult irrogari, suæ infirmitatis immemor: et ideo etiam peccare censendus est, qui temere judicat alium esse reum. Equidem qui, levibus indiciis ductus, animo statuit alium grave admisisse delictum, charitatem, qua amplecti eum debet, plane violat: imo et justitiam, ut plurimi sentiunt, jus enim unusquisque habere videtur, ne quis eum æstimet pravum esse, nisi idonea dentur animi pravitatis indicia.

163. Quando quis judicat culpam levem esse mortalem, v: g: mendacium joco prolatum, est error judicii potius quam peccatum, nisi ex animi malignitate fiat, ut levi culpæ tantam velit inesse mali-

(1) Matt. vii. 1.
(2) Jacob iv. 11.
(3) Deut. xvi 18.
(4) Matt. vii. 2.

Digitized by Google

tiam. Facile autem fit ut de persona judicium fiat, ipseque censeatur in re levi graviter peccasse ex animi pravo affectu.

164. Opinionem aliquando esse peccatum mortale plures dicunt theologi; quum charitas vetet, ne quis male opinetur de alio, absque gravi indicio. Suspicio iniqua est etiam, juxta plures, grave peccatum, præsertim si respiciat immane facinus: v: g: homicidium, incestum. Unusquisque ægerrime ferret se tanti flagitii suspicione laborare, ideoque injuriam infert qui aliquem absque causa reum suspicatur. "Est autem," inquit S. Thomas, "triplex gradus suspicionis. Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat. Et hoc est veniale et leve peccatum. . . . Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis. Et hoc si sit de aliquo gravi est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. . . Tertius gradus est, cum aliquis judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum: et hoc directe ad injustitiam pertinet: unde est peccatum mortale."[1]

165 Dubitatio culpa non vacat, quando proximi probitas in quæstione temere ponitur: nam si externa indicia ei faveant, non est cur eam dubiam habeamus. Cæterum non facile peccatur graviter, quum plerumque aliqua sit dubitandi ratio, ob quam licet mentem ab ullo judicio efficiendo abstrahere. Sed si hominem probitate et pietate clarum, levi de causa dubiæ æstimem virtutis, injuriam ei facio gravem.

166. In actibus proximi interpretandis habenda est præ oculis regula quam Augustinus ex verbis Domini deducit: *Nolite judicare:* "Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur."[2] Cæterum id intelligendum, salvis prudentiæ regulis, nec enim temere judicat, qui ex consueta agendi ratione, vel ex indiciis externis animum agentis colligit. Sat est ut haud idoneis suppetentibus indiciis, animum inclinemus ad benignius de proximo sentiendum, quia "unusquisque naturaliter præsumitur bonus."[3] Cæterum licet caute se gerere, et nonnisi post certa argumenta probitatis alicui plene fidere. Si tamen quis benignius sentiendo et familiarius tractando, aliquando decipiatur, non id adeo dolendum est, judice S. Thoma:

(1) 2. 2. qu. lx. art. iii.
(2) L. ii. *de verbis Domini in monte*, c. xviii. n. 59. (3) Reg. Juris.

Digitized by Google

" melius est quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo."[1] Hoc interest discriminis inter res et homines, quod judiciorum veritas de rebus maxime quærenda sit, ne errore labamur; sed de hominibus benignius judicium plerumque ferendum sit ex charitatis affectu, ubi rei veritas non patet. " Aliud est judicare de rebus, et aliud de hominibus. In judicio enim in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipsius rei de qua judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipsa: sed attenditur ibi solum bonum judicantis, si vere judicet, vel malum, si falsò: quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius. . . . Et ideo unusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus judicet secundum quod sunt. Sed in judicio quo judicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum et malum ex parte ejus de quo judicatur: qui in hoc ipso honorabilis habetur, quod bonus judicatur; et contemptibilis, si judicetur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali judicio, quod hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat."[2]

167. Ut grave in judicio temerario sit peccatum, temeritas debet esse notabilis: si enim indicia suppetant gravia, licet non efficiant certitudinem, temeritatem judicii admodum minuunt. Sic non graviter peccatur judicando mulierem esse adulteram, quam quis vidit minus pudice agere cum aliquo occulte. A temeritate etiam excusatur, qui judicat aliquem esse ebrium, quem alias novit nimiæ potationi indulgere; consuetudo enim fundamentum præbet suspicandi eum ebrium esse, licet quis non debeat eum judicare reum, nisi indiciis manifestis.

168. Certum animi judicium, et voluntarium sit plerumque necesse est, ut grave sit peccatum: nam quæ menti obversantur cogitationes, suspicionesque plerumque caveri nequeunt, et assensu deficiente, non imputantur. Hinc pii homines angi non debent ob judicia quæ sibi videntur facere temeraria: nam vel suppetunt indicia fere certa, vel animi judicium plerumque non est pene voluntarium; ideoque gravis saltem abest culpa. Cæterum temporis mora non definitur judicii temeritas.

(1) 2. 2. qu. lx. art. iv. *Ad primum.*
(2) Ibidem. *Ad secundum.*

Digitized by Google

169. De re levi judicium temerarium levis est culpa. Si quis temere judicet mercatorem mentiri, ut suas efferat merces, nonnisi leviter peccat. Sed contingere potest ut res per se levis, gravis sit ob viri dignitatem, vel statum: ideo qui temere judicat episcopum mentiri in solemni asseveratione, gravis peccati reus est. Res e contra gravis potest levis videri quoad plebeculam, hominesque vilis conditionis, quorum mores sunt plerumque vitiosi. Sic si quis judicet nautam blasphemare, operarium ebrietati indulgere, mancipium furari, non erit facile peccati gravis arguendus. Ratione ætatis aliquando judicium a temeritate excusatur, v : g : si juvenem quis judicet impudicum. Sed si quis juvenem bonis moribus insignem, debilis tamen valetudinis, judicet vitio inquinari, et morbo laborare venereo, est procul dubio grave peccatum.

Plurima alia contra charitatem peccata prætermittimus; quibus pœnis Ecclesia puniat delinquentes mox explicaturi.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS XIV.

DE CENSURIS.

CAPUT I.

DE ECCLESIÆ POTESTATE JUDICIARIA.

§. I. De potestate judicandi.

1. Antequam de censuris agamus, præstat de judiciaria Ecclesiæ potestate pauca dicere; quum enim censurarum nomine intelligantur pœnæ medicinales ab Ecclesiæ præsulibus irrogatæ delinquentibus, potestas ipsa qua feruntur vindicanda est. Equidem Ecclesiæ inesse potestatem leges ferendi, aliàs probavimus: [1]hæc autem inanis foret, si pœnam aliquam irrogare non posset eas violantibus; deesset enim sanctio, quæ legi omni adnectatur necesse est. Potestatem etiam plectendi delicta, quæ in aliorum cedunt damnum, Ecclesiæ competere dubitare non poterit, qui rationem a Christo Domino præscriptam in prosequendis injuriis servandam seriò perpenderit. "Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: quæcumquè alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo."[1] Hic plane querelæ controversiæque inter

(1) Vol. i. Tract. iv. de Leg. Eccl. c. i. et v. (2) Matt. xviii. 15.

Digitized by Google

fratres ad Ecclesiam referuntur, quo vocabulo cœtus quidem sæpe intelligitur, sed ejus rectores plane designantur; ad Apostolos enim ea directa sunt verba, quibus Ecclesiæ sententia rata in cœlis habenda declaratur: qui mos præsidem cœtus nomine designandi apud nos etiam viget, curiæ enim nomine judex vocatur, et Ecclesiæ vocabulo Pontifex sæpe intelligitur. Quod autem Ecclesia adhuc non fuerit constituta ac disposita eo pacto quo tribunalis cujusdam formam præseferret, non obstat, nam vox ex ipso Judæorum usu, vel ad totius gentis cœtum, vel ad singularem conventum referebatur, qua ratione facilis erat intellectu; et præses, pro more, cœtus nomine designabatur. Igitur judicium præsulum de fratrum controversiis potest pœna summa sanciri; adeo ut e fidelium cœtu ejectus, instar ethnici habendus sit, qui ei obaudire detrectat.

2. Eandem potestatem sibi vindicavit Apostolus, qui quum se eos qui extra Ecclesiam sunt judicare non posse fateretur, auctoritatem judiciariam in eos qui intra sunt se habere ostendit: "Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?"[1] Minatus est etiam virga se in reos animadversurum: "Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?[2] Summa illa potestate usus est, Corinthio, qui incestum immanem admiserat, e gremio Ecclesiæ ejecto: "Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi."[3] Auctoritate Christi Domini reum damnavit Apostolus, et sublato sacrorum consortio, tamquam profanum habuit, eum Satanæ tradens, ut caro mœrore ob pœnam tabescens, anima pœnitentia ad salutem afficeretur.[4] Quod autem se una cum fidelibus convenientem hanc tulisse sententiam dicat, quam solus tamen tulit, fuit quia mentis cogitatione eos habuit præsentes rei testes et veluti auctores. Nec ad singularem aliquem casum suam arctavit potestatem, ait enim: "In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam:"[5] seque jure optimo de potestate sibi divinitus commissa gloriari posse ostendit:

(1) I. Cor. v. 12. (2) I. Cor. iv. 21. (3) I. Cor. v. 3.

(4) "It should seem that (as the most eminent commentators, ancient and modern are of opinion,) we have here plain vestiges of a formal excommunication." Bloomfield, *in locum.*

(5) II. Cor. x. 6.

Digitized by Google

"Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram."[1] Vera igitur Apostolis inerat potestas, ultione omne delictum contra legem Dei vel Ecclesiæ puniendi, quæ tamen in salutem reorum et in fidelium omnium utilitatem exercenda erat. Contumacium consortium et flagitiosorum lege generali vitandum statuit: "Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur."[2] De Hymenæo et Alexandro dicit: "quos tradidi Satanæ: ut discant non blasphemare:"[3] eosdem ob denegatam resurrectionem Ecclesiæ communione privans. Alexandrum ærarium jussit Timotheo devitare, eumque in errore pertinacem puniendum a Domino prædixit.[4] Liquet igitur Paulum veram potestatem puniendi hæreticos et flagitiosos exercuisse, iis ex Ecclesiæ gremio ejectis.

§. II. De judiciorum materia.

3. Causæ omnes fidei omnino subsunt Ecclesiæ judicio, uti liquet ex Pauli in Hymenæum sententia: sed et morum controversiæ, quæ jus spectant et legem divinam: nam docendi jus omnia, quæ Christus tradidit, amplectitur. Sacramentorum administratio commissa est Christi ministris, sunt quippe "mysteriorum Dei dispensatores:"[5] quorum est proinde omnes dirimere lites, quæ forte aliqua de eorum substantia, ritibusque qui in iis administrandis adhibendi sunt, oriantur. Ipse matrimonii contractus inter baptizatos in Nova Lege subest auctoritati Ecclesiæ; quum enim Christus Dominus eum dignitate sacramenti auxerit, ad eos spectat judices, quorum est conditiones, sub quibus ineatur, constituere, et leges, quibus regatur, ferre: quapropter controversiæ omnes de vi fœderis hujus ad ecclesiasticos judices referendæ sunt; ad quos etiam spectat judicare, quibus in rerum adjunctis divortium a thoro liceat. Hinc patres Tridentini statuerunt: "Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit."[6] Cæterum apud nos vix un-

(1) II. Cor. x. 8. (2) II. Thess. xiii. 14.
(3) I. Tim. i. 20. (4) II. Tim. iv. 15. (5) I. Cor. iv. 1.
(6) Sess. xxiv. Can. xii. *de mat.* "Causes matrimonial are now so peculiarly ecclesiastical, that the temporal courts will never interfere in controversies

Digitized by Google

quam episcopi judicium in hisce causis imploratur; sed cum magno morum detrimento controversiæ de vinculo matrimonii, et de divortiis coram publicis tribunalibus agitantur, singulis, quæ latere debent vitæ domesticæ negotiis in curia, et deinceps per ephemerides vulgatis.

4. Clericorum delicta, quæ in legem Dei vel Ecclesiæ admittuntur, jure divino præsulum subjacent judicio: quapropter Apostolus monuit Timotheum, qua servata cautela accusationes adversus presbyterum excipiendæ forent. "Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus."[1] Fidelium omnium palam contra divina mandata delinquentium, peccata publica correptione plectenda jussit: "Peccantes coram omnibus argue: ut et cæteri timorem habeant."[2] Omnes clericorum causæ, jure canonico et civili, episcopi judicio suberant, quod sapientissime et cum magna reipublicæ christianæ utilitate statutum erat, ut sacro ordini servaretur honor, et justitiæ consuleretur absque ejus detrimento. Civiles igitur lites iis intentatæ, sive a clericis aliis, sive a laicis, apud episcopi tribunal dirimebantur: et quæ contra leges civiles aliquando admissa sunt crimina, eidem examini subjacebant, pœna carceris, vel mulcta punienda: vel si forte gravius esset facinus, cui leges pœnam capitis decernebant, reus in episcopi judicio damnatus, spoliabatur privilegiis clericorum, ritu *degradationis* peracto, et civili potestati tradebatur morte puniendus.

5. Causæ in quibus *de beneficiis* agitur ad ecclesiasticos judices spectant: beneficia enim Ecclesiæ auctoritate constituta sunt, et jura tributa. Quando igitur lis aliqua de jure patronatus, vel de collatione beneficiorum vel alias de beneficiis oritur, ad tribunal episcopi omnino deferenda est. "Relatum est," inquit Alexander III. ad episcopos Anglos scribens, "quod nonnulli occasione laicæ recognitionis, non requisita episcopi audientia, beneficia ecclesiastica sibi præsumunt in parœciis vestris vindicare. Quoniam igitur hujusmodi personæ non intrant per ostium, sed aliunde conscendunt, ac per hoc indigni sunt pastoris nomine, vel prærogativa gaudere: mandamus, quatenus eos, si commoniti prædicta minime resignaverint, nisi epis-

of this kind, unless in some particular cases. As if the spiritual court do proceed to call a marriage in question after the death of either of the parties." Blackston. Comm. l. iii. n. 93. Non ita apud nos.

(1) I. Tim. v. 19. (2) Ibidem, 20.

(3) Cap. xxi. *de jure patronatus.*

Digitized by Google

copali concessione fuerint muniti, ab officio reddatis et beneficio alienos." §. 1. "Ad hoc quoniam quidam laici ecclesias possessionibus spoliant, ut sic viros ecclesiasticos faciant coram sæculari judice litigare, vobis injungimus, ut id publice sub interminatione curetis anathematis prohibere. Si quis autem prohibitionis vestræ contemptor extiterit, eum excommunicationi subdatis."[1] Quæ apud nos oriri possunt lites de ecclesiarum bonis, vel de pastorum juribus eadem ratione sunt episcopi judicio dirimendæ: ipsius enim est curare, ut bona serventur in usus, in quos a fidelibus destinata sunt, et jura sacra integra maneant.

6. Crimina pleraque contra fidem, religionem, morum sanctitatem ad ecclesiasticos deferebantur judices, iis in regionibus, in quibus, quum tota gens fidei et religionis vinculo colligaretur, civilis et ecclesiastica potestates amico fœdere jungebantur: hinc hæresis, blasphemia, simonia, sacrilegia, magia, et plura alia episcopo subjiciebantur;[1] qui mulcta, carcere, verberibus reos puniri jubebat, juxta ipsas legis civilis sanctiones; nullo autem in casu pœnam capitis decernebat, quæ a lenitate sacerdotii abhorret. Si quis autem crimen capitale patrasset, ab episcopi officialibus, postquam judicio damnatus erat, tradebatur brachio sæculari, civili scilicet auctoritati, cum commendatione, ut ei parceretur.

7. Fidelium omnium lites ex Apostoli Pauli auctoritate judicio ecclesiastico commendabantur dirimendæ: vehementer enim eos redarguit ethnicorum tribunalium adeuntes: "Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit: et hoc apud infideles."[2] Ad præsules ipsos referebantur hæ controversiæ ex vetustissima consuetudine, ipsis imperatoribus chris-

(1) Vestigia adhuc apud Anglos reperire est, apud quos curiæ sunt ecclesiasticæ: "which courts were established for the reformation of morals, and have an exclusive jurisdiction over the punishments of fornication, etc." Chitty's Blackstone. l. iii. n. 123. Note.

(2) I. Cor. vi. i.

Digitized by Google

tianis plenam vim in foro civili tribuentibus episcoporum judicio. Cæterum auctoritas ecclesiastica in plerisque regionibus, etiam Catholicis, jam intra arctissimos limites arctata est; et clerici ipsi in pluribus tribunalium civilium judicio permittuntur.[1] Ipsa S. Congregatio de Propaganda Fide decretum concilii provincialis Baltimorensis, de censuris, quas contrahunt deferentes ad civilia tribunalia causas, quæ ecclesiasticos judices spectant, mitigavit, et hosce intra terminos concludi jussit: "Cum grave fidelibus oriatur scandalum, et ecclesiastico ordini dedecus, dum causæ ecclesiasticæ ad civilia deducuntur tribunalia, hortamur omnes, quorum interest, ut controversias inter eos forte orituras de rebus, vel personis ecclesiasticis, amice componant, vel saltem judicio episcopi submittant. Quod si ecclesiastica vel religiosa utriusque sexus persona, aliam personam ecclesiasticam vel religiosam utriusque sexus, coram civili tribunali temere citaverit, de re juris stricte ecclesiastici, noverit se in censuras a jure latas incidere."[2]

Vindicata potestate Ecclesiæ judiciaria explicandus est ordo, quem in judiciis servari vult, ut justitia teneatur.

(1) Vide Concordatum initum inter Gregorium XVI. et Regem Sardiniæ; et inter ipsum et Ducem Magnum Etruriæ.

(2) Can. vi.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE JUDICIORUM ORDINE.

8. Judicia *ordinaria* dicuntur ea in quibus consuetæ formæ servantur: *summaria* vero, quæ fiunt omissis juris solemnitatibus, iisque tantum peractis, quæ ad veritatem cognoscendam requiruntur. *Criminalia* judicia versantur circa delicta: *civilia* controversias de bonis juribusque spectant. *Procurator*, seu *alieni juris vicarius*, civiles causas *actoris*, vel *rei* nomine, potest prosequi, si scripto fuerit delegatus:[1] non autem criminales. *Universitates*, scilicet cœtus quicumque, Procuratorem *syndici* nomine coguntur instituere,[2] qui in criminalibus judiciis etiam excipitur. Clericorum causæ omnes tum civiles tum criminales, nisi contra laicum actoris partes sustineant, ad ecclesiasticum forum pertinent jure canonico et civili.

9. Reus judicem certum sortitur ex quatuor præsertim causis, scilicet ex *domicilio*, ex *contractu*, ex *re sita*, ex *delicto*. Si domicilium non sit nativitatis locus, debet certo constare reum revera illud eo loci constituisse. Ex *contractu* certus judicii locus potest oriri; nam eo loci agendum est, quo initus est contractus. *Ex re sita* judex loci, in quo aliquis habet beneficium, vel rem aliquam, de qua agitur, auctoritatem suam exercet. *Ex delicto* oritur jurisdictio judici loci, in quo crimen fuit patratum, adeo ut alieno clerico in diœcesi aliqua delinquenti pœnas irrogare valeat loci illius episcopus. Si beneficii quod in sua diœcesi habet, privationem ferat sententia: "per episcopum, in cujus diœcesi deliquit, sententia promulgari poterit in eundem: sed ab eo, in cujus diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda."[3] Hæc præ oculis habenda sunt, nam, "extra territorium jus dicenti non paretur impune."[4] Religiosi in plerisque plerumque privilegiis eximuntur a judicis ordinarii auctoritate.

10. Actor, qui in judicium venit, *libello* debet breviter et clare exponere quæ petit;[3] ideoque si *conventionalis* sit, de re scilicet civili,

(1) Cap. i. de procur.
(2) Cap. vii. eod. tit.
(3) Cap, xiv. *de foro compet.*
(4) L. ult. ff. de jurisd. omn.
(5) Idem fere judiciorum ordo servatur in curia ecclesiastica apud Anglos. Vide Blackston. l. iii. n. 100.

Digitized by Google

debet referre nomen actoris, rei, atque judicis, rem petitam et causam petendi; si *accusatorius*, tempus locumque criminis exponat insuper necesse est.[1] Post libellum judici exhibitum dantur reo viginti dierum induciæ, ut respondeat. Responsione præstita, lis dicitur *contestata*. Certam aliquam libelli formulam leges Ecclesiæ non exigunt. Libelli solemnitas in causis summariis non est necessaria.

11. Præter libellum probationes exhibendæ sunt judici, quibus visis in jus vocat reum *citatione*, quæ si deficiat, irrita erunt acta.[2] Citatio *realis* dicitur, quando manus reo injiciuntur; *verbalis*, quando verbis, scripto scilicet, reus in jus vocatur. *Simplex* citatio contumaciam non inducit, nisi post intervalla, judicis arbitrio, ter fuerit repetita. *Peremptoria* iis verbis concipitur, ut reus debeat eam instar trium habere, judice minante se alias causam cogniturum. Hæc emittitur judicis ipsius æquo arbitrio.[3] Citatio reo demonstranda est in faciem, ut aiunt, si copia præsto sit; secus ad domum in qua solet commorari: "denunciationibus ad domum ejus missis."[4] Citationem factam nuncius in acta debet referre, die, loco, et modo adsignatis. In citatione actoris, rei, et judicis nomina, sicut et citationis causa, exprimenda sunt: locus etiam, nisi sit consuetus locus, in quo judex ordinarius habet tribunal: dies denique prudenti arbitrio judicis designatus, quo reus coram judice sistere se debet. Si contumaciam reus exhibeat, citatione negligenda, lis habetur *contestata*, absque ulla ejus responsione; ideoque judex testes, aliasque probationes rerum, quæ libello continentur, audit; quod plerumque ante responsionem rei non fit, nisi urgeat periculum amittendarum probationum, vel natura causæ id exigat.[5] Juramentum quod vocant calumniæ tam actori tam reo exhiberi potest, quo uterque pollicetur se nihil acturum judicii ullatenus vitiandi causa.[6] Qui illud præstare detrectat, causa cadit. Clerici etiam propositis Evangeliis juramentum illud cum episcopi venia emittunt.

12. Plena probatio habetur rei confessio coram judice, vel etiam extrajudicialis coram adversario, et testibus rogatis et idoneis.[7] Reo

(1) C. ult. *de lib. oblat.*
(2) Can. ii. et iv. cap. iii. qu. ix. Clem. ii. *de sent. et re judic.*
(3) Cap. xxiv. *de offic. et potest. delegat.*
(4) Cap. iii. *de dolo et contumacia.* (5) Cap. v. *ut lit. non contest.*
(6) Cap. ii. et ult. *de juram. calumn.* in 6.
(7) C. ult. *de confessis.* Novel xc. c. ii.

Digitized by Google

aliquando *positiones*, seu interrogationes proponuntur, quibus juratus respondere debet: confessione deficiente, adhibentur testes. Unius testis fides tuta nulla est, quantumvis ipse fide sit dignus.[1] Notario tamen testanti de iis, quæ sui officii sunt; episcopo etiam, litteras sigillo suo munitas danti; et parocho, scriptum testimonium de vita suorum præstanti, merito creditur. Duo saltem, vel tres testes plerumque probationem plenam efficiunt, si sint *omni exceptione majores*. In quibusdam tamen negotiis, ubi de personis dignitate conspicuis agitur, plures requiruntur arbitrio judicis. Ne accusationem quidem adversus presbyterum excipiendam sanxit Apostolus nisi duobus aut tribus testantibus: "Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus."[2] Testes, qui se subtrahunt, cogere non consuevit Ecclesia ad ferendum testimonium, nisi alia desit probatio: tunc enim suspensionis minis clerici, excommunicationis metu laici impelli possunt.[3] Testes jurati loqui debent, exceptis episcopis, quibus fide sua præstita, propositis Evangeliis, creditur.[4] *Singulares* testes, de diversis scilicet et singularibus actibus, non sunt admittendi, quia tunc singuli actus probantur unius tantum testimonio.[5] *Auriti* testes, qui rem ex aliorum relatione, aut fama communi norunt, non excipiuntur, nisi agatur de re, quæ hominum memoriam superat, vel de consanguinitate, aliave re quæ oculatis testibus probari nullatenus potest.[6] Furiosi, amentes, impuberes, servi, perjuri, infames, testes esse nequeunt. In gravioribus tamen criminibus læsæ majestatis, et simoniæ, infames testimonium ferunt; sicut et mulieres, quæ plerumque in causis criminalibus testari nequeunt. Patronus et advocatus non possunt testari in causa, quam defendunt, nec judex in causa, quam judicat; nec aliquis in propria causa.[7] *Pro certis personis* ferre testimonium nequeunt, qui sunt de domo, seu familia, nisi sint spectatæ probitatis, vel nisi in controversiam venit, quod alias probari non potest: v: g: si quæratur de cognatione, legitimis natalibus, ætate. Nec eorum excipiendum est testimonium, quorum judicium illud interest.[8] Clerici in causis profanis non debent testari, absque episcopi venia. *Adversus*

(1) C. x. et xxviii. *de testibus.*
(2) I. Tim. v. 19.
(3) Cap. i. ii. iii. v. ix. *de testibus cogendis.*
(4) Novel. cxxiii. 7.
(5) Cap. xxxiii. *de testibus.* cap. ix. *de probat.*
(6) Cap. v. xxvii. et xlvii. *de testibus.* cap. xiii. *de probat.*
(7) Can. xxxviii. c. ii. qu. vi. can. i. et i. c. iv. qu. iv. L. ix. Cod. *de testibus*
(8) L. i. cod. *de testibus.* L. 3. ff. *de testibus.* cap. x. xx. xxiv. *de testibus.*

Digitized by Google

certas personas quidam testari non possunt: reus nequit testari contra socios criminis,[1] nisi in criminibus hæresis, simoniæ, et læsæ majestatis; inimicus nequit testari contra inimicum, libertus contra patronum, filius contra patrem, et pater contra filium, exceptis causis matrimonialibus; ethnicus, Judæus, imo juxta juris sanctiones hæreticus contra orthodoxos.[2] Testes omnes coram adversario interrogandi sunt.[3] Testes ab actore prolatos refellere potest reus, aliis productis testibus; quos actori licet etiam refellere, et in eum finem novos testes producere. Hic testium productio plerumque consistit, nisi aliud judici videatur.[4] Post testium examen acta exhibenda sunt litigantibus, ut si quid habeant objiciendum exponant.

13. Instrumenta etiam, scripturæ scilicet sive publicæ, sive privatæ, inter probationes recensentur. Publica instrumenta confecta publica auctoritate, sigillove munita Principis, episcopi, Universitatis, itemque libri parochorum, in quibus baptismata, matrimonia, et funera describuntur, plenam probationem efficiunt, dummodo autographa producantur.[5] Fidem tamen iis detrahunt testes plures exceptione majores, si, quod iis continetur, falsum evidenter demonstrent.[6] Si inter se pugnent, vel abrasa sint loco suspecto, vel ita impeditæ sint lectionis ut legi vel intelligi nequeant, instrumenta etiam publica fidem non obtinent.[7] Privata scriptura tribus munita testibus vim habet publici instrumenti.[8] Item libri mercatorum tum pro se, tum contra se probant. Cætera scripta absque testibus confecta contra scribentem probant, si causa debiti sit expressa: contra alios nil probant. Liberatoria confessio, etsi nulla adjiciatur causa, contra scribentem vim obtinet.[9]

14. *Præsumptiones*, seu conjecturæ ex aliquo verisimili ductæ, probationis vim aliquando obtinent, certis probationibus deficientibus. Præsumptio aliqua dicitur *juris*, et *de jure*, quæ scilicet lege definitur, adeo ut contrariam omnem probationem excludat: sic olim matrimonium præsumebatur in iis, qui post sponsalia concubuerunt. *Præsumptio juris* cedit contrariæ probationi. Sic quamvis lex præsumat hæredem, qui inventarium non confecit, hæreditatem dis-

(1) Cap. i. *de confessis*. c. x. *de testibus*.
(2) Cap. xxxii. *de simonia*.
(3) Can xxiv. et xxvi. c. ii. qu. vii.
(4) Cap. ii. *de testibus*.
(5) Cap. xv. xxxvi. xlix. lv. *de testibus*.
(6) Cap. i. et xvi. *de fide instrum*.
(7) C. x. eod tit.
(8) Cap. iii. et vl. eod. tit.
(9) L. xi. Cod. *qui potior. in pign. hab.*
(10) L. xxv. §. ult. ff. *de probat*. c. xiv. *de fide instrum*. L. xl. ff. *de pactis*.

Digitized by Google

traxisse, ipsi tamen licet, certis adductis probationibus, præsumptionem illam excludere: quapropter hæc *præsumptio cedit facto*. *Præsumptio hominis* est conjectura nullo jure definita, sed ex arbitrio judicis pendens; et est *levis*, vel *vehemens*, prout levi vel gravi nititur fundamento. Violenta præsumptio copulæ carnalis habetur, si quem videris solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem.[1] Levis e contra si eos in loco quodam familiarius colloquentes conspexeris. In criminalibus causis vix admittendæ sunt vehementes etiam præsumptiones.[2]

15. *Exceptiones* dicuntur actus rei, quibus actionem excludit. *Peremptoriæ litis finitæ* audiunt, quæ litem jam compositam ostendunt: cæteræ *simpliciter peremptoriæ* nuncupantur. *Dilatoriæ* etiam exceptiones aliquando proferuntur, quibus scilicet reus queritur libellum esse ineptum, vel tempus solutionis non advenisse. Actori *replicationes* permittuntur.[3] Ex exceptionibus nascuntur sæpe causæ *præjudiciales*, *incidentes*, aut *præparatoriæ*, quæ plerumque definiendæ sunt, antequam ad causam præcipuam procedatur. In civilibus reus potest *mutuam petitionem* instituere, scilicet libello petere aliquid sibi ab actore debitum. In criminalibus nulla datur *reconventio* hujusmodi, quoniam "innocentia, non relatione criminum reus purgatur."[4] *Dilationes* etiam dari possunt justa ex causa arbitrio æquo judicis, ad adducendos testes, proferenda instrumenta, aliaque ad judicium necessaria.[5] Dantur autem, judice pro tribunali sedente; iis exceptis, quas jus ipsum præstat.[6]

16. *Sententia*, qua controversia dirimitur, a judice, causa cognita, ferenda est. *Interloquutoria* est, si incidentem quæstionem respiciat: *Definitiva*, si principalem causam determinet. Ab interloquutoria sententia appellare non licet, nisi a "definitivæ vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat."[7] Sententia a judice pro tribunali sedente scripto est palam ferenda.[8] In summariis judiciis, nulla est sedendi necessitas. In sententiis interloquutoriis, et in causis brevioribus scriptura a

(1) Cap. xii. *de præsumpt.* (2) Cap. xiv. eod. tit.
(3) L. et Cod. *de except.* (4) L. v. ff. *de publ. jud.*
(5) Cap. xxiv. *de offic. et potest. deleg.*
(6) Cap. i. et iv. *de dilat.* can. ult. cap. iii. qu. iii.
(7) Sess. xxiv. cap. xx. *de Ref.* (8) Cap. v. *de sent. et re judic.* in 6.

Digitized by Google

judice impune omittitur, notario tantum sententias scripto mandante. Sententia recitari debet a judice vel notario coram litigantibus; vel saltem in peculiari libro a notario describi. Si juri expresso repugnet, nulla est:[1] si juri tantum litigantis adversetur, per appellationem potest suspendi, intra decem dies; quibus elapsis, nulla appellatione interposita, transit in *rem judicatam*, et controversiæ finis imponitur.[2] Sententiæ autem, quæ spectant vim matrimonii; vel quæ feruntur a judice excommunicato, vel incompetente; vel contra jus expressum, vel contra priorem rem judicatam; vel neglecto juris ordine; vel ex falsis testibus et instrumentis; vel quæ rite publicatæ non sunt; vel quæ dictæ sunt a judice pecunia corrupto; vel sententiæ criminales reos pœna, quæ reparari nequit, afficientes; nunquam rei judicatæ vim obtinent.[3] Sententia *executioni* mandanda est intra tempus a judice constitutum.

17. *Appellatio* est provocatio a Judice inferiore ad superiorem, ut quod inique gestum est, emendetur. *Judicialis* dicitur, si a sententia actuque judicii provocetur: *extrajudicialis*, si respiciat gravamen aliquod extra judicium illatum: v: g: electionem. A definitiva sententia viva voce statim provocare licet; vel scripto, si dierum intervallum post sententiam prolatam intercesserit; etiam nulla appellandi causa expressa.[4] In appellationibus ab interloquutoria sententia, causæ appellandi exprimendæ sunt; quibus, auditis potest judex appellationis causam, sententia mutata, tollere: quod tamen si definitivam tulerit sententiam, non potest. Sententiæ per se nullæ absque appellatione tolluntur; vel, ut dicitur, circumscribuntur, si irritæ Superiori judici demonstrentur. Qui sententiam quoquo modo probarunt; vel se non appellaturos jurati promiserunt; qui testibus et argumentis convicti crimen confessi sunt; qui ob veram contumaciam damnati sunt; denique illi, contra quos tres conformes sententiæ latæ sunt, frustra provocant.[5] Similiter non datur appellatio in manifestis; in judiciis remota appellatione actis; in causis disciplinæ et emendationis morum, nisi ea res præter modum acta sit. Interposita appellatione, dantur litteræ a judice, a quo appellatum est ad eum, qui appellatur. Litteræ hæ *Apostoli*, silicet dimissoriæ vo-

(1) C. i. *de sent. et re judic.*
(2) L. i. ff. *de re judic.* cap. xiii. *de sent. et re judicat.*
(3) Cap. x. xi. xxiv. *de sent. et re judicat.*
(3) L. ii. ff. *de appell.* (4) Devoti L. iii. Inst. can. tit. xv. §. vii.

Digitized by Google

cantur, quæ tamen hodie non adhibentur. Causa committenda est judici appellato intra annum; et gesta in priori judicio ex actis publicis et authenticis referenda sunt, et exhibenda intra alterum annum; ut infra biennium res tota expediatur. Vim sententiæ appellatio plerumque suspendit; sed si de censuris irrogatis, vel de emendatione morum, aliisque nonnullis causis agatur, sententia exeeutioni mandatur; et appellatio vim habet remedium postea impetrandi: habet, scilicet, ut aiunt, *devolutivum*, non *suspensivum* effectum.[1]

18. A sententiis Vicariorum Generalium ad episcopos nulla datur appellatio, ipsi enim unum tribunal cum episcopo constituunt. Ab episcoporum sententiis appellantur Metropolitæ: a Metropolitarum judiciis confugitur ad Patriarchas: ultima provocatio fit ad Pontificem Supremum. Quum ipse etiam patriarchali jure in Occidente fungatur, statim a Metropolitæ sententia appellatur. Potest quidem Pontifex appellationem ab episcopi judicio, omisso Metropolita, suscipere; quod tamen non consuevit; nec expedit; nam ordo servandus est. Appellationum ad Sedem Apostolicam antiquissima sunt exempla: anno scilicet 252, Fortunatus aliique Africanæ Ecclesiæ presbyteri; anno autem 262, Basilides Asturicensis, et Martialis Emeritensis episcopus Papam appellarunt. Jus appellationis non impugnat Cyprianus, quamvis obreptionem appellantis reprehendat.[2] Qui appellationis beneficio ob tempus elapsum aliamve causam uti non potest, *restitutionem in integrum* aliquando petit, quæ intra juris limites conceditur a judice Superiori, v: g: Metropolita; extra vero hos terminos a Pontifice. Restitutus autem potest actionem prosequi more appellantium.[3]

19. Quæ de judiciorum ordine diximus vix apud nos aliam habent utilitatem, quam ut sciatur quanto studio Ecclesia justitiæ administrandæ consuluerit, ubi ei per civilem potestatem licuerit judicia solemni ritu habere: quod sibi exemplar proposuisse indubium est qui judiciorum ordinem apud Anglos statuerunt, veluti jure communi innixi. Cæterum optandum ut inhæreant episcopi ordini juris, quatenus per rerum adjuncta liceat; ex eo enim quod pleraque dirimantur a stante pede in uno, ut habet proverbium, facile contingit error, præsertim in his quæ matrimoniorum valorem spectant: et

(1) Const. Bened. xiv. quæ incipit: *Romanæ Curiæ.*
(2) Ep. lxviii. ed. Balutii, Ven. 1728.
(3) Cap. iv. *de restit.* L. ii. ff. *de rest. in integ.*

Digitized by Google

sententiæ in clericos prolatæ absque judicii forma facile ad invidiam apud populum trahuntur. Procul dubio sententiæ majorem obtinebunt reverentiam quo res maturius investigata fuerit, adsidentibus episcopo Vicario ejus Generali, Secretario, aliisve sacerdotibus ætate et judicio gravibus, et data reo copia vindiciarum.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE CENSURIS.

§. I. Quid sit censura.

20. Pœnis aliquibus temporalibus mitioribus mulcta scilicet, verberibus, carcere, episcopos olim plexisse reos ex legum auctoritate, constat: quæ autem sui muneris sunt propriæ, et in omni temporum regionumque varietate irrogari possunt, designantur censuræ, a Romanis mutuata voce, apud quos censor moribus invigilabat; et in reos animadvertebat, dejicientes gradu, qui aliquid eo indignum admiserant.

21. *Censura*, apud theologos et juris canonici peritos, intelligitur pœna ecclesiastica medicinalis, privans hominem baptizatum, delinquentem et contumacem bonis quibusdam spiritualibus dispensationi Ecclesiæ commissis, donec a contumacia recedens veniam impetret. Pœnæ instar est, ideoque non contrahitur, quoties culpa deest: quapropter censura ebrietati adnexa non ligaretur, qui potu vehementiori ex errore ebrius fieret. Ab ecclesiastica tantum potestate procedit, a rectoribus scilicet Ecclesiæ, qui jus ligandi, sicut et solvendi, a Christo Domino acceperunt. In animæ tamen remedium censura irrogatur;[1] potestatem enim dedit Dominus in ædificationem, non in destructionem.[2] Privat bonis spiritualibus, quatenus externo regimini subjacent, scilicet Ecclesiæ suffragiis, jurisdictione spirituali, sacrificio, sacramentis; non autem animæ donis, gratia scilicet, ordinis potestate, aliisque hujusmodi. Præter primarium censuræ effectum, temporalia nonnulla incommoda aliquando consequuntur, v: g: quod clericus careat beneficii redditibus, vel quod laicus, excommunicatione percussus, fidelium, eum tamquam ethnicum et publicanum aversantium, consortio amico privetur. Inde fit persæpe, ut ad bonam frugem peccator se recipiat.

22. Censura in excommunicationem, suspensionem, et interdic-

(1) Cap. i. de sent. excomm. in 6. (2) II. Cor. x. 8.

Digitized by Google

tum dividitur.[1] *A jure* dicitur lata, quoties fertur canone quodam generali, vel statuto perpetuo, sive a summis Pontificibus, sive a quolibet episcopo. *Ab homine* censura est, quæ fertur instar præcepti uni, vel pluribus impositi, vel sententiæ judiciariæ. Quæ continentur jure canonico, vel pontificum decretis extra corpus juris, vel statutis diœcesanis censuræ, a jure sunt: quam fert episcopus in reum singularem ab homine est. Censuræ a jure non cessant, moriente legislatore: cessant autem quæ ab homine prodierunt præcepta specialia cum censuris: sed qui jam contraxit censuram, indiget absolutione a successore, vel ejus superiore. Censura *latæ sententiæ* est ea, quæ ipso facto contrahitur, delicto patrato, adeo ut opus non sit judicis sententia, nisi forsan ad factum declarandum: censura *ferendæ sententiæ* est comminationis instar, quæ nonnisi post judicis sententiam contrahitur. Attendenda sunt verba legis. *Ipso facto, ipso jure, ex tunc, ex nunc, statim, illico, continuo, confestim, mox, protinus, latæ sententiæ*, voces sunt, quæ plane denotant sententiam latam; sicut et hæ dicendi rationes: *excommunicamus, suspenduntur, interdicuntur*: vel *excommunicatus est; volumus esse excommunicatum, suspensum; noverit se excommunicatum, suspensum*. Sic et verba imperandi, quæ actionem judicis non postulant: v: g: *subjaceat excommunicationi, incidat in excommunicationem, maneat suspensus, interdictus: habeatur pro excommunicato. Sit excommunicatus, suspensus.* Secus si judicis actionem verba insinuent, v: g: *excommunicetur, suspendatur, ab ecclesiæ ingressu arceatur, decernimus excommunicandum, suspendendum etc.* "at si absolute modo imperativo profertur, censura dicenda est latæ sententiæ."[2] Verba futuri temporis sententiam ferendam significant: *excommunicabitur, suspendetur*. Comminatio plerumque eodem recidit: *sub pœna excommunicationis, suspensionis, sub interminatione anathematis:* aliquando tamen ea adjiciuntur, quæ sententiam latam ostendunt: v. gr. *sub pœna excommunicationis statim incurrendæ*, vel *cui statim, confestim omnino subjaceat*.[3] Quoties dubitatur, utrum censura sit lata vel ferenda, benignior interpretatio vincere debet, juxta juris regulam: "in pœnis benignior est interpretatio facienda:"[4] sed et usus attendendus est.

(1) C. xx. *de verbor. signif.*

(2) Vide apud Antoine, ex quo pleraque hæc. descripsimus, Tract. *de censuris*, c. i.

(3) S. Alphonsus, l. vii, n. 8. (4) Reg. xlv. in 6.

Digitized by Google

Interdictum et suspensio jure lata non contrahuntur ab episcopis, nisi de iis mentio fiat expressa.[1]

§. II. Quæ sit censuræ materia.

23. Ad contrahendam censuram requiritur plerumque culpa mortalis, externa, ex contumacia admissa contra præceptum ecclesiasticum. Equidem quum censura gravis sit pœna, qua scilicet homo magnis privatur bonis spiritualibus, nonnisi ob gravem culpam contrahitur. Contingit quidem aliquando quemdam a munere prædicandi, vel audiendi confessiones, ab episcopo retrahi, nulla prævia culpa, sed ex eo quod muneri idoneus non sit, cui tamen nulla irrogatur censura: prohibitio enim potius dicenda est. Est etiam quædam censura minor, excommunicatio minor dicta, quæ contrahitur, juxta plerosque, ob culpam venialem, colloquii scilicet cum excommunicato. Item "suspensio aut interdictum ad breve tempus, et privans aliquo tantum usu bonorum spiritualium ob levem culpam ferri potest;"[2] sed de censura gravi quæstio nunc est.

24. Externi tantum actus subjacent censuræ, cordis enim arcana Deo soli patent, neque ad regimen Ecclesiæ pertinet potestas ea moderandi et puniendi. Sicut igitur non judicat de occultis,[3] nec ea pœnis plectere censenda est. Actus debet esse completus ac perfectus in sua specie morali, ut censura habeatur contracta; nec enim animi consilium, nec tentamen, sed ipse actus, qualem legis verba describunt, pœnam secum trahit. Sic censura ob incestum lata copulam consummatam sequitur, non item attentatam. Sed licet legislatori ipsum tentamen, si ita visum fuerit, sub pœna illa prohibere, vel actum aliquem externum, quamvis ab opere completo omnino remotum. Sic plerique theologi excommunicationem latam in absolventem complicem in peccato aliquo turpi contra sextum præceptum, interpretantur de quocumque externo actu v: g: de osculo minus pudico. Sic et excommunicationi subjacet mandans aliquem christianorum occidi per sicarios, quamvis mors non fuerit secuta.[4] Nec requiritur, ut actus innotescat, nam hæresis prolata scripto, quod vulgatum non est, vel voce, intra domesticos parietes, nemine adstante, excommunicatione punitur; quum enim aliquo pacto prodie-

(1) C. Quia periculosum, *de sent. excom.* in 6. (2) S. Alph. l. vii. n. 30.
(3) C. xxxiii. *de simonia.* (4) Cap. i. *de homicid.* in 6.

Digitized by Google

rit, obnoxia est potestati Ecclesiæ, et reapse diffundi posset cum magno animarum damno. Si verba legis auctorem criminis respiciant, non sunt a patrante illud ad alios qui forsan eum consiliis et hortamentis impulerint, extendenda; nisi lex eos etiam verbis perspicuis complectatur.

25. Contumacia in auctoritatem ecclesiasticam necessaria est, ut quis censura irretiatur; nam Ecclesiæ pœnæ eam spernentibus irrogantur juxta illud Christi: "Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus."[1] Hinc gravissima scelera, quibus adnexa est censura, admittentes, qui Ecclesiæ vetitum ignorant, non eam contrahunt. Qui sciunt prohibitionem, sed ignorant censuram adnecti, eam contrahunt juxta aliquos, quia revera spernunt auctoritatem Ecclesiæ: alii tamen censent eos non esse contumaces, quoties non norunt id graviter vetitum sub censura.[2] Ob scelera omnino præterita, quantumvis enormia, ferri non potest censura, quum sit in animæ remedium, potius quam vindictæ causa; sed si criminis effectus permaneat, nonnisi censura tollendus, fertur hæc aliquando, v: g: ut publicæ offensioni reus cogatur obviam ire, vel damnum illatum reparare. De culpis futuris censuræ ab homine ferendæ non sunt.[3] Degradatio autem et depositio, quæ in pœnam decernuntur, non sunt censuræ. Cessatio a divinis pariter censuris non est accensenda: est enim potius mœroris indicium ob injuriam Ecclesiæ factam. Excommunicatio et suspensio aliquando latiori sensu usurpantur pro separatione ab altari etc. ad tempus, quæ ob præteritum crimen decernitur.

26. Propria cujusque culpa ad excommunicationem contrahendam exigitur, gravissima quippe est pœna. Censuræ minores, interdictum scilicet et suspensio, aliquando irrogantur cœtui ob aliquorum, præsertim qui primores sunt, noxam, ut omnium pœna et mœrore noxii ad bonam frugem redeant: "Suspensio," inquit S. Thomas, "non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati: unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut et totum regnum ponitur sub interdicto pro peccato regis."[4]

(1) Matt. xviii. 17. (2) Laymann, de censuris, l. i. tract. v. c. v. n. 8.
(3) C. v. de sent. excom. in 6.
(4) In addit. qu. xxii. art. iii. *ad secundum.*

Digitized by Google

§. III. Quid a censura excuset.

27. A censura gravi excusat quidquid a peccato mortali eximit: v: g: quod quis animum non satis adverterit, vel quod res per se levis sit. Sic et quoties præceptum ecclesiasticum desinit ligare ob maximam difficultatem, actus censura vacat, licet lex eam intentet. Qui metu mortis a prodendis sociis deterretur, censura non ligatur in eos lata, qui criminis auctores neglexerint denuntiare. Sed quum in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ nunquam liceat agere, censura contraheretur, si metu etiam mortis quis communicaret cum excommunicato vitando in rebus divinis, iis in rerum adjunctis, in quibus contemnere videretur auctoritatem, qua censura lata est. Dicit insuper Laymann[1] metum qui, non excusat a peccato mortali, excusare aliquando a censura, quia tollit contumaciam ac contemptum. Sic qui metu mortis contrahere matrimonium cum consanguinea attentat, et illud consummare, graviter peccat, sed a censura videtur immunis, nec enim sprevit auctoritatem Ecclesiæ.[2]

28. Ignorantia legis ecclesiasticæ excusat, juxta Bonifacii VIII. decretum: "Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina."[3] Si censura lata sit contra eos, qui temerario ausu, vel scienter, quid fecerint, omnis ignorantia, quæ non fuerit affectata, excusare videtur. De censuris autem, quæ lege pontificia, vel canone generali feruntur, non idem plerisque dicendum videtur, hac enim contrahi censentur ab omnibus, qui Ecclesiæ vetitum norunt, licet censuram ei adnexam ignoraverint. Discriminis ratio in eo reperitur, quod canones generales, utpote pauciores et maturiori judicio lati, executioni demandandi sint, et pœnis idcirco sanciendi, præ statutis singulorum præsulum. Equidem Pontifex censetur veteri derogasse juri illo quod de sententiis ordinariorum edidit decreto, quod proinde ultra manifestam verborum vim non est extendendum. Cæterum quum theologi multi contra sentiant, lis sub judice est.[4]

(1) De *Censuris*, l. i. tract. v. c. v. n. 9.
(2) Suarez, l. iii. *de legibus*, c. xxx. n. 14.
(3) Cap. ii. *de constitut.* in 6.
(4) Laymann negat discrimen, *loco supra citato*, n. 10.

Digitized by Google

§. IV. Qui possint ferre censuras.

29. Censuras ferendi potestas est penes Ecclesiæ rectores, qui vice Christi solvendo et ligando funguntur: "Nemo," inquit Chrysostomus, "contemnat vincula ecclesiastica: non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem fecit."[1] Summus Pontifex imprimis, Petri tenens locum, ligare valet quoslibet fideles quolibet munere auctos per orbem terrarum; nam, ut ait Gelasius, "cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi."[2] Concilia Generalia, in quibus episcoporum cœtui Pontifex præest, saltem per Legatos, anathemate feriunt hæreticos et contumaces quoscumque. Concilia inferiora censuras valent irrogare iis, qui intra provincias, quas repræsentant, degunt. Patriarchæ olim omnem ditionem suam plena potestate regebant, summo Pontifici servato honore jureque præcipuo; poterantque idcirco ferre censuras ubique per suam diœcesim, quo nomine olim veniebant plures provinciæ, vim obtenturas. Metropolitæ jam intra suæ diœcesis limites fere continentur, nullamque censuram, qua suffraganeorum suorum subditi ligentur, nisi in concilio provinciali, ex episcoporum assensu, ferre valent; episcopi quoque singuli nequeunt censuras ferre, quæ extra suum territorium valent. Vicarii episcopi eodem jure censuras proferunt. Ordinum Superiores generales, provinciales et locales, juxta constitutiones speciales, ligare valent subditos suos ubique terrarum. Capitulum ecclesiæ cathedralis, sede vacante, per Vicarium Capitularem, et congregationes religionum censuras ferre possunt. Parochi non habent ullam auctoritatem censuras ferendi, carent enim jurisdictione in foro externo; quod de missionariis sacerdotibusque cæteris eo magis dicendum est. Delegari potest potestas hæc ab eo qui habet potestatem ordinariam clerico cuicumque, etiam sola tonsura initiato; sed nequit laico communicari, nisi a Summo Pontifice. Feminæ nequeunt ullatenus eam exercere. Quod in jure Abbatissa dicatur posse suspendere clericos sibi subjectos, intelligitur de prohibitione celebrandi, quæ censuræ vim non habet, et redditum subtractione.[3] Cæterum Summum Pontificem posse committere aliquam hujusmodi potesta-

(1) Hom. iv. in ep. ad Hebr. (2) C. xvi. ii. qu. 3.
(3) C. Dilecta, *de majorit. et obedientia.*

Digitized by Google

tem feminæ censent nonnulli juris canonici periti,[1] dicente S. Thoma: "mulier nec ordinis nec jurisdictionis clavem habet; committitur autem ei aliquis clavium usus."[2]

§. V. Qui possint censura affici.

30. Censuræ in vivos tantum feruntur, nam Ecclesiæ in subditos potestas ultra hanc vitam haud extenditur.[3] Attamen aliquando anathema dictum est defunctis; quorum hæreses post eorum mortem innotuerunt:[4] quod tamen censuræ rationem non habuit, sed odio hæresis latum est. Sic absolvuntur aliquando mortui, haud animis a vinculis solvendis, sed precum Ecclesiæ consortio eis indulgendo, ablato obice, qui priori aliquo decreto objiciebatur.

31. Nemo qui baptismum non susceperit, potest censura affici, "cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius, in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. 'Quid enim mihi,' inquit Apostolus, de iis qui foris sunt, judicare?"[5]

32. Censuræ non afficiunt eos, qui rationis non sunt compotes: nec plerumque impuberes, qui censentur contumacia carere. Cæterum ex speciali lege Tridentina pueris, rationis utique compotibus, licet impuberibus, intra septa monasterii ingredi, absque licentia, sub excommunicationis pœna vetatur: "Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda."[6] Sic et pueri verberantes clericum, incidunt in excommunicationem, a qua tamen, licet Pontifici reservata sit plerumque, "sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest diœcesanus episcopus absolutionis beneficium impertiri, cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus."[7] Ita statuit Gregorius IX. Ebrii incidunt in censuras, si delictum patrent, quod præviderant se verosimiliter in ebrietate patraturos: sic si incestus sub censura vetetur, et prævideat aliquis se ebrium ea

(1) Vide Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. iii. n. 4.
(2) In iv. dist. xix. qu. i. art. i. qu. iii. *ad quartum*.
(3) C. ii. Legatur, Causa xxiv. qu. ii. (4) C. vi. Sane profertur, ibidem.
(5) Conc. Trid. Sess. xiv. c. ii. *de Sac. Pœnit.*
(6) Sess. xxv. c. v. *de Reg. et Mon.* (7) C. ult. *de sent. excom.*

Digitized by Google

ratione peccaturum, nil est cur eximatur a censura: secus si inopinato eum patret.

33. Subditi intra diœcesim commorantes suorum episcoporum legibus, et ideo censuris, quæ iis adnectuntur, tenentur. Quod si extra eam versari contigerit, iis "minime ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune."[1] Qui in fraudem legis extra diœcesim se conferunt, nullam immunitatem inde mutuantur;[2] quia "nemini fraus sua patrocinari debet:"[3] qui igitur ad excommunicationis sententiam declinandam, quæ in hac diœcesi lata est in nubentes coram præcone hæretico, aliò aufugiunt, nuptias ibi inituri, censura hac irretiuntur. Sic et ligantur subditi legibus, quæ res suas in diœcesi positas: v: g: beneficia, spectant: ideoque si suspensione percellatur, quicumque ab ecclesia sibi commissa per mensem abfuerit, absque venia; qui, dum conderetur lex, aberant, non effugient censuram, si neglexerint intra mensem a lata lege reverti. Subdito etiam extra diœcesim posito potest dari præceptum speciale implendum sub censuræ comminatione: v: g: ut redeat ad munia necessaria obeunda.

34. Episcopus extra diœcesim suam positus valet subditos suos in ea versantes ligare, quamvis nequeat jurisdictionem cum judiciorum strepitu exercere: sententiæ autem, quas fert subditis suis, rite communicentur oportet. Porro subditi qui una cum ipso extra diœcesim versantur præceptis specialibus ligari possunt sub censura.[4] In eos invitos jurisdictio, quæ dicitur contentiosa, nequit exerceri, nisi causa in diœcesi jam cognita sit; sententia enim tunc ferri posset absque strepitu judicii. In rebus manifestis, ubi quis se reum prodit: v: g: si clericus episcopo iter agenti comes deprehendatur ebrius, vel impudicus, poterit censura percuti, nam "manifesta accusatione non indigent."[5] Si episcopus a sua diœcesi expulsus sit, poterit in locis vicinioribus, licentia ab Ordinario petita, licet non impetrata, jurisdictionem in suos exercere.[6] Ex ordinarii consensu id potest alias fieri, dummodo reus non cogatur invitus extra territorium judicio se sistere.

35. Peregrini qui ad breve tempus in diœcesi commorantur, legi-

(1) Cap. ii. de Constit. in 6.
(2) P. Thomas a Charmes, *de Legibus*, c. iii. art. v. par. iii.
(3) Cap. Si vir, *de cogn. spir.*
(4) Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. iv. n. 7. S. Alphonsus, l. vii. n. 21.
(5) C. *Manifesta*, ii. qu. i. (6) Clem. Quamvis, *de foro compet.*

Digitized by Google

bus specialibus non censentur a plerisque[1] ligari, nisi quatenus ordinis generalis intersit: peccant autem, et censuris se irretiunt, si leges violent, quæ territorium spectant. Sic furantes in ecclesia excommunicationem contrahunt, quæ a statuto diœcesano illi crimini adnectitur.[2] Quum reus sortiatur forum ratione delicti, ab episcopo loci plectendus est. Quod si sententia ferat amissionem beneficii, quod alibi possidet, ejus executio ad episcopum in cujus diœcesi situm est, referenda erit: interrogatus enim Innocentius III. de sacerdote beneficium in alia diœcesi, domicilium in alia, in qua deliquit, habente, utrum in hac judicari posset, "præsertim in causis quæ officii sui, seu beneficii privationem exposcunt," respondit, "quod per episcopum, in cujus diœcesi deliquit, sententia promulgari poterit in eundem: sed ab eo, in cujus diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda."[3] Si reus exierit a territorio ante citationem, nequit episcopus loci censuram in eum ferre: secus, si citatus fuerit; inchoatum enim judicium ad finem perducendum est.[4] Episcopi alii, imo Archiepiscopus, in alienis diœcesibus, delinquentes possunt ab ordinario censuris affici, et excommunicari; ratione enim delicti episcopo loci subjacent: refert quippe quidam declarationem S. Congregationis Concilii "quod episcopus etiam archiepiscopum suum in diœcesi episcopi delinquentem possit excommunicare."[5]

36. Communitas delinquens excommunicari nequit nisi a Pontifice, quamvis valeat excommunicatio, si proferatur. "Ut etiam licite episcopus aliquam communitatem excommunicet, debet singulos culpatos nominatim excommunicare."[6] "In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus," inquit Innocentius IV. "volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri: sed in illos duntaxat, de collegio vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgentur."[7] Nil igitur vetat ædituorum cœtum, singulis nominatis, excommunicari, si jura Ecclesia conculcaverint.

37. Irretitus una censura potest et aliam contrahere, etiam ob idem crimen, si videatur Pontifici nova plectere pœna, quem episcopus jam

(1) Vide Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. iv. n. 5.
(2) S. Alph. l. vii. n. 27.
(3) Cap. iv. *de foro compet.*
(4) S. Alph. l. vii. n. 26.
(5) Ibidem.
(6) Ibidem, n. 19.
(7) Cap. Romana, *de sent. excom.* in 6.

Digitized by Google

perculit. Item duplex est vinculum, si idem actus duo includat peccata, quarum utrumque sub censura prohibitum est, v : g : violatio sanctimonialis intra claustrum. Item nova ligatur censura, qui iterat crimen sub censura vetitum, vel qui aliud facit, cui censura alia adnexa est. Qui excipit confessiones mulierum extra tribunal, ubi id sub censura vetitum est, in novum se laqueum inducit, quoties confessionem excipit.

§. VI. Qui ordo in censuris ferendis servandus sit.

38. Una saltem monitio exigitur, antequam excommunicatio ab homine proferatur, per sententiam specialem; nec enim habendus est contumax in Ecclesiam, qui monitus non fuerit. "Sacro approbante Concilio," inquit Innocentius III. "prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, et personis præsentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat."[1] Tres plerumque per dierum intervalla faciendæ sunt monitiones; sed et una pro omnibus, gravi urgente causa, sufficit: "Statuimus quoque," inquit Gregorius X. "ut inter monitiones, quas, ut canonice promulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura præmitti; judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla: nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda."[2] Nulla requiritur monitio, quando agitur de censura latæ sententiæ a jure, nam lex unumquemque monet:[3] sed quando sententia *declaratoria*, uti aiunt, proferenda est, citandus est reus, nisi crimen sit notorium, nam "excessus notorius examinatione non indiget:"[4] cæteroquin copia facienda est reo se vindicandi; nemo quippe inauditus damnandus est: "Nec nos" inquit Gregorius VII. "contra inauditam partem aliquid possumus definire."[5] Citatio domi facta sufficit, si ad rei notitiam pervenisse probetur. Monitio autem requiritur trina, si censura sit ferendæ sententiæ. Scripto monitio plerumque est facienda;[6] sed si judex ex officio procedat, sufficit, ut fiat verbo, coram testibus, qui eam probare valeant. Si agatur de pluribus generaliter, monitio coram po-

(1) Cap. xlviii. *de sent. excom.*
(2) Cap. ix. eod. tit. in 6.
(3) Cap. xxvi *de appell.*
(4) Cap. Bonæ, xxiii. *de elect.*
(5) Cap. i. *de causa possess.*
(6) S. Alph. l. vii. n. 66.

Digitized by Google

pulo in ecclesia sufficit.[1] Si de communitate quadam, delinquentes, quorum causa censura intentatur, sunt sigillatim monendi. Hæc ad excommunicationem pertinent, quæ etiam in suspensione et interdicto servare oportet, quoties censuræ vim obtinent: feruntur tamen aliquando pœnæ instar, ad reum ob delictum admissum plectendum; quo casu monitio non requiritur.

39. Censura debet ferri scripto, et causa exprimi, et exemplum scripturæ reo dari, si petat intra mensem ab ea lata: "Quisquis igitur excommunicat," inquit Innocentius IV. "excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum verò hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus. . . . Et hæc eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari."[2] Cæterum, quum in hac regione lites intententur aliquando episcopo censuras ferenti, cavere debet, ne quid scripto tradat, quod possit actioni civili præbere occasionem, vel quod alias in Religionis detrimentum cedat; sed non videtur dari actio civilis, si reo petenti causa in judicio probata exponatur, secus si episcopus communicet judicium aliis, quorum non interest.

§. VII. Quæ valeant censuræ.

40. Censura non valet, si proferatur ab eo, qui caret jurisdictione. Hinc episcopus, qui judicio Pontificis excommunicatione vel suspensione ligatus est, vel qui hæreseos schismatisve reus declaratus est, nequit censuram ferre:[3] sed donec denuntiatus fuerit, non videtur jurisdictione spoliatus, quamdiu peccet ea exercenda. Vicarius episcopi censura ligati nequit censuram ferre, nam non agit nisi ejus nomine.

41. Non valent censuræ in Regulares latæ, qui speciali privilegio jurisdictioni episcopi subtracti sunt; quos idcirco pœna hujusmodi percellere nequit, etiam tamquam Delegatus Apostolicus.[4] Hinc Mendicantes et Jesuitæ nequeunt excommunicari, vel suspendi ab episcopo, ob speciale privilegium iis concessum: possunt tamen Regulares qui curam exercent animarum a munere amoveri, etiam

(1) S. Alph. l. vii. n. 57.
(2) C. i. *de sent. excom.* in 6.
(3) C. Exceptionem, *de except.*
(4) S. Alph. l. vii. n. 26.

Digitized by Google

nulla adsignata causa, quæ Pontifici tantum exponenda est.[1] "In aliis vero casibus" inquit Collet, de casibus in quibus exempti sunt mox locutus, "non minus quam cæteri censuris obnoxii sunt, . . . unde certum est regulares, si absque episcopi licentia prædicare, sæcularium confessiones excipere, absolvere a casibus reservatis præsumant, etc. censuris episcopi obnoxios esse."[2]

42. Appellatione facta a sententia sub conditione lata, non valet censura deinceps prolata, quia res ad superius tribunal defertur: v: g: si sententia his verbis feratur: "nisi Sempronio intra viginti dies satisfeceris, te excommunicatum, aut suspensum, aut interdictum esse cognoscas."[3] Sed sententia absolute lata statim obtinet effectum, licet appellatio interponatur: "sane, sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minime suspenduntur."[4] Sic censuit Pontifex denuntiandum excommunicatum, et spoliandum redditibus, licet appellaverit, "cum executionem excommunicatio secum trahat."[5]

43. Non valet censura prolata, ordine judiciorum prorsus neglecto. Hinc si omnis monitio omissa sit,[6] vel in re haud manifesta et notoria, reo nulla data sit copia vindiciarum,[7] censura vi omni caret. Una monitio prævia ad valorem censuræ sufficit. Peccat graviter, et interdicitur ecclesiæ ingressu per mensem, qui, omni monitione omissa, censuram fert: quam tamen pœnam episcopus non contrahit. Peccat etiam qui, extra casum necessitatis, censuram scripto tradere negligit, quæ tamen voce prolata valet.

44. Censura prolata ob crimen in judicio falsis testimoniis probatum nulla est, quum nulla sit justa eam proferendi causa: attamen servanda est publice, ne auctoritas legitima sperni videatur. Equidem ordo postulat, ut sententiæ a judice prolatæ serventur, donec a superiore fuerint rescissæ: qua in re exercenda est humilis animi patientia: "et tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum."[8] Multo magis servanda est censura, cujus injustitia non est explorata. Censura autem, lata absque ullo

(1) Bened. xiv. Bulla quæ incipit: *Firmandis.*
(2) *De censuris*, p. i. c. iii. art. iii. concil. ii.
(3) Cap. xl. *de appell.*
(4) C. xx. *de sent. excom.* in 6.
(5) Cap. liii. *de appell.*
(6) Collet *de censuris*, p. i. c. iii. art. iv.
(7) Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. vi. n. 4.
(8) In iv. dist. xviii. qu. ii. art. i. qu. ii.

Digitized by Google

juris ordine ex odio, invidia, vel vindictæ privatæ studio, nullatenus valet; quamvis publice servanda sit, ne auctoritas ecclesiastica vilescat: quapropter, docente S. Gregorio, "sententia pastoris, sive justa, sive injusta sit, timenda est."[1] Cæterum coram iis, quibus patet censuræ injustitia, non videtur necessariò servanda, quum per se sit nulla. Quando evidenter est nulla, utpote lata ob causam omnino futilem, non ligat ullatenus.[2]

§. VIII. Qui possint censuras solvere.

45. Censura *ab homine* tolli nequit, nisi ab eo, qui eam tulit, vel ejus superiore, vel delegato; quum enim lata sit specialiter in quemdam, par vel superior potestas exigitur ad vinculum tollendum. Archiepiscopus nihil potest in suffraganeorum suorum sententias, nisi interposita ad eum appellatione, vel in visitatione diœcesis alicujus ex decreto concilii provincialis suscepta. Censuræ *a jure*, quæ non fuerint specialiter reservatæ, nec ad forum contentiosum deductæ, possunt a quocumque episcopo vel sacerdote jurisdictione prædito tolli, juxta illud Innocentii III.: "quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi."[3] "Confessarii possunt," ex sententia S. Alphonsi, "absolvere non solum ab excommunicatione, sed ab omnibus aliis censuris non reservatis, nempe a suspensione, et interdicto personali, etsi absolutio earum non requiratur ad perceptionem sacramenti pœnitentiæ. Ratio, quia illa concessio, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras."[4] "Episcopus etiam in alieno territorio potest suos subditos absolvere in foro tam externo, quam interno, semper ac absolutio sit sine strepitu judiciali."[5]

46. Ampliavit concilium Tridentinum episcoporum facultates hoc decreto: "Liceat episcopis . . . in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et

(1) Hom. vi. in Ev.
(2) Collet, *de censuris*, p. i. c. i. Div. 4. 2. *Censura injusta.*
(3) C. Nuper, *de sent. excom.* (4) L. vii. n. 70.
(5) Ibidem. n. 72.

Digitized by Google

in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum."[1] Hac tamen facultate nequeunt uti episcopi illarum regionum, in quibus concilium non est promulgatum, prout declaravit S. Congregatio Concilii, testante Fagnano.[2] Nequeunt episcopi, absolvere vel delegare facultatem absolvendi in casibus papalibus extra sacramentum pœnitentiæ.[3] Possunt ex juris concessione impeditos ne recurrant ad Papam, quales sunt mulieres, pueri, senes, infirmi, absolvere, præstito tamen juramento ab iis, qui perpetuo non laborant impedimento, se, eo sublato, Pontificis, vel ejus Legati, mandata excepturos:[4] quod debent facere sub pœna iterum contrahendi censuras.[5] "Moniales non possunt absolvi ab episcopo a censura ob violationem clausuræ etiam occultam, excepto mortis articulo, ex declaratione Gregorii XIII. . . . Pontifex enim illam sibi specialiter reservavit, quamvis sciret moniales esse perpetuo, impeditas."[6] Bulla quæ dicitur *in Cœna Domini*, quotannis publicari consueta in illo die, hæresis absolutio episcopis sublata est:[7] quapropter in foro conscientiæ nequeunt eam impertiri, nisi speciali Pontificis indulto, quod episcopis Statuum Fœderatorum consuevit concedi. Ubique tamen in foro externo hæreticus sponte comparens coram episcopo, vel quocumque pacto denuntiatus, absolvi potest, post errorum suorum abjurationem, episcopo tamquam Delegato Apostolico excommunicationem tollente: qua sublata a confessario simplici venia in tribunali pœnitentiæ donari poterit.[8] Quum episcopis in hac regione detur ab Apostolica Sede facultas ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla *Cœnæ*, et ab hæresi reos solvendi, quæ jure præscribuntur de impeditis, locum apud nos non habent: quapropter juramentum de se sistendo Pontifici nunquam exigitur. Hanc facultatem episcopos erga suos subditos extra suam diœcesim versantes exercere posse plerique dicunt, quum pertineat ad jurisdictionem voluntariam, et strepitu judicii non indigeat.[9]

47. In Jubilæis dari solet ampla absolvendi facultas ab omnibus

(1) Sess. xxiv. *de Ref.*

(2) In c. *Dilectus*, 15 *de temp. ordin.* (3) S. Alph. l. vii. n. 81.

(4) Cap. xiii. et cap. lviii. *de sent. excom.*

(5) Cap. xxii. *de sent. excom.* in 6. (6) S. Alph. l. vii. n. 88.

(7) Vide prop. iii. inter damnatas ab Alex. vii. die 24 Sept. 1665. et Bened. xiv. in Bulla: *Convocatis.*

(8) S. Alph. l. vii. n. 83. et Giraldi, Expos. Jur. Pontif. p. i. §. dcccix. p. 622.

(9) S. Alph. l. vii. n. 81.

Digitized by Google

casibus Papæ reservatis, quæ tamen censuras in Bulla Cœnæ, multo minus eam, quæ ob hæresim lata est, non complectitur,[1] uti sæpius declaratum est, est enim regula juris: "in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus."[2] Ampla illa facultas tempore Jubilæi complectitur potestatem absolvendi a casibus et censuris episcopo reservatis; ita enim usus communis habet;[3] et alioquin posset Pontificis indulgentia episcoporum severitate frustrari. Extra Jubilæum autem nequeunt a casibus his absolvere, qui specialem ab episcopis veniam non impetrarunt;[4] nec enim mens est Pontificis, generali illa facultate, id indulgere, quod infirmaret episcoporum statuta.

48. Absolutio data tempore Jubilæi homini rite disposito, quique vult eum consequi, tollit censuras, licet contingat hunc indulgentiam non lucrari, ob aliquem defectum, vel incuriam: nam semel ablata censura non redit, nisi jus pœnam statuat, quam vocant *reincidentiæ*, quæ hoc casu deest.

49. In mortis articulo "omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt."[5] Sunt qui id intelligunt, quatenus necesse sit ad sacramenta suscipienda. Id quidem constat, absolutos in eo discrimine teneri, si evaserint, se sistere superiori, sub pœna easdem censuras iterum contrahendi,[6] et debere juramentum de eo exequendo emittere, saltem pro foro externo:[7] "pro foro interno dicunt sufficere promissionem."[8] Si adsit episcopus, nequit sacerdos absolvere a censuris episcopo reservatis, quia obligatio se episcopo quamprimum sistendi, pœnitenti imponenda est: quæ proinde implenda est statim, ipso præsente.[9]

50. Censura non cessat sola rei pœnitentia, quum enim auctoritate Ecclesiæ irrogetur, ab ea tollatur, necesse est.[10] Hinc damnavit Alexander VII. hanc propositionem: "Quoad forum conscientiæ reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censuræ."

51. Absolutio a censura valet quibuslibet verbis, quæ eam expri-

(1) Vide Bullam *Cœnæ*. §. *Non obstantibus:* et decret. Alex. vii. die 23 Martii 1666.

(2) Reg. Jur. lxxxi. in 6.

(3) S. Alph. l. vii. n. iii.

(4) Vide Prop. xii. *inter damnatas ab Alex. VII.*

(5) Conc Trid. Sess. xiv. c. vii. *de Sac. Pœnit.*

(6) Cap. xxii. *de sent. excom.* in 6.

(7) Cap. lviii. *de sent. excom.*

(8) S. Alph. l. vii. n. 92.

(9) Ibidem.

(10) Cap. xviii. *de sent. excom.*

Digitized by Google

munt, data, non tamen sola mente concepta, nam ad regimen externum pertinet; servanda est etiam forma ab Ecclesia præscripta. In foro interiori consueta absolutionis forma, generalibus verbis concepta, servanda est, quoties de excommunicatione agitur: "Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis." Nulla verba præcipue determinata sunt pro absolutione ab interdicto, vel suspensione, sed quæ adhiberi possint in Rituali Romano proponuntur: "Auctoritate mihi ab N. tradita, ego absolvo te a vinculo suspensionis (*vel* interdicti) quam (*vel* quod) propter tale factum (*vel* causam) incurristi (*seu* incurrisse declaratus es). In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen." In foro exteriori forma specialis absolvendi ab excommunicatione præscribitur;[1] in qua tamen ritus percutiendi leviter humerum hominis virga difficile poterit executioni demandari, ob mores regionis repugnantes: quamvis significationem aptissimam habeat juxta illud Apostoli: "Quid vultis? in virga veniam ad vos?"[2] Percussionem hanc ex justa causa omitti posse tradit Busembaum.[3] Generalis absolutio ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, (si pœnitens sit clericus) et interdicti, semper datur ante absolutionem a peccatis, ad cautelam, ne forte lateat censura, quæ obstet veniæ sacramentali.

52. Valet absolutio ab eo, qui potestate præditus est, data absenti, sed non licet absque urgenti causa; quum Ecclesiæ consuetudini adversetur: ideo a Superiore delegari solet facultas absolvendi, ut absolvendus se sistat coram delegato: vel aliquando constituitur speciali mandato absentis procurator, qui nomine illius petat absolutionem, et mandata suscipiat.

53. Qui pluribus ligatur censuris, potest ab una absolvi, aliis relictis, quia sunt vincula diversa:[4] hinc potest clericus absolvi excommunicatione, quin desinat suspensione, qua ob aliam causam irretitus est, ligari. Absolutio autem ab omni vinculo excommunicationis data ab eo, qui habet facultatem, valet, licet quædam eum lateat, dummodo non fuerit, culpa pœnitentis omissa: quapropter ab alio confessore postea absolvi poterit: at si reservata fuerit specialiter censura episcopo, reservatio non tollitur oblivione pœnitentis, quum finis reservationis sit, ut ei innotescant peccata.[5]

(1) *Vide Rituale nuper Baltimori editum*, p. 38.
(2) I. Cor. iv. 21.
(3) Apud S. Alph. l. vii. n. 117.
(4) Cap. xxvii. *de sent. excom.*
(5) S. Alph. l. vii. n. 131.

Digitized by Google

54. Potest absolvere superior sub pœna reincidentiæ: v: g: si delictum quoddam admiserit: pendet enim absolutio a voluntate Superioris, et potest onera quædam vel conditiones auctoritatis suæ exercitio adjicere, quum pertineat ad regimen externum.

55. Si urgeat necessitas celebrandi, vel communicandi, debet censura irretitus peccata confiteri, licet confessarius non habeat facultates speciales, quia, urgente tanta necessitate, poterit hic absolvere pœnitentem directe a non reservatis, et indirecte ab iis, quibus adnexa est censura.[1] Id dicendum est, etiamsi censura sit ab episcopo reservata; dummodo non sit *ab homine.*

56. Qui insordescit in censura, suspectus habetur hæreseos:[2] insordescere autem censetur, qui per annum animo pertinaci, et cum contemptu potestatis Ecclesiæ, perseverat in eadem excommunicatione, sive in alia censura.[3] Contra eum igitur licet procedere tamquam in causa hæreseos.

57. Quoties facultas absolvendi a censura datur, iis adjectis vocibus: "satisfacta tamen parte;" confessarius tenetur sub gravi peccato veniam non impertiri, nisi satisfactione jam præstita: quod si solverit a censura, ea neglecta, plerisque videtur absolutio non valere, quum satisfactio conditionis vim habeat.[4] Profectò confessarius satisfactionem curare negligens, damna resarcire debet, quum vi sui muneris eam exigere teneretur.[5] Si creditor procul sit, satisfactio censetur dari, pecunia in loco tuto deposita, ut eam deinceps recipiat. Sic si obstet gravissima difficultas, potest absolutio dari, omnibus præstitis, quæ ad satisfactionem præstari tunc possunt. Satisfactione autem opus non est, quoties læsus sponte remittit injuriam: vel satisfactionem oblatam injuste rejicit; vel quando reus nequit satisfacere; nam dum nulla est contumacia, venia deneganda non est.[6] Cæterum cautio de satisfaciendo in posterum præstanda est sub juramento ab impedito,[7] si de obligatione constet. Quod si partem, quam potest, præstet, et pignus de parte reliqua, satisfecisse censetur. A reis graviorum facinorum, in quos excommunicatio lata est, juramentum de tali crimine non patrando in posterum exigendum est, etiam in foro conscientiæ.[8] Absolvendus plerumque

(1) S. Alph. l. vii. n. 92.
(2) Conc. Trid. Sess. xxv. c. iii. de ref.
(3) S. Alph. l. vii. n. 157.
(4) Ibidem, n. 121.
(5) Ibidem, n. 127.
(6) C. Qua fronte, *de appell.*
(7) C. Odoardus, *de solut.* et c. Ex parte, xxiii. *de verb. signif.*
(8) C. De cætero; et c. Ex tenore, *de sent. excom.*

Digitized by Google

non est, qui beneficium hoc non implorat: "nisi gratiam absolutionis imploret; non debet audiri, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videatur."[1] Aliquando tamen absolvi potest ob bonum publicum, vel etiam salutem ipsius rei, qui petere absolutionem detrectat, dummodo sit emendatus: imo si crimen non habeat *tractum successivum*, uti aiunt, etiam qui emendatus non est. Superior potest tollere censuram contumaci, quia in ejus arbitrio est posita.

58. Qui in foro conscientiæ absolutus est a censura, quæ palam innotuit, debet exterius se gerere veluti ac si foret adhuc ligatus, nam publicum vinculum auctoritate ecclesiastica in foro externo tollendum est.

59. Non valet absolutio invito per vim vel metum injustum extorta, sed vim inferens excommunicationem contrahit.[2] Si per dolum circa causam finalem extorqueatur, etiam invalida censetur; quia Superior non vult absolvere nisi ob causam sibi propositam.[3] Alias dicendum si noverit causam falsam allegari, quia utitur ejus arbitrio vinculo tollendo: delegatus autem nequit fines mandati transilire.

(1) C. Per tuas; *eod. tit.* (2) C. unic. *De iis quæ vi etc.* in 6.
(3) S. Alph. l. vii. n. 132.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE EXCOMMUNICATIONE.

60. *Excommunicatio* est censura, per quam baptizatus privatur communione Ecclesiæ, bonisque spiritualibus, omnibus quæ subjacent potestati Ecclesiæ: v: g: sacramentorum susceptione et administratione, Ecclesiæ suffragiis, divinis officiis etc. *Anathema* dicitur, quando majori solemnitate lata est. Potestas eam ferendi ex Christi verbis habetur: "Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus."[1] Ea perculit incestus reum Paulus, ad Corinthios scribens: "Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis."[2] "Summum" inquit Tertullianus, "futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sacri commercii relegetur."[3] De ea dicit Augustinus: "qua pœna in Ecclesia nulla major est."[4] Quoties excommunicationis fit mentio simpliciter, hæc intelligitur, quæ et *major* dicitur, ut distinguatur *a minori*, quæ est privatio receptionis et administrationis licitæ sacramentorum, et electionis ad beneficia ac dignitates ecclesiasticas. Hæc contrahitur ob communicationem culpabilem, in rebus etiam civilibus, cum excommunicato non tolerato.[5] Qui communicat in crimine, ob quod lata est excommunicatio, contrahit excommunicationem majorem, "cum facientem et consentientem par pœna constringat.."[6]

61. Vitandi sunt ex constitutione Martini V. in concilio Constantiensi, ii tantum, qui nominatim sunt excommunicati, et publice denuntiati, in ecclesia tempore Missæ vel concionis, vel aliàs pro more regionis, vel qui adeo notorie percusserunt clericum, ut nec ulla possit tergiversatione celari, vel ullo juris suffragio excusari.[7] Vix autem constare potest, absque judicis sententia, percussionem omni juris

(1) Matt. xviii. 17.
(2) I. Cor. v. 3.
(3) Apolog. c. xxxix.
(4) L. *de cor. et grat.* cap. xv.
(5) Cap. iii. *de sent. excom.* in 6.
(6) Cap. xxix. *de sent. excom.*
(7) Const. *Ad evitanda.*

Digitized by Google

suffragio carere; ideoque raro admodum quisquam tenetur vitare alium hoc ex capite.[1] Posterior Leonis X. Bulla,[2] qua jussum est, ut vitarentur omnes, qui notorie in sententiam excommunicationis inciderant, consuetudine est abrogata. Cæteri igitur *tolerati* dicuntur, quia nemo eorum consortium fugere tenetur. Sic liberi muratores non sunt necessariò vitandi: imo nec ille vitandus est, cui sub excommunicationis pœna aliquid publice vetitum est, licet constet omnibus eum vetitum violasse, nam denuntiatio post factum requiritur. "Non tenemur," inquit S. Alphonsus, "vitare hæreticos, etiamsi notorium sit hos esse a jure excommunicatos, nisi sunt insuper nominatim excommunicati et denunciati. . . . Nec obstat dicere, quod saltem ex jure divino tenemur publice excommunicatos, maxime hæreticos vitare, ex illo ad Titum III. 'Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita.' Et ex epist. II. Joan. 'Nolite eum in domo recipere, nec ave ei dixeritis.' Hoc enim respondetur intelligi præceptum, quando esset periculum, quod ab eo inficeremur, vel si scandalum adesset, aut si spes esset, quod delinquens ex vitatione resipisceret."[3] De suspenso, vel interdicto, idem dicendum ac de excommunicato, "vitando in iis rebus in quibus vi suspensionis vel interdicti vetitum est eis communicare; ita ut usquedum non sint publice denuntiati, possimus indifferenter communicare cum illis, quia concilium loquitur universe de quacunque censura."[4]

62. Effectus excommunicationis majoris septem numerantur. I. privatur reus communibus Ecclesiæ suffragiis, scilicet sacrificiis, orationibus, indulgentiis, ita ut non liceat sacerdoti, Ecclesiæ nomine, sacrificium pro eo offerre, vel preces publicas, quales in Missali vel Breviario continentur.[5] "In quanto periculo sunt," animadvertit S. Bernardus, "pro quibus Ecclesia palam orare non audet, quæ fidenter etiam pro Judæis, pro hæreticis, pro gentibus orat, cum enim in Parasceve nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis."[6] Nil autem vetat ut sacerdos privatim petat, etiam dum sacrum facit, mentis tamen cogitatione, potius quam prece ecclesiastica, excommunicati conversionem et salutem.[7] Pro tolerato licere offerre sacrificium nomine Ecclesiæ, satis probabilis

(1) S. Alph. l. vii. n. 164.
(2) *De Concordatis.*
(3) L. vii. n. 136.
(4) Ibidem, n. 140.
(5) Ex. cap. Sacris *de sent. excom.* et cap. *Audi*, et c. *Omnis* xi. qu. 3.
(6) *De gradib. humil.* c. xx.
(7) S. Alph. l. vii. n. 162.

Digitized by Google

est sententia.[1] Potest idcirco privatus curare ut sacrificium pro eo offeratur. "Absit ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus."[2]

63. II. Privatur sacramentorum receptione et administratione, ita ut mortaliter peccet aliquo sacramento recipiendo, vel eo extra necessitatem gravissimam ministrando.[3] Peccat idcirco qui sacramenta ministrat vitando, imo etiam tolerato, si nulla eum excuset necessitas, nam indigno sacramenta non sunt præbenda. Excommunicatus nequit absolvi a peccatis donec excommunicatio ablata sit: quod si absolutionem recipiat inculpabiliter ignarus censuræ, qua ligatur, valet ex sententia Colleti et S. Alphonsi, quia "Ecclesia nequit directe inhabiles reddere ad sacramentum eos, qui ex jure divino habiles sunt."[4] Cætera sacramenta ab excommunicato suscepta etiam mala fide certò valent. Negligens sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ in paschate suscipere, peccat, licet nequeat accedere censura ligatus; sed præcepta directa sunt ad animam mundandam et sanctam efficiendam, ideoque tenetur obices tollere, venia et absolutione a censura petenda.[5] Non tamen videtur plerisque peccare Missa non audienda diebus festis,[6] quia ei non licet, excommunicatione quum sit irretitus: nec obicem statim tollere tenetur, quum præceptum ejus tollendi non extet. Contradicit tamen Colletus cum aliis.[7] Licet excommunicato adstare concioni.[8] Licet etiam, imo tenetur, si sacris ordinibus insignitus sit, horas canonicas privatim persolvere; non tamen cum socio. Omittendus est versiculus: "Dominus vobiscum;" quum consortium orationis indicet; sed ejus usus venialem culpam vix excedit. Licet tolerato sacramenta fideli, qui ea petit ministrare; quum enim jus sit fidelibus, ex constitutione Martini V. ea a toleratis petendi, non peccat qui jure suo utenti morem gerit:[9] vitandus autem nequit, nisi ut morienti succurrat, ea ministrare, saltem ubi ipse gravissimam famæ vel bonorum jacturam non facturus est, suo denegato ministerio.[10] Sed non licet petere sacramenta a tolerato absque gravi causa, nec enim indignus minister ad ea ministranda temere arcessendus est.[11]

(1) S. Alph. l. vii. n. 164. (2) Ibidem.
(3) Cap. lix. *de sent. excom.* et cap. iv. et vi. *de clerico excom.*
(4) L. vii. n. 159. (5) Laymann, *de censuris*, l. i. p. ii. c. ii. n. 3.
(6) S. Alph. l. vii. n. 161. (7) *De Censuris*, p. ii. c. i. §. iv. qu. i.
(8) Cap. xliii. *de sent. excom.* (9) S. Alph. l. vii. n. 139.
(10) Ibidem, n. 170. (11) Collet, *de censuris*, p. ii. c. ii. §. iii.

Digitized by Google

64. III. Est inhabilis ad dignitates et beneficia, adeo ut nulla sit resignatio, electio, præsentatio, collatio, in favorem excommunicati, etiam tolerati.[1] In Bulla Pontificia, qua quis ad episcopatum vel aliam dignitatem evehitur, continetur absolutio ab excommunicatione, si ea irretitum fuisse electum contigerit: quapropter qui occulto excommunicationis vinculo ligatur, potest acceptare dignitatem, quum sanetur auctoritate Pontificia electionis vitium. Debet tamen curare, ne labes animæ adhuc inhæreat. Absolutio illa non prodest irregulari, nec excommunicato propter hæresim, quia jus resistit; nec excommunicato ab homine, quia non videtur mens Pontificis generalibus vocibus hanc amplecti.[2]

65. IV. Privatur excommunicatus omnis jurisdictionis spiritualis usu, adeo ut peccet mortaliter ea exercenda,[3] quamvis, si toleratus sit, valeant ejus actus: nam Martinus V. indulsit, ut fideles sacramenta suscipere possent ab omnibus, qui non forent vitandi. Episcopus occultò excommunicatus mortaliter peccat conferendis ordinibus, dispensationibus concedendis, vel aliis exercendis jurisdictionis actibus: sacerdos excommunicatione ligatus pariter peccat aliquo jurisdictionis actu exercendo.

66. V. Excommunicato, etiam tolerato, omnis communicatio cum fidelibus denegatur,[4] nam disciplinæ veteris a Martino V. relaxatio facta est in fidelium commodum, non ad indulgendum reis: In rebus sacris imprimis ea communicatio vetita est; quapropter "excommunicatus quilibet vi censuræ, ab auditione Missæ, aliisque omnibus divinis officiis, prout publica sunt, prohibetur." Ita Colletus.[5] Si vitandus sit, monendus est, ut exeat ab ecclesia, si forte se sistat sacris officiis adfuturum: quod si non pareat, nova excommunicatione Pontifici reservata ligatur, quam etiam contrahunt omnes, qui prohibent ne exeat.[6] Si nequeat expelli, sacerdos, si nondum inceperit canonem, debet Missam abrumpere: si canon jam inchoatus sit, debet ad communionem pergere, deinde in sacristia reliqua perfecturus. Sacerdos scienter celebrans coram excommunicato vitan-

(1) Cap. vii. de cler. excom.

(2) Vide Collet, *de censuris*, p. ii. c. i. §. v. qui tamen censet excommunicatum ab homine ejus beneficio frui.

(3) Cap. xxiv. *de sent. et re judic.*

(4) Cap. xviii. xxix. et lix. *de sent. excom.* cap. Alma, *eod. tit.* in 6. et cap. ii. *de except.*

(5) *De Censuris*, p. ii. c. i. §. iv. (6) Clem. ii. *de sent. excom.*

Digitized by Google

do, peccat mortaliter, et interdicitur ingressu ecclesiæ.[1] In actibus forensibus nequit excommunicatus cum fidelibus communicare; quapropter nequit esse judex, procurator, actor, tabellio, testis, in locis, ubi disciplina canonum viget.[2] In hac regione, ubi leges civiles nullam habent hujus vinculi rationem, non videtur peccare, his exercendis muneribus. Etiam in Galliis exceptionem excommunicationis non admitti in judiciis rerum temporalium, Colletus post alios tradit.[3]

67. In actionibus civilibus consortium vetitum est:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Colloquium imprimis, et etiam litterarum commercium, orationis consortium, salutationes amicæ, communio in rebus gerendis, et convictus prohibentur. Hæc disciplinæ severitas ex sacris Scripturis desumpta est; nam dicit S. Joannes: "Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis."[4] "Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere."[5] Sacri canones consortium omne

(1) Cap. viii. *de priv.* in 6.

(2) Cap. viii. *de sent excom.* in 6. "With us by the common law an excommunicated person is disabled to do any act, that is required to be done by one that is *probus et legalis homo.* He cannot serve upon juries, cannot be a witness in any court, and which is the worst of all, cannot bring an action either real or personal, to recover lands or money due to him. Nor is this the whole: for if within forty days after the sentence has been published in the church, the offender does not submit and abide by the sentence of the spiritual court, the bishop may certify such contempt to the king in chancery. Upon which there issues out a writ to the sheriff of the county, called from the bishop's certificates a *significavit;* or from its effects a writ *de excommunicato capiendo;* and the sheriff shall thereupon take the offender, and imprison him in the county gaol, till he is reconciled to the church, and such reconciliation certified by the bishop; under which another writ *de excommunicato deliberando* issues out of chancery to deliver and release him." Blackston. Comm. l. iii. n. 102.

(3) *De Censuris,* p. ii. c. i. §. vii. concil. iii. (4) II. Joan. 10.

(5) I. Cor. v. 11. Animadvertit Bloomfieldius: Μηδὲ συνεσθίειν may be explained with the best commentators, 'to hold no familiar intercourse,' . . . . community of table being a figure expressive of intimacy. See Luke xv. 2. Gal ii. 12. This was meant to strengthen the efficacy of excommunication, and, under certain circumstances, to supply its place." In locum.

Digitized by Google

cum excommunicatis districte vetant.[1] Cæterum canonum rigorem temperavit Gregorius VII.: "Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus: videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos servientes, et omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et eos, qui ignoranter excommunicatis communicant. . . . Et si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus."[2] Licet etiam divinum verbum prædicare excommunicatis, sicut et interdictis, eosque ad correctionem solicitare.[3] Licet debita ab eis petere, et necessaria omnia obire munia:[4] quapropter milites communicare possunt cum duce excommunicato: licet et medicinas vel eleemosynam ab excommunicato petere. Signa urbanitatis, v: g: adsurgendo, aperiendo caput, dando locum, tamen sine ullis verbis, sic et salutationem reddere, ad vitandum contemptum, vel ne quis agrestis habeatur, licere plures docent.[5] Litteris tamen respondendum non est, quum sit vera communicatio.[6] Nec censetur convictu communi uti, qui in diversorio, ubi casu veluti conveniunt homines, eidem assident mensæ:[7] nec communione in rebus gerendis utitur, qui cum alio de negotiis occurrentibus agit, pro occasione, quin societatem cum eo ullatenus ineat:[8] imo societatem prius initam cum eo licet continuare.[9]

68. VI. Irritæ sunt gratiæ apostolicæ excommunicatis concessæ.[10]

69. VII. Excommunicatus privatur sepultura ecclesiastica, juxta illud: "Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, et ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis ecclesiæ reconciliati fuerint."[11] Cæterum "tolerati licite sepeliuntur in loco sacro, si cum signis pœnitentiæ e vita migraverint."[12] De cæteris dicendum cum S. Leone, "Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus."[13]

(1) C. *Excommunicatos* et *Cum excommunicato*, xi. qæust. iii.
(2) C. *Quoniam*, Ibidem.
(3) Cap. xliii. *de sent. excom.*
(4) Cap. xxxiv. et cap. xxxi. eod. tit.
(5) S. Alph. l. vii. n. 192.
(6) Ibidem, n. 193.
(7) Ibidem, n. 195.
(8) Ibidem, n. 194.
(9) Ibidem, n. 201.
(10) Cap. i. *de rescript.* in 6.
(11) Cap. xii. *de sepult.*
(12) S. Alph. l. vii. n. 187.
(13) Ep. ad Rustic. Narbon.

Digitized by Google

Cæterum non polluitur cœmeterium sepultura hæretici tolerati, qui scilicet baptizatus fuerit, et haud denuntiatus nominatim. Sed excommunicatione ligantur, a qua absolvi nequeunt usque ad satisfactionem, ad arbitrium episcopi, qui excommunicatos vitandos sepeliunt in loco sacro: quod de jubentibus, potius quam de iis quorum opera cadaver mandatur terræ, videtur intelligendum.[1]

70. Communicare cum excommunicato vitando in rebus sacris, peccatum habetur mortale, quum præcepto Ecclesiæ omnino adversetur:[2] in rebus autem civilibus plerumque est veniale, seposito scandalo, vel contemptu auctoritatis ecclesiasticæ, qui adest, si frequens sit communicatio: in crimine, ob quod lata est excommunicatio, est peccatum mortale, quod et excommunicationis censuram secum fert.[3] Clericus scienter communicans in divinis cum aliquo a Papa nominatim excommunicato et denunciato, incurrit excommunicationem majorem.[4] Quando excommunicatio fertur in aliquem et ejus participes, qui post monitionem cum eo communicat, excommunicationem majorem contrahit.

71. Excommunicatio minor, quæ contranitur communicando cum excommunicato in rebus civilibus, privat hominem receptione sacramentorum:[5] vel licita eorundem administratione:[6] saltem quoties hæc cum receptione sacramenti conjungitur, uti in Missæ celebratione:[7] eumque reddit haud idoneum, qui ad dignitates et beneficia eligatur: irrita tamen ejus electio non est, sed irritanda, si scienter electus sit, vel alias collatione provectus.[8] Episcopo licet alicui in pœnam criminis, sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, perceptionem vetare.[9]

72. Plurimæ excommunicationes jure continentur, quarum aliquas jam recensuimus; alias impræsentiarum referre juvat: cæteris pro oblata occasione recensendis. Excommunicantur, qui matrimonium attentant intra gradus prohibitos, vel cum monialibus.[10] Ariolos, aruspices, aut incantatores observantes, scilicet consulentes anathemate feriuntur.[11] Imprimentes libros de rebus sacris absque auctoris

(1) Vide Collet. *de censuris*, p. ii. c. i. §. iv. Conel. ii. Quæres.
(2) Cap. xxix. causa xi. qu. iii.
(3) Cap. xxix. et lv. *de sent. excom.*
(4) Cap. xviii. *eod tit.*
(5) Cap. lix. *eod. tit.*
(6) C. ult *de cleric. excom.*
(7) S. Alph. l. vii. n. 149.
(8) Cap. Si celebrat, *de cleric. excom.*
(9) S. Alph. l. vii. n. 148.
(10) Clem. un. de consang.
(11) C. i. xxvi. qu. i.

Digitized by Google

nomine et ordinarii approbatione, excommunicatione percelluntur a concilio Tridentino:[1] sed in his regionibus non viget ob morem contrarium. Anathemate feriuntur, qui docent confessionem mortalium non requiri, antequam Eucharistia recipiatur.[2] Raptores mulierum, causa matrimonii, et juvantes et faventes excommunicantur;[3] sicut et domini temporales et magistratus subditos suos adigentes contrahere nuptias cum illis, quos præscripserint, vel quovis modo directe vel indirecte cogentes, quominus libere matrimonia contrahant, pari pœna plectuntur.[4] Cogentes mulieres vel puellas ingredi monasterium monialium vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, excommunicantur.[5] Censet S. Alphonsus eam pœnam afficere eos qui coegerint puellam ingredi monasterium educationis causa: nisi cautionis gratia fiat, dum periclitatur in sæculo.[6] In casibus in jure expressis potest cogi mulier ad ingrediendum monasterium in criminis pœnam, vel ne iterum labatur.[7] Si parentes gravem metum etiam ex suæ auctoritatis reverentia, filiæ incusserint, ut ingrederetur, et susciperet habitum, contrahunt excommunicationem. Sed et excommunicantur quicumque sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.[8]

73. Alienantes bona ecclesiæ, vel locantes ultra triennium, excommunicantur.[9] Qui sacro ordine aucti contrahere attentant matrimonium, eadem pœna afficiuntur.[10] Qui se ingerunt in alterius episcopatum ad officium sine licentia proprii episcopi[11], excommunicatione ligantur. Episcopi Romam clanculo adeuntes, si inde recesserint absque Papæ venia, excommunicationem contrahunt.[12] Regulares temere dimittentes habitum sui Ordinis excommunicantur: quum autem ob locorum adjuncta, non consueverint eum hac in regione publice gestare, non censentur eum dimittere, nisi ordinis consortium penitus deseruerint. Si matrimonium attentaverint, excommunicatione ligantur.[13]

(1) Sess. iv. *decr. de edit. etc.* (2) Ibidem, Sess. xiii. can. xi.
(3) Ibidem, Sess. xxiv. cap. vi. *de ref. matr.*
(4) Ibidem, cap. ix. (5) Ibidem, Sess. xxv. cap. xviii. *de Reg.*
(6) L. vii. n. 212.
(7) C. Significavit. et C. Gaudeamus, *de convers. conjug.*
(8) Conc Trid. Sess. xxv. cap. xviii. *de Reg.*
(9) Extrav. Ambitiosæ, *de rebus Eccles.* (10) Clem. un. *de consanguin.*
(11) C. Quoniam, de offic. ordinar.
(12) Extrav. ii. et iii. *de major. et obed.* (13) Clem. un. *de consanguin.*

Digitized by Google

74. Episcopo reservantur a jure plures excommunicationes, quas oblata occasione indicabimus. Aliquando etiam episcopus, vel Sede vacante Vicarius capitularis, monitorium edit, sub excommunicationis sibi reservatæ pœna præcipiens, ut reveletur criminis auctor, vel ut res aliena restituatur: qui tamen mos in his provinciis non viget.

75. Pontifici plurimæ excommunicationes absolvendæ reservatæ sunt. Incendiarii, postquam ab ordinario excommunicati fuerint nominatim, et publicati, nequeunt nisi a Summo Pontifice absolvi.[1] Falsarii literarum Apostolicarum:[2] effringentes et spoliantes ecclesias:[3] vexantes eos qui censuram in alios tulerunt:[4] dantes et recipientes aliquid pro gratia aut justitia apud Sedem Apostolicam:[5] asserentes sermonibus vel scriptis B. Mariam maculam originis contraxisse; vel eam sententiam notantes hæreseos:[6] excommunicatione Pontifici reservata omnes percelluntur.

76. De excommunicationibus Papæ reservatis, quæ respiciunt duella, clausuræ violationem, abortum, hæresim, lectionem librorum prohibitorum, aliaque jam egimus: pauca de iis, quæ celeberrima Bulla *in Cœna Domini*, olim quotannis publicata, continentur, dicenda sunt. Equidem legentes vel retinentes libros hæreticorum de religione tractantes, vel hæresim continentes, hæretici ipsi et eorum fautores anathemate imprimis feriuntur: deinde qui appellant futurum concilium. Excommunicantur etiam I. surripientes bona Christianorum naufragorum, quæ scilicet non adeo diu in litore jacuerunt, ut derelicta haberi possint. II. "Domini qui in terris suis sine privilegio imponunt pedagia, id est tributa pro transitu personarum, sive rerum, vel pro refectione et custodia viarum, aut gabellas, id est, impositiones pro delatione et venditione mercium. Tale autem privilegium habent omnes Principes Supremi, prout Pontifices, Reges autem, Respublicæ et Universitates, ad subveniendum civium necessitatibus, bene etiam possunt collectas sibi imponere."[7] Eo plane dirigitur hæc excommunicatio, ut populus injustis exactionibus dominorum temporalium, extra juris terminos, non opprimeretur: medio scilicet ævo Pontifex reipublicæ christianæ præerat, invigilans

(1) C. Tua nos, *de sent excom.* (2) C. Ad falsariorum, *de crim. falsi.*
(3) C. Conquesti, *de sent. excom.* (4) C. Quicumque, *de sent. ex.* in 6.
(5) Extrav. i. *de sent. exc.* et Bulla Bonifacii viii. et Greg. xiii.
(6) Greg. xv. Bulla 29. Vide dissertationem S. Alph. l. vii. n. 244.
(7) S. Alph. l. vii. n. 310.

Digitized by Google

ne cujusquam jura læderentur: III. Excommunicationem incurrunt piratæ interficientes aut deprædantes Christianos in mari ecclesiastico. IV. Falsificatores litterarum Apostolicarum. V. Transmittentes arma, sive armorum materiam ad hostes infideles. . . VI. Injuste impedientes deferri victualia ad Romanam curiam. VII. Vexantes peregrinos, qui devotionis causa Romam petunt. IX. Vexantes, seu ejicientes episcopos, Legatos, vel Nuntios a suis diœcesibus: necnon id mandantes, ratum habentes, faventes, etc. X. Percutientes aut expoliantes eos (sive eorum procuratores) qui curiam Romanam pro suis negotiis petunt. XI. Appellantes sub privato prætextu ad curias laicales in causis ecclesiasticis ad impediendas litteras Apostolicas. XII. Qui auctoritate laica, vel prætextu exemptionis causas spirituales, vel ipsis annexas ad se avocant a judicibus ecclesiasticis, etc. XIII. Qui ex quovis colore trahunt, vel trahi faciunt personas ecclesiasticas ad tribunal laicale. XIV. Impedientes judices ecclesiasticos sua jurisdictione uti. XV. Usurpantes jurisdictionem et fructus beneficiorum. XVI. Imponentes onera ecclesiasticis. Qui tamen (advertendum) tenentur contribuere, quando imponuntur collectæ pro refectione, v: g: viarum, fontium, etc. quorum utilitas directe pertinet etiam ad ipsos. XVII. Se interponentes sine jurisdictione in causis criminalibus contra ecclesiasticos. XVIII. Usurpantes jurisdictionem in terris Ecclesiæ Romanæ."[1] Hæc quæ ex S. Alphonsi opere insigni transcripsimus, ostendunt Bullam illam latam, ut jura ecclesiæ, quæ ab ipsis sæculi potestatibus per plura sæcula agnita sunt, illæsa servarentur. Cæterum in plerisque jam ætas nostra jura illa minuit, vel abstulit, adeo ut vix ullibi integra habeantur. Clemens XIV. et Pius VI. a Bullæ illius publicatione quotannis abstinuerunt.

77. Canon celeberrimus, quo clerici percussio sub anathemate vetatur, his verbis continetur. "Placuit, ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: et nullus episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum susci-

(1) S. Alph. l. vii. n. 309. et seq. "La voilà donc cette fameuse bulle *In cœna Domini!* Plusieurs dispositions de la bulle appartiennent à une sagesse supérieure, et toutes ensemble auraient fait la police de l'Europe au xiv. siècle." De Maistre, *Du Pape*. l. ii. ch. xv.

Digitized by Google

piat."[1] Pœnam hanc incurrunt mandantes vel dolose permittentes, quum facile possent impedire,[2] et ratam habentes percussionem suo nomine factam.[3] Monachorum nomine includuntur etiam sanctimoniales:[4] imo juxta S. Alphonsum, mulieres conviventes instar religiosarum,[5] et laici conversi,[6] et novitii.[7] Manus violentas injicere censetur, qui vim aliquam et injuriam facit, etiam conspuendo, vel carcere detinet, vel sistit equum, frœno arrepto, ut clericus nequeat progredi: vel persequitur, ut in flumen fossamve cadat. Malitiosa sit percussio necesse est, quapropter non contrahitur excommunicatio si joco quis percutiat:[8] vel casu:[9] vel ignorans eum esse clericum. Non contrahitur, si correctionis causa pater percutiat filium in minoribus constitutum,[10] vel præceptor ecclesiasticus subditum etiam in majoribus,[11] dummodo laici opera non utatur.[12] Nec contrahitur, si percutiatur, qui deprehenditur turpiter agens cum matre, sorore, vel filia percutientis: vel si quis ad se defendendum percutiat, servato moderamine inculpatæ tutelæ.[13] Clerici impuberes se invicem percutientes non contrahunt excommunicationem; puberes autem, qui ex odio vel gravi ira percutiunt, ea irretiuntur.[14] Percussio enormis "utpote si ad mutilationem membri vel ad effusionem sanguinis est processum, aut in episcopum, aut abbatem violenta manus injecta,"[15] excommunicatione plectitur Papæ reservata: sed si fuerit occulta, potest ab episcopo remitti:[16] levis percussio semper potest ab episcopo remitti.[17] Prælatus religiosorum subditos suos se invicem percutientes potest absolvere, si percussio non sit enormis:[18] sed si fuerint diversi ordinis percussor et percussus, utriusque Superioris venia exigitur.[19] Si religiosus percusserit clericum sæcularem, nequit, jure communi, absolvi nisi ab episcopo:[20] vel a Pontifice, si percussio fuerit enormis. Attamen privilegia deinceps accepisse dicuntur Ordines Religiosi, quorum vi Superiores absolvere valent.[21]

(1) Conc. Lat. ii. can. xv.
(2) Cap. xlvii. *de sent. excom.*
(3) Cap. xxiii. *de sent. excom.* in 6.
(4) Cap. xxxiii. *de sent. excom.*
(5) L. vii. n. 271.
(6) Cap. v. *de sent. excom.*
(7) Cap. xxi. *eod. tit.* in 6.
(8) C. i. *de sent. excom.*
(9) C. iii. *eod. tit.*
(10) Cap. i. *eod. tit.*
(11) S. Alph. l. vii. n. 275.
(12) Cap. xxiv. *de sent. excom.*
(13) Cap. iii. *eod. tit.*
(14) S. Alph. l. vii. n. 279.
(15) Cap. i. *de sent excom.* in 6.
(16) C. *Cum illorum.* xxxii. §. Qui. *de sent. excom.*
(17) C. xvii. *eod. tit.*
(18) C. xxxiii. *eod. tit.*
(19) C. xxxii. *eod. tit.*
(20) C. xxi. *de sent. excom.* in 6.
(21) Collet de censuris, p. ii. c. i. §. i. S. Alph. l. vii. n. 107.

Digitized by Google

Percussio levis quæ mortalis peccati non habet malitiam, censuram ullatenus non inducit.

78. Si quis dubitet, utrum contraxerit censuram, tenet S. Alphonsus eum non privari libertate communicandi, donec de vinculo constet:[1] attamen Colletus contendit eum debere se abstinere,[2] nixus Innocentii III. decreto, de episcopo, qui, neglecta fama publica de excommunicatione in eum lata, solemniter celebravit. Cæterum non valde arguit eum Pontifex eo ex capite: "Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse: quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertractare."[3]

(1) S. Alph. l. vii. n. 67. (2) De Censuris, p. ii. c. i. art. v. qu. iv.
(3) Cap. Illud, *de cler. excom.*

Digitized by Google

CAPUT V.

DE SUSPENSIONE.

79. Suspensio est censura ecclesiastica, qua clerico prohibetur usus ecclesiastici officii, vel beneficii, vel utriusque. Suspensio ab officio privat clericum exercitio potestatis, quæ ei ratione sui muneris competit: v: g: parochi muniis. Aliquando a jurisdictionis exercitio suspenditur clericus, v: g: a munere audiendi confessiones; aliquando ab ordinis exercitio, v: g: ne in ordine suscepto ministret. Suspensio a beneficio fit, quando fructuum beneficii perceptio ad tempus ei subducitur. Aliquando fertur suspensio absolute, nullo limite apposito, et privat ordinis et jurisdictionis exercitio, et beneficii redditibus: sed sæpe munere aliquo privat. Suspensus ab officio, non censetur ideo suspensus a beneficio, nec vicissim, nisi sententia id declaret.[1] Suspensus ab officio nequit aliquod officii munus exercere, nisi constet speciale tantum officium vetari. Episcopus suspensus ab officio episcopali potest sacrum celebrare, aliaque munia sacerdotalia obire: sed si Pontificalibus indutus solemniter celebret, peccat, quamvis non fiat irregularis, quum solemnis illa ratio celebrandi non faciat, ut sit actus ordinis episcopalis.[2] Sacerdos suspensus ab officio nequit ullum sacrum obire munus. Suspensus ab ordine, non ideo censendus est jurisdictione privatus: nam episcopus ab ordinis omni exercitio suspensus potest dare sacerdoti facultatem absolvendi. Suspensus a jurisdictione potest ordinem exercere, sacro celebrando. Suspensus ab ordine superiore non ideo habetur suspensus ab inferiore.

80. Suspensus ab officio, licet res occulta sit, peccat mortaliter exercendo munere, a quo suspensus est, nam violat prohibitionem episcopi sui, vel Ecclesiæ in re gravi: actus tamen, qui non indigent jurisdictione, valent: imo et hi, qui ex jurisdictione pendent, si non sit denuntiatus.[3] Beneficium novum nequit recipere licite, et col-

(1) Cap. x. *de purgat. canon.* et cap. xiv. *de vita et honest.*
(2) S. Alph. l. vii, n. 314.
(3) Martinus v. Bulla: *Ad evitandum.*

Digitized by Google

latio ejus irritanda est.[1] Fit irregularis, si exerceat functiones ordinis proprias.[2] Suspensus a beneficio privatur fructibus ejus, et quotidianis distributionibus, quæ in choro adstantibus fiunt. Tenetur tamen officium recitare; nec enim ab onere sibi imposito censura eximitur.

81. A suspensione a jure, quæ reservata non sit, quilibet confessarius absolvere potest: non item ab ea, quæ ab homine specialiter in aliquem lata est, nam ejus absolutio spectat ad eum, qui eam tulit, vel ejus successorem, vel aliquem ab eo delegatum, vel Superiorem, appellatione audita. Suspensio, quæ ad tempus fertur, vel alium habet limitem, desinet tempore expleto, vel conditione cessante: nec absolutione opus est.

82. Suspensio perpetua in pœnam delicti non est censura, sed pœna, quam solus remittere potest judex, qui eam tulit, vel alius ejus vices obiens.

83. Suspensio plerumque ferenda est, instar aliarum censurarum, causa cognita, quæ et scripto declaranda est,[3] et reo audito. Cæterum aliquando extra judicium fertur[4] ex informata conscientia, uti docet Benedictus XIV.[5] nec tenetur episcopus rationem reddere nisi Summo Pontifici. Eo casu nulla datur Metropolitam appellandi facultas. Hanc suspensionem rarò adhibendam esse liquet; quum sit extra juris ordinem: monet idcirco Benedictus XIV. potestatem eam ferendi non esse in synodo ostentandam.

84. In hac regione solent episcopi *revocare facultates*, quas missionariis tribuerant, quoties sacerdotes suo munere judicant indignos: qua in re judicii formam non servant, sed ex informata conscientia, adhibito plerumque Vicarii sui Generalis, vel alterius sacerdotis consilio: et arbitrio æquo se uti posse sentiunt, quum ab eorum voluntate pendeat facultates elargiri. Hanc revocationem a suspensione plerique distinguunt. Utrum revera possit distingui, quando ipsa Missæ celebratio, omniaque sacra munera prohibentur, dubitare licet. Mihi negandum videtur; quamvis enim jurisdictionis exercitium possit certis limitibus coerceri, pro varietate adjunctorum, ejus ablatio videtur nullo alio nomine in jure, vel apud juris canonici peritos nosci, quam suspensione a munere audiendi confessiones; quæ si extendatur ad omnia sacra munera suspensio ab officio simplici-

(1) Cap. viii. *de consuetud.* (2) Cap. i. *de sent. et re judic.* in 6.
(3) C. i. *de sent. excom.* in 6. (4) Trid. Conc. Sess. xiii. c. i. *de Ref.*
(5) De Syn. Dioec. l. xii. c. viii. n. 3, 4, 5.

Digitized by Google

ter designatur. Revocatis igitur penitus facultatibus, sacerdos suspensus habendus est, qui idcirco irregularis fit, si munus sacrum aggrediatur.[1]

85. Plures gravesque rationes adducuntur, cur episcopi revocent facultates ex informata conscientia: etenim testes plerumque nolunt prodire, ne fama periclitentur, vel odium sibi conflent; et clericorum crimina in judicio coram pluribus investigata facile vulgarentur, cum fidelium offensione et hæreticorum triumpho: et appellationibus ad Metropolitam daretur locus, sacerdotibus cum suæ innocentiæ vindicibus ad ejus tribunal confugientibus; quo pacto et criminum fama augeretur, et præsulum auctoritas minueretur, et litium coram civili tribunali occasio dari posset. Attamen, ut ingenue loquar, nulla forma judicii servata, datur ansa præsulibus detrahendi, veluti omnia pro arbitrio agentibus; et appellationis ad Metropolitam remedio denegato, nulla reis spes relicta videtur, nisi itinere Romam suscepto: qua de causa oportere censeo suspensionis censuram post judicium rite habitum, prout locorum adjuncta sinunt, plerumque ferri, ut appellet reus, si velit, archiepiscopum, cujus judicio subveniatur innocenti, si forte aliqua episcopus deceptus sit; vel confundatur reus; adeo ut omnibus persuasum sit, copiam se vindicandi ei iterum datam.

86. Jure ipso suspensio irrogatur iis qui sacros ordines recipiunt ab alieno episcopo, sine litteris dimissoriis; vel a suo episcopo in aliena diœcesi, vel titulo conficto, vel per saltum, vel dum censura aliqua irretirentur, vel extra tempora a jure statuta; vel ante ætatem legitimam, vel post matrimonium contractum, licet consummatum non fuerit; vel qui furtim inter ordinandos irrepserunt. Hi omnes ab ordinum exercitio suspenduntur, et irregulares fiunt, si id aggrediantur. Item qui eodem die duos sacros ordines suscipit; et ordinans et ordinatus simoniace, suspenduntur. "Quod si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda esat, absolvatur."[2] Ita

(1) Cap. i. *de sent. et re judic.* in 6.
(2) Sess. xxiv. cap. i. *de ref. Mat.*

Digitized by Google

statuit concilium Tridentinum: quæ lex apud nos non obtinet, quum parochiæ nullæ stricti nominis agnoscantur: sed attendenda est nihilominus, et ab episcopo in sua synodo diœcesana jure optimo poterit applicari sacerdotibus sponsos ex alieno districtu suscipientibus. Suspenduntur pariter ipso jure occupantes bona, vel census ecclesiæ, beneficii, vel alterius loci pii; simoniaci; sodomiam exercentes; provocantes ad duellum, vel acceptantes; apostatæ a religioso ordine, præsertim qui in apostasia ordines sacros recipiunt.

87. Depositio est pœna per quam clericus privatur omni officio et beneficio ecclesiastico in perpetuum, sine spe ea recuperandi: retento tamen privilegio canonis et fori. Degradatio spoliat eum omni privilegio, eumque relinquit potestati civili puniendum instar laicorum. "Si clericus in quocumque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime, atque convictus, ab ecclesiastico judice deponendus est. Qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri; postmodum verò, si in profundum malorum veniens, contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse perditio plurimorum per sæcularem comprimendus est potestatem; ita quod ei deputetur exilium vel alia legitima pœna inferatur."[1] Fit degradatio ritu solemni, detractis vestibus sacris, et abrasa unctione manibus sacerdotis. Omni potestatis exercitio penitus spoliatur, qui alterutram pœnam subit, qui tamen adhuc tenetur officium divinum recitare. Si quem ordinis actum exerceat, valet, etsi illicitus sit: non ita si jurisdictionem exigat. "Cum degradato solus Papa dispensare potest: sed cum deposito etiam episcopus, si crimen sit minus adulterio."[2]

88. Juvat quasdam recensere pœnas quas criminibus clericorum sacri statuerunt canones. *Fornicatio* clericorum olim *irregularitatem* inducebat: nunc judicis arbitrio relinquitur. *Concubinatus*, frequens scilicet consuetudo carnis cum muliere domi retenta, seu extra, puniendus decernitur tertiæ partis beneficii fructuum amissione, si beneficiarius semel monitus non se emendaverit; fructuum omnium amissione, et suspensione ab eorum administratione, si iterum monitus non obtemperet, "et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis . . perpetuò priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus,

(1) Cap. Cum non ab homine, *de judic.* (2) S. Alph. l. vii. n. 327.

Digitized by Google

dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem, ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat; supradictorum omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu, et figura judicii, et sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, et contumaciæ perseverantiam, et qualitatem, ab ipso episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros canones, puniantur.[1] Clericus stuprum patrans violentam scilicet virginis violationem, deponitur, aliasque luit pœnas episcopi arbitrio.[2] Adulterium a clerico commissum depositione plectitur.[3] Concubitus clerici cum moniali depositionem et detrusionem in monasterium ad pœnitentiam agendam inducit.[4] Sodomia et bestialitas easdem pœnas merentur.[5] Exigunt tamen pœnæ hæ judicis sententiam. Id etiam animadvertendum, quod "prohibet S. Synodus quibuscumque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin pœnis a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis puniantur."[6] Id tamen semper præ oculis habendum est: "Quod si forte necessitas postularet, ut sacerdos, tamquam inutilis et indignus, a cura gregis debeat removeri; agendum est ordinate apud episcopum, ad cujus officium tam institutio quam destitutio sacerdotum noscitur pertinere."[7] Ita Innocentius III.

(1) Conc. Trid. Sess. xxv. *de Ref.* c. xiv.
(2) C. i. *de adulterio et stupro.*
(3) C. vi. *eod. tit.*
(4) C. vi. xi. xxv. xxviii. caus. xxvii. qu. i.
(5) Cap. iii. de excess. Præl.
(6) Trid. Sess. xxv. *de Ref.* c. xiv.
(7) Cap. Cum ex injuncto, extra *de hæreticis.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE INTERDICTO.

89. Interdictum est censura qua prohibentur officiorum divinorum celebratio publica et auditio, sacramentorum quorundam administratio, et ecclesiastica sepultura. *Locale* dicitur, quando locum afficit, v, g: si in quadam ecclesia vetentur divina officia: *Personale* quando in quendam, vel plures dirigitur, ne sacra munera peragant, vel locum sacrum ingrediantur: *Mixtum* quando et persona et locus interdicuntur, v, g: si capitulo cujusdem ecclesiæ interdicatur, ne in ea, vel alio quocumque loco sacra obeant munia, vel alios in illa celebrare sinant. *Generale* interdictum loci fit, quando regnum, respublica, civitas, subjacet huic censuræ: *particulare* quando ecclesia aliqua, vel locus alius singularis privatur sacris muneribus. Personarum generale est interdictum, quando universi cives, vel integer quilibet hominum cœtus interdicitur: *particulare*, quando unus, vel plures, tamquam personæ singulares interdicuntur. "Est quædam partialis interdicti species, qua prohibetur ingressus in ecclesiam; et si quis in tali interdicto sine pœnitentia moriatur, non debet in loco sacro sepeliri."[1]

90. "Interdictum in urbem latum afficit etiam suburbia et ædificia continentia, quamvis sint sub jurisdictione, seu temporali, seu spirituali alterius, ne contemnatur interdictum, si populus in suburbiis posset divinis officiis interesse. Item interdictum alicujus ecclesiæ, ad cœmeterium et sacella ei contigua extenditur. At interdicto cœmeterio, non interdicitur ecclesia ei contigua: nam accessorium sequitur principale; non vicissim."[2]

91. "Interdictum ab episcopo in civitatem latum, debet etiam ab exemptis servari."[3]

92. Interdicto loco aliquo, personæ interdici non censentur, nisi

(1) Antoine, *de Censuris*, c. iii. qu. i. citans cap. xx. *de sent. excom.* in 6.
(2) Ibidem, citans c. xvii. *eod. tit.*
(3) Ibidem, citans Conc. Trid. Sess. xxv. cap. xii.

Digitized by Google

id exprimatur: quapropter alibi poterunt sacra celebrare: interdictis personis, locus non habetur interdictus: proindeque licebit alios accessere, qui sacra obeant munera, nisi id vetitum sit. Interdicta communitate aliqua, omnes qui eam constituunt interdicuntur: sed si desinant ejus membra esse, cessat quoad eos interdictum, dummodo non fuerint nocentes.[1] Interdicto clero, non ideo populus interdicitur; et vicissim.

93. Ad speciale interdictum alicujus requiritur culpa lethalis propria, gravis enim est pœna: ad generale interdictum loci, vel hominum, sufficit grave peccatum a capite, vel præcipuis membris admissum: vix enim alia suppetit ratio contumaces ad bonam frugem reducendi, quam communitatis cui præsunt pœna: cæteri scilicet precibus fatigabunt eos ut pœnitentia se sublevent.

94. "Per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale generale; et neutrum potest tolli, nisi ab habente jurisdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam."[2]

95. Effectus interdicti tres recensentur. I. Missa et omnia sacra officia, una cum benedictione solemni nuptiarum prohibentur. Cæterum in generali interdicto, qui interdicti non sunt clerici sæculares, vel religiosi, possunt quotidie in suis ecclesiis Missam et divina officia celebrare submissa voce, et januis clausis, exclusis excommunicatis et interdictis, et non pulsatis campanis.[3] In festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis beatæ Virginis, et in festo corporis Domini, una cum tota octava, licet campanas pulsare, januas aperire, et alta voce celebrare divina officia, admittere etiam interdictos, dummodo qui causam dederunt interdicto ad altare non appropinquent: sed exclusis excommunicatis. II. Quædam sacramenta prohibentur administranda tempore interdicti; nempe eucharistia laicis sanis non præbetur, datur autem etiam personaliter interdictis, si in probabili mortis periculo versentur:[4] extrema unctio non datur moribundis, saltem nisi aliud sacramentum nequeant recipere: ordinatio non fit: nuptiarum benedictio non datur; sed matrimonium contrahitur minus solemniter. Baptismus, confirmatio et pœnitentia libere administrantur, etiam ab iis qui generali inter-

(1) C. xvi. *de sent. excom.*
(2) Antoine, *ubi supra.*
(3) Cap. *Alma, de sent. excom.* in 6.
(4) Cap. xi. *de pœnit.*

Digitized by Google

dicto includuntur, non autem ab interdictis specialiter. Excommunicati autem, et qui dederunt causam interdicto, excluduntur ab omnibus sacramentis, nisi cautionem præstiterint se satisfacturos.[1] III. Ecclesiastica sepultura prohibetur. Qui autem non dederunt causam interdicto, sepeliri possunt in loco sacro non interdicto. Clerici, haud specialiter interdicti, possunt sepeliri in loco qui non sit specialiter interdictus, absque cantu et campanarum pulsu.[2] Concio ecclesiastica tempore interdicti permittitur.

96. Violantes interdictum peccant mortaliter, violant enim grave Ecclesiæ præceptum. Qui actum ordinis sui proprium exercet interdictus, fit irregularis.[3] Excommunicatione Papæ reservata percelluntur Domini temporales cogentes clericos ad celebranda divina officia in loco interdicto; vel impedientes ne exeant excommunicati et interdicti, dum celebrantur: qua etiam pœna plectuntur ipsi interdicti non exeuntes post monitionem.[4] Si celebret quis in loco non interdicto, et nequeat expelli interdictus, poterit Missa ad finem perduci.[5] Qui scienter sepeliunt interdictos in loco sacro, extra casus in jure concessos, contrahunt excommunicationem reservatam episcopo.[6] Excommunicantur religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum generale locale a Papa, vel ab ordinario latum, quando servatur a matrice ecclesia, vel a parochiali loci in quo habitant.[7] Qui admittunt laicos interdictos ad officia divina, interdicuntur ipso facto ingressu Ecclesiæ, quoad ordinum sacrorum in ea exercitium: licet autem eis ingredi orationis privatæ causa.

97. *Cessatio a divinis* aliquando præcipitur in indicium doloris ob injuriam Deo vel Ecclesiæ illatam, vel in sui defensionem. Est instar interdicti, quamvis eam violans non fiat irregularis.[8] Religiosi eam violantes incurrunt excommunicationem.[9] Refert S. Alphonsus decretum S. Congregationis Cæremoniarum a Clemente X. confirmatum: "non licere cuicumque etc. (personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere: secus immediate cessandum a divinis. Quod nisi servetur, Rectores, cæterosque ecclesiarum ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque

(1) Cap. *Alma. de sent. excom.* (2) C. xi. *de pœnit.*
(3) Cap. xviii et xx. *de sent. excom.* in 6.
(4) Clem. ii. *de sent. excom.* (5) S. Alph. l. vii. n. 333.
(6) Clem. i. *de sepult.* (7) Clem. i. *de sent. excom.*
(8) Cap. xviii. *de sent. excom.* in 6.
(9) Clem. i. *de sent. excom.*

Digitized by Google

ecclesiam habendam esse pro interdicta."[1] Hoc ostendit quam abhorreat ab ecclesiæ disciplina mos apud nos inductus scamna quæ fideles sibi compararunt, vel conduxerunt in ecclesiis, pulvinaribus sternendi.

(1) Bullar. Clem. xi. p. iii. Dec. Cong. Card.

THE ABBEY OF GETHSEMANI,
TRAPPIST, P. O.,
NELSON CO., KY.

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE IRREGULARITATE.

98. Irregularitas est impedimentum canonicum, quo prohibetur ordinum susceptio, et eorum exercitium. Differt a censura, quum non semper culpam supponat: nam ex defectu aliquando oritur, aliquando tamen pœnæ habet rationem. Prima tonsura etiam intelligitur nomine ordinum, uti ex usu Ecclesiæ constat.

99. Nulla est irregularitas nisi ex jure universali ac pontificio;[1] contrahitur autem ante omnem sententiam, et tollitur tantum dispensatione. Ignorantia invincibilis legis ecclesiasticæ plerisque videtur impedire irregularitatem, quæ ex delicto provenit, quum pœnæ instar sit juri divino addita, irroganda idcirco iis qui jus hoc speciale norunt.[2] Plures tamen dicunt homicidam esse irregularem, etsi ignoraverit jus ecclesiasticum, quia irregularitas hæc nititur indecentia propter quam est ab altari repellendus.[3] Potest quis pluribus ex capitibus irregularis esse, vel ob eundem actum sæpius repetitum: quo casu in petenda dispensatione rerum veritas exponenda erit, nam dispensatio concessa ab una irregularitate aliam non tollit. Qui irregularis est, potest quæcumque munera sacra, quæ ei vetita non sunt, obire: v, g: canere in ecclesia, suscipere sacramenta, matrimonio adstare, si ita ejus ferat munus, nam jurisdictionis potius quam ordinis actus est.

100. Effectus irregularitatis duo sunt. I. graviter illicita est ordinum, etiam tonsuræ, susceptio, vel ordinis suscepti exercitium: obstat quippe Ecclesiæ prohibitio gravissima. Attamen jurisdictionis exercitium non tollitur, quoties ab ordinis actu separari potest: proinde episcopus irregularis posset sacerdotibus facultatem tribuere absolvendi. II. inhabilis est ad beneficium recipiendum, adeo ut collatio nulla sit, si nequeat omnia ejus munia obire.[4] Idem dicen-

(1) Cap. Is qui, *de sent. excom.* in 6. (2) S. Alph. l. vii. n. 350.
(3) Ibidem.
(4) C. ii. *de cleric. pugnant.* et cap. xviii. *de sent. excom.* in 6.

Digitized by Google

dum de dignitate et prælatura regularium.[1] Non tamen privatur quis ipso jure beneficio quod antea impetraverat, dummodo ejus munia curet obeunda:[2] debet tamen eo privari:[3] quod si nequeat brevi dispensationem obtinere, debet illud resignare.

101. Irregularitas *ex defectu* dicitur quando ex vitio aliquo natalium, corporis, vel animi, oritur, absque labe peccati: *ex delicto*, quando in pœnam peccati statuta est. *Totalis* est quæ hominem penitus inhabilem facit ad quælibet ordinum munera: *partialis*, quæ ad aliquod munus facit inhabilem: y, g: ad sacrum celebrandum.

102. Irregulares sunt ex animi defectu, pueri, amentes, furiosi, energumeni, lunatici. Amentes ordinari nequeunt, nequidem postquam sui compotes facti sint, si ex læsione organorum, vel alia hujusmodi causa amentia provenerit, facile enim relabuntur; secus si ex febre ad tempus deliraverint. Qui post ordines susceptos in amentiam inciderint, possunt in suscepto ordine ministrare, quando judicio episcopi sunt sui compotes, et abest periculum. II. Irregulares sunt litterarum ignari:[4] III. neophyti, a paganismo, vel Judaismo, recens traducti:[5] sed episcopi est judicare, quando satis profecerint. Elapso decennio non censentur irregulares.

103. Ex defectu corporis irregulares habentur, quicumque ordinum actus nequeunt exercere, absque magna indecentia, vel periculo, vel adstantium horrore, ob deformitatem, vel morbum.[6] Episcopi autem in re dubia judicium est.[7] Hinc irregulares sunt I. cæcus vel cæcutiens; surdus: enormiter claudus, qui nonnisi baculo innixus, vel pede ligneo, ad altare ascendere valet: II. carens naso, manu, pollice, vel indice; III. carens uno oculo, cum magna deformitate: vel sinistro non videns, si nequeat absque indecenti faciei conversione Missale legere: IV. leprosus, deformiter gibbosus, aut facie maculatus. Morbo caduco laborans non est ullatenus ad ordines provehendus; tamen si ordines susceperit, ad eos exercendos admittitur, si per annum eo morbo non laboraverit;[8] vel si rarò, et sine clamore, et spuma, cadat, nam tantum temporis spatium ex consuetudine non requiritur, et adstet ei celebranti sacerdos jejunus, qui ejus vices obire possit.

(1) Cap. xii. *de pœnit.*
(2) C. v. Ne clerici vel monachi.
(3) C. x. *de excess. præl.*
(4) Cap. i. dist. xxxvi.
(5) Cap. i. dist. xlviii
(6) Tit. *De corpore vitiatis; de clerico ægrot.* et *dist.* lv.
(7) Cap. ii. *de corpore vit.*
(8) C. Communiter, 3. dist. xxxiii.

Digitized by Google

104. Vitium corporis occultum plerumque non inducit irregularitatem: irregularis tamen est: I. qui membrum, vel partem membri, absque justa causa sibi amputavit:[1] II. qui eunuchus sua culpa factus est:[2] ermaphrodita, qui et a professione religionis arcendus est, ob libidinis periculum. Æthiops, seu niger homo, etiam irregularis ab aliquibus habetur, "non tamen inter suos, sed alienos, ubi disparitas ludibrio est."[3]

105. Quicumque corporis defectus post ordines susceptos contingit, impedit tantum ab eo munere, ad quod quis fit eo inhabilis: et mitius plerumque de eo judicatur.

106. Ex libertatis defectu irregulares habentur I. servi, nisi libertate jam recuperata: II. curiales, negotiis implicati, qui tamen iis expediti possunt ad ordines promoveri:[4] III. qui ad rationes reddendas adhuc tenentur.[5]

107. Defectu natalium irregulares sunt omnes sive spurii, sive naturales. *Spurii* autem sunt quorum parentes tempore eorum conceptionis vel nativitatis, nequibant matrimonium inire, obstante impedimento dirimente: *naturales* e contra quorum parentes legitimo matrimonio poterant conjungi.[6] Qui per matrimonium subsequens parentum legitimi habentur,[7] vel quorum parentes in facie Ecclesiæ conjuncti sunt, bona fide saltem ex una parte, licet obstaret impedimentum,[8] non sunt irregulares. Defectus natalium tollitur professione religiosa, quoad omnes ordines, etiam sacerdotii; non tamen quoad prælaturam.[9] Episcopus potest dispensationem concedere, ut ordines minores suscipiantur: nequit autem dispensare ad sacros ordines, licet defectus sit occultus, nec ad eorum exercitium, si quid jam promotus sit.[10] Quod si ex matris confessione defectus innotescat episcopo, nulla ejus ratio omnino est habenda.

108. *Ex defectu sacramenti* irregulares habentur quicumque matrimonio bis conjuncti sunt, etiam ante baptismum;[11] Apostolus enim episcopum, diaconumve "unius uxoris virum" jussit esse, quod de viro semel tantum ante ordinem susceptum juncto conjugio, tota intellexit antiquitas christiana, sicut "vidua unius viri uxor"

(1) Cap. Si quis, 4. dist. lv.
(2) Cap. iii. *de corp. vit.*
(3) Busembaum, apud S. Alph. l. vii. n. 403. Vide et n. 412.
(4) C. iv. *de cleric. vel monach.*
(5) Cap. un. *de obligat. ad rat.*
(6) C. i. et fin. *de fil. presbyt.*
(7) C. Tanta, *Qui filii sint legitimi.*
(8) C. cum inter, 2. *eod. tit.*
(9) Bulla Greg. xiii.
(10) C. i. et ii. *de fil præsb.*
(11) C. i. ii. iii. v. *de bigam.*

Digitized by Google

eam quæ semel nupserat, plane designat. Sacramenti defectus vocatur hæc irregularitas, quia significatio Christi cum Ecclesia conjunctionis non adeo patet in secundo conjugio. Præterea animus ad voluptatem pronus infertur ex iterato conjugio; quapropter non adeo valet bigamus continentiam commendare.[1] Bigamia *vera* est, quo quis duas uxores legitimas habuit, cum quibus consummavit matrimonium; nam ratum matrimonium non inducit irregularitatem.[2] *Interpretativa* bigamia dicitur quæ ex juris interpretatione habetur, licet unicum fuerit matrimonium. Sic qui viduam duxit, vel mulierem ab alio corruptam, et cum ea consummavit matrimonium, censetur bigamus.[3] *Similitudinaria* bigamia est ea qua quis post solemnem religionis professionem, vel ordinis susceptionem, matrimonium attentavit etiam cum virgine, et copulam habuit.[4]

109. Ex defectu *lenitatis* irregularis est quilibet baptizatus homo qui ad hominis necem, vel mutilationem, membro abscisso, vel ad mortis accelerationem, voluntarie et proxime, licet juste, concurrit. Hinc irregulares sunt judex ferens sententiam mortis, vel mutilationis, ejus assessores, et omnes ministri justitiæ, ad eam auctoritate publica concurrentes, accusator, ejusque advocatus, testes, procurator reipublicæ, satellites, et executores sententiæ. Non sunt irregulares qui remote tantum concurrunt, ut legum latores, magistratus jubentes ut capiatur reus ad criminis cognitionem instituendam; concionator, vel scriptor, qui reos universe plectendos etiam morte contenderet ob salutem publicam: secus si quosdam singulares morte puniendos quæreret.

110. "Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem."[5] Qui suam defendens castitatem, vel bona magni momenti, injustum aggressorem occidit, servato moderamine, non videtur irregularis:[6] secus si moderamen non servaverit; quapropter Religiosus qui duos occidit latrones, quando id non erat necessarium ad se suaque bona tuenda, irregularis habitus est.[7]

111. Irregulares non sunt qui dum ægroto inserviunt, mortem ejus

(1) C. iv. dist. xvi. (2) Cap. Debitum, *de bigamis non ordin.*
(3) Cap. ix. dist. xxxiv.
(4) Cap. iv. *de bigam.* et can. *Quotquot.* xxvii. qu. i.
(5) Clem. *de homicid.* (6) S. Alph. l. vii. n. 389.
(7) C. Suscepimus, *de homicid.*

Digitized by Google

forte aliqua accelerant, dum eum vertunt, vel in alium locum transferunt. "Sic etiam non fit irregularis sacerdos jubens fieri abscissionem membri præscriptam a medico, modo ipse non exequatur... Immo multum probabiliter Concina, p. 501, n. 20, eximit ab irregularitate qui adjuvaret chirurgum congrue mutilantem ægrotum."[1]

112. In bello offensivo, licet justo, irregularis fit qui alium occidit, vel mutilat: non item qui hortatur alios ad fortiter pugnandum, vel qui custodit sarcinas, alias pugnantibus. In bello injusto, in quo aliquis occiditur, omnes fiunt irregulares, qui pugnarunt, vel qui animos addiderunt pugnantibus. In bello defensivo, justo et necessario, irregularis non est qui alium, se defendendo, occidit, servato moderamine inculpatæ tutelæ:[2] sed qui alios extra hujusmodi necessitatem interficit, irregularis a multis habetur.[3]

113. Irregularis non fit: I. magister, qui discipulum, vel pater qui filium moderate verberat, correctionis causa, licet casu ex percussione puer moriatur: II. qui equitando in equo feroci puerum occiderit; secus si ipse ebrius, vel temere in turbam irruens, furibundi instar, aliquem equo conculcet: III. qui canem, vel feram ferocem alit, cautela servata ne aliis noceat, quam tamen contingit fuga evadere, et aliquem occidere: secus si eam teneat in via, nulla cautela adhibita: IV. medicus, qui casu pharmacum præbet ex quo infirmi mors sequatur: secus si temere dederit. Clericus, si incisione vel adustione causa sit mortis, dum mederi studet infirmo, irregularis fit, quum utraquè ei vetita sit, sub ea pœna: sed excusatur, si rem aggrediatur ob ægroti necessitatem, nullo medico adstante.[4] Clericus accusans reum, si protestetur se nolle sanguinem fundendum, non habetur irregularis, licet contingat eum morte plecti.[5] Occidens aggressorem alterius innocentis, etiam patris sui, fit irregularis, licet non peccet.

114. Ex defectu *bonæ famæ* sunt irregulares, qui jure declarantur infames;[6] vel qui sententia judicis damnati sunt gravioris criminis; vel qui plerumque noscuntur grave admisisse scelus: vel officium infame gessisse: v, g: histrionis cum turpibus repræsentationibus:[7] vel qui nati sunt ex parentibus jam infamibus: v, g: ex meretrice.[8] Dispensatio necessaria est quoties quis jure ipso, vel sententia judi-

(1) S. Alph. l. vii. n. 382.
(2) Clem. *de homicidio.*
(3) Cap. xxiv. *de homicid.*
(4) Vide S. Alph. l. vii. n. 384.
(5) Cap. Prælatis *de homicid.* in 6.
(6) Cap. Infames, 6. qu. i.
(7) S. Alph. l. vii. n. 363.
(8) Ibidem.

Digitized by Google

cis, infamis quis est: non ita si ex solo facto infamia ejus orta sit, nam per emendationem, quæ palam innotuit, et saltem triennium duravit, aliquando tollitur;[1] aliquando per loci mutationem ei obviam fit. Baptismus plerumque censetur tollere irregularitatem quæ ex facti infamia oritur. Episcopus potest dispensare, ut in ordinibus susceptis ministret, qui facto irregularis est, dummodo crimina minora sint adulterio, et reus egerit pœnitentiam. Omnis hujusmodi, sive jure, sive facto, irregularitas tollitur ingressu in Religionem.

115. Ex delicto oritur irregularitas quando iteratur baptismus. Si id fiat absque solemnitate, probabilius non incurritur irregularitas.[2] Rebaptizatus scienter irregularis est: imo ex communi sententia, rebaptizans; et ex canone speciali, acolythus adsistens rebaptizationi.[3] Qui baptizantur ab hæretico irregulares habentur.[4] Rebaptizans sub conditione, temere et culpabiliter, pluribus videtur irregularis; aliis immunis a tanta pœna.[5]

116. Qui furtive suscipit ordines, se dolose ingerens, irregularis fit.[6] Item qui post contractum matrimonium ordines sacros suscipit, invita uxore:[7] qui excommunicatione majore ligatus ordinem sacrum suscipit:[8] qui exercet actum proprium ordinis quo caret:[9] qui excommunicatione etiam occulta, supensione, aut interdicto irretitus, exercet actum proprium sacri ordinis:[10] qualis foret Missam celebrare, vel munere diaconi vel subdiaconi vestibus cujusque ordinis propriis indutus, fungi; secus si stola et manipulus non adhibeatur. Concionem habere vel adstare matrimonio non habetur actus proprius sacri ordinis, sed jurisdictionis.[11] Qui celebrat in loco interdicto[12] fit irregularis. Idem dicunt multi de exercente officium minoris ordinis, censura ligato.

117. Ex homicidio et mutilatione injusta vel physice, vel moraliter admissa, consulendo, vel mandando; imo, juxta plures, aliis probabiliter negantibus, non impediendo, quando quis ex justitia impedire tenetur, contrahitur irregularitas.[13] Si casu homicidium contin-

(1) Cap. liv. *de testibus.*
(2) S. Alph. l. vii. n. 356.
(3) C. Ex litterarum, *de Apostat.*
(4) C. Ventum est, 1 qu.
(5) S. Alph. l. vii. n. 356.
(6) Tit. *De eo qui furt.*
(7) Extrav. *Antiquæ*, de vot.
(8) C. xxiii. *de sent. excom.*
(9) C. i. et ii. *de cleric. non ordin.*
(10) C. i. et xx. *de sent. excom.* in 6.
(11) S. Alph. l. vii. n. 358.
(12) Cap. xviii. *de sent. excom.* in 6.
(13) Dist. l. et tit. *de homicid. et de sent. excom.*

Digitized by Google

gat, sed ex causa illicita, et cum periculo mortis conjuncta, contrahitur irregularitas:[1] non ita, si causa, quamvis illicita, periculo plerumque vacet, et diligentia necessaria adhibita sit, puta si clericus ferarum venationi dans operam, casu occidat hominem.[2] Eo magis irregularis non est habendus, qui casu hominem interficit, dum rei honestæ incumbit,[3] nisi cautelam necessariam neglexerit.[4] Idem de mutilatione, proportione servata, dicendum est.[5] Irregularitas ex homicidio voluntario per baptismum tollitur,[6] vel per dispensationem Pontificis; non autem episcopi,[7] qui tamen valet dispensare in homicidio occulto, quod casu, non voluntate contigit, licet cum culpa conjunctum sit. Si clericus chirurgiam exercens mortis fuerit causa, imperitia vel negligentia, poterit dispensationem ab episcopo recipere. Qui mulierem prægnantem percutiendo abortui dedit locum, præter intentionem, est etiam idoneus dispensationi recipiendæ. Regulares confessarii possunt dispensare sæculares in omni irregularitate in qua possunt episcopi cum suis subditis, ex concessione Sixti IV.[8]

118. Ex apostasia a fide, vel hæresi externa, licet occulta, irregularitas contrahitur:[9] quæ etiam ad filios et nepotes extenditur. Attamen apud nos, sicut et in Galliis, et Germania, hæretici ad fidem

(1) Tit. *de homicid. volunt. vel casual.*

(2) S. Alph. l. vii. n. 387. "When archbishop Abbot by an unfortunate accident had killed a park-keeper in shooting at a deer with a crossbow, though it was allowed no blame could be imputed to the archbishop but from the nature of the diversion, yet it was thought to bring such scandal upon the church, that an apology was published upon the occasion, which was warmly and learnedly answered by Sir Henry Spelman, who maintained that the archbishop was in the exercise of an act prohibited by the canons and ordinances of the church, and that he was even disqualified from exercising his spiritual functions. The king referred the consideration of the subject to the lord keeper and several of the judges and bishops, who recommended it to his majesty to grant his grace a dispensation *in majorem cautelam, si qua forte sit irregularitas;* which was done acordingly. See Reliquiæ Spelm. 107." Chitty's Blackstone, l. ii. n. 413, note. En quo archiepiscopi dignitas apud Anglos deducta est!

(3) C. ix. *de homicid.* (4) C. xii. *eod. tit.*

(5) C. iv. *de raptor.* et cap. ult. *de homicid.*

(6) C. Si quis, *dist.* 50.

(7) Trid. Conc. Sess. xxiv. *de Ref.* c. vi.

(8) Bulla ix.

(9) Cap. ii. *de hæret.* in 6. et cap. *Saluberrimum*, i. qu. vii.

Digitized by Google

conversi, et eorum filii ad ordines ascendunt, absque speciali dispensatione.

119. Gravia crimina quæ palam innotuerunt, qualia sunt simonia, læsa majestas, adulterium, incestus, sodomia, concubinatus, perjurium in judicio, maleficium, raptus mulieris, et duellum infamiam secum trahunt: non autem quæ occulta sunt.[1]

120. Mortalis culpa requiritur, et opus exterius consummatum, ut irregularitas ex delicto contrahatur: nec enim pœna adeo gravi culpa minor, vel opere non perfecta plecti debet.

121. Quandocumque dubitatur utrum irregularitas in quodam casu, jure statuta sit, benigniorem sententiam sequi licet: quod plures dicunt etiam de facto, quando quis dubitat quis utrum actum fecerit cui pœna illa certò adnexa est. Cæterum si homicidium patratum sit, quod clericus utrum sua culpa contigerit dubitat, debet a sacro celebrando se abstinere, et petere dispensationem, quum ita in jure statutum sit, ne manus cæde forsan inquinatæ, cum fidelium gravi offensione, victimam sanctam offerant; in re quippe tanti momenti "semitam debemus eligere tutiorem."[2]

122. Episcopus potest cum suis subditis, non autem cum alienigenis, etiamsi quasi domicilium in sua diœcesi habeant,[3] dispensare in omni irregularitate et suspensione proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, excepta quæ oritur ex homicidio voluntario.[4] Item dispensare valet cum spurio ad ordines minores et beneficium simplex, quod non exigat ordinem sacrum.[5] Item dispensat in bigamia similitudinaria.[6] In cæteris Pontificis auctoritas desideratur. Cæterum a peccatis irregularitatem adnexam habentibus quilibet confessarius potest dispensare, sed eam tollere nequit nisi ex speciali concessione, quæ non habetur, etiam amplissima data absolvendi a censuris facultate. Potest tamen episcopus, sacerdotibus, facultatem delegare dispensandi in irregularitatibus occultis, quia ita consuetudo interpretatur decretum Tridentinum. In hisce provinciis episcopi facultatibus sibi ab Apostolica Sede tributis usi, concedunt Missionariis potestatem dispensandi ad effectum exer-

(1) Cap. iv. et ult. *de temp. ordin.*
(2) Cap. xii. *de homicid.*
(3) Ex decl. Greg. xiii.
(4) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. vi.
(5) C. i. et ii. de fil. Presbyt.
(6) S. Alph. l. vii. n. 452.

Digitized by Google

citii ordinum jam susceptorum in omnibus irregularitatibus quæ proveniunt ex delicto, exceptis quæ procedunt ex bigamia vera, vel homicidio voluntario.

Hæc de censuris, aliisque ligaminibus hujusmodi sufficiant. De Sacramentis altero volumine mox agendum.

Digitized by Google

APPENDIX.

PROPOSITIONES

IN MATERIA MORUM A SUMMIS PONTIFICIBUS DAMNATÆ.

Propos. 45. *quas Alexand. VII. ann.* 1663. *&* 1666. *ad minimum tanquam scandalosas damnavit; quasque docere prohibuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ac Summo Pontifici, extra mortis articulum reservatæ.*

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus

Digitized by Google

ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso vel ejus religioni, publice & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre

Digitized by Google

gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia & bestialitas sint peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam.

Nota: Propositiones quæ sequuntur, sub eadem forma, & censura, ab eodem Summo Pontifice damnatæ sunt ann. 1666.

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine concederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

Digitized by Google

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Conc. Trident.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur; secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

§. IV. 65. *Propositiones morales, quas Innoc. XI. decreto anni 1679. damnavit, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, quasque edoceri, & ad praxim deduci prohibuit, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici, præterquam in articulo mortis, reservatæ.*

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Digitized by Google

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confi-

Digitized by Google

teri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se, non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: id quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat; & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

Digitized by Google

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda; & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum cri-

Digitized by Google

men alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò, locutione minus propria ponit *digniores* ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem; & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemtus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

Digitized by Google

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, verbi gratia potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JESU Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Idem Alexander VIII. decreto dato die 7. *Decembris* 1690. *damnavit* 31. *propositiones tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respective, & uti tales, prohibuit eas edoceri & ad praxim deduci, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ. Tredecim ex iis jam ad calcem II. Vol. Theologiæ Dogmaticæ retulimus: cæteras subjicimus.*

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

Digitized by Google

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob questum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a Beata Maria Virgine, in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod filius qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *in nomine Patris*, &c. prætermissis illis, *ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

Digitized by Google

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In Eminenti* est subrepititia.

Hic refert addere quinque Propositiones circa Duellum novissime proscriptas a N. SS. P. Benedicto XIV. in Bulla Detestabile, *edita die* 13. *Nov. anno.* 1752.

I. Vir militaris, qui nisi offerat & acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse sequuturam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas Dux vel officialis militiæ acceptans dnellum ex gravi metu amissionis famæ, vel officii.

IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

V. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RETURN TO **CIRCULATION DEPARTMENT**
202 Main Library

LOAN PERIOD 1 **HOME USE**	2	3
4	5	6

ALL BOOKS MAY BE RECALLED AFTER 7 DAYS
1-month loans may be renewed by calling 642-3405
6-month loans may be recharged by bringing books to Circulation Desk
Renewals and recharges may be made 4 days prior to due date

DUE AS STAMPED BELOW

INTERLIBRARY LOAN
APR 1 0 1
UNIV. OF CALIF., BERK.

INTERLIBRARY LOAN
FEB 2 0 1986
UNIV. OF CALIF., BERK.

DEC 18 1987
AUTO. DISC.
DEC 0 9 1987
JUN 0 9 2007

UNIVERSITY OF CALIFORNIA, BERKELEY
FORM NO. DD6, 60m, 3/80 BERKELEY, CA 94720

Digitized by Google

U.C. BERKELEY LIBRARIES

C004125469

Digitized by Google

Digitized by Google